ignota remedia, apertè tradit *Crato in libell. de Peste, post eius consil. Pestilentes*, affirmans, *febres effugere, vel his affectis mederi, nisi Natura valde per abscessus expurget, difficillimum esse, immò nondum remedium verum repertum, quod vim illam miasmatis planè retundat, & exhauriat*. Alibi etiam inquit, *Verum Pestis Alexipharmacum penes Deum dumtaxat repositum, neque à Medicis exploratum?* idemque confirmant *Sennertus lib. 4. de febr. cap. 3. Gesner. lib. 1. epistol. 64. Zaccut. de prax. admirand. lib. 3. obseruat. 38. & rursus de medic. princip. histor. lib. 4. in paraphr. hist. 51.* Palmar. quoque *de febr. pestilent. cap. 17.* id affirmans subdit, *ideòque ad communia venenorum Alexiteria, & cardiaca medicamenta confugere, necesse est*. At Galenus de Peste agens, *lib. 3. de præsag. ex puls. tex. 3.* ait, *Quam excogites medicinam ad putredinem, quæ Cor occupauit?* Et, inquam Ego, quis ignorat Alexiteria, quæ venena cohibent, nihil certi contra Pestem habere? Est quippe Pestis venenum à quouis alio longe secretum. Medicos noui Lœmocomia ingressos, Alexiterijs apprimè munitos, biduo tamen, vel triduo Pestem contraxisse, ac citissimè occubuisse, nec vllum subsidiarij auxilij punctum fuisse repertum. Et quàmuis Correptorum alij, curationis beneficio conualuisse viderentur; alios tamen ab initio contractæ Pe-
16 stis, ijsdem remedijs vsos, perijsse constat. † Vtinam verò multos Medicorum præsidia non sustulissent. Audiamus quæso Hippocratem *lib. 3. Epid. sect. 3. tex. 56*, quid de Pharmacis ille dicat in Athenarum pestilentia adhibitis: ea siquidem refert, indeque subdit, *Et hæc, quæ offerebantur, ægrè admittebant; nam Pharmaca multos offendebant, quorum qui sic habebant, subitò multi peribant*. Et itidem his versibus describit *Lucret. lib. 6. de rer. nat.*

Nec ratio Remedij communis certa dabatur,
Nam, quod alijs dederat vitaleis aeris auras
Voluere in ore licere, & Cœli templa tueri;
Hoc alijs erat exitio, lethumque parabat.

Atque mihi hæc adeò nota sunt, vt sæpiùs ad Lœmocomia, ægrotorum statum sciscitanti, experientia constiterit, medelas non paucis properasse necem. Quod etiam quandoque contingit leuiori morbo affectis, immò & benè valentibus, qui ad potiorem valetudinem Pharmaca sumunt. Oh quoties medicamen, quod prodesse debuerat, non profuit, & quod debuerat excernere, non excreuit. Quod si conualuerint Ægri, ait Ausonius

Euasere
Fati ope, non Medici.


17 Licet autem affirmare, ex Lœmocomijs † longè plures Naturæ bene-

beneficio, quàm Pharmacorum euaſiſse: quin Phlebotomias, & Pharmaca dumtaxat proficere viſa fuiſse, cum vitalis facultas iam Peſtis venenum infringere, & hebetare cœpiſset; at initio morbi nunquam. Et ſanè quod priùs Natura morborum medicatrix non effecerat, fruſtra miniſterio Artis tentari contingebat, non ſine maiori Vitæ diſcrimine. Illi verò, quibus vitale robur apprimè validum erat, vbi à præpotenti cauſa corripiebantur, Peſtilentiæ virus Naturæ viribus retundebant per Abſceſsus, vel Sudores, aut Diaphoreſim, & eneruata pernicie, quæ priùs valida vrgebat in corpore, moxque hebetari cœperat, Artificum ſubſidijs videbantur conualeſcere. Alij etiam futilibus auxilijs adhibitis, incolumes à Bubonibus, & Carbunculis, ſe euaſiſse iactabant. Inter mulierculas quoque non vna, Cataplaſmate ſuo, Bubones ſibi ſanaſse gloriabatur. Sed Naturæ, non Arti eſt tribuendum, cum eadem Artis ſubſidia, tot alijs æquè affectis, eodem tempore præſtita, nullam attulerint opem; certumque ſit, alios quoſdam domi latenter ſuſtinuiſse morbum, & priſtinam valetudinem vindicaſse, abſque vllo prorſus medicamine, quod non niſi Naturæ viribus ſupra venenum tribui poteſt, aut peculiari conditioni Peſtis debet adſcribi. Sicut
18 enim † huiuſmodi morbus quandoque non niſi certum genus, aut certam animalium ſpeciem afficit, ita etiam non mirum, quòd ex affectis quædam non interficiat pro varia corporum craſi, & viſcerum, humorum, ac ſpirituum diatheſi.


19 Nullum † verò aduersùs Peſtem præſentius Remedium comprobauit vſus, quàm ſana corpora adiuuare, ne inficiantur. Idcirco rectè ait Baſil. Magn. *Homil.* 43. *contra Ebrioſos. In Peſtem tantùm ſana corpora adiuuanda, ne morbi vulgentur, atque malum præueniatur; abſtinendum verò ab his, qui iam morbo ſunt occupati, ne creſcat Contagio.* Digna quidem Baſilij diuina miſeratione ad noſtrum leuamen, & tutamen ſcripta ſententia. Hæc namque aduersùs præteritam Vrbis Peſtilentiam fuit vnica, & ſalutaris Antidotus, Medela, atquè Tutela, adeò felici rerum euentu comprobata, vt dum alias Italiæ Prouincias ſupra veterum Annalium memoriam exhauriret Peſtilentia, cum Vrbe, cæteriſque Sedis Apoſtolicæ Regionibus, tam leniter egerit, vt vix Peſtilentiæ nomen meruiſſe videatur. O felix nedum Vrbs, ſed tota Eccleſiaſtica Plaga ab imminenti pernicie tam prudenti Regimine vindicata! O ſanè ſapiens Inſtitutum ad Peſtem auertendam, & profligandam, omnibus numeris abſolutum, ad Populorum præſidium, & ſubſidium, nunquam ſatis prædicandum, ab optimo quouis Principe expeten-
20 dum! Licèt enim Peſtis † olim rara, & ab ætate Noe ad piaculum

Daui-

Dauidis, nihil de Populari Peſte inter Iudæos legatur, apud Romanos prioribus ſæculis ferè obſoleta, inter Perſas verò, & Græcos aliquando tantùm audita; mox tamen per ſæcula rediјt, ſæuijtque per ſeptuageſimum, deinde per annum quinquageſimum debacchata; poſtmodum crebriùs inualuit: iamque trima Bizantij, frequens in Ægypto, ac Memphi præſertim familiaris, & nunc adeò frequenter in varijs mundi Regionibus vrget, vt de communi curſu, & ordinario, iam propè iudicari valeat. Quamobrem, ad Reipublicæ quoq; beneficium, alium inſtitui Tractatum Politico-Legalem de Contractibus, Iudicijs, & vltimis Voluntatibus tempore Peſtis pro meo iudicandi munere inter fortuitos, inſolitoſque euentus in hac Vrbis Peſtilentia digeſtum. Et quamuis Præuidelli, Ripæ, aliorumque Tractatus de Peſte habeamus; ea tamen, quæ ad rem varijs ſunt diſperſa locis, ac diuerſis ab Auctoribus conſcripta, in vnum quaſi locum redegi, vt haud immeritò ſperem, quòd non pauca ab alijs minimè lucubrata præſeferat; Et quæ nuper difficultates fuerunt, non ferro, ſed calamo recidendæ, facilia reddat in poſterum.



CAP.



CAP. II.

ARGVMENTVM.

CElebriores Peſtilentiæ totius Orbis, quarum extat memoria, per tempora, & loca recenſentur; ex quarum enumeratione colligitur Peſtem nullis Gentibus pepercíſſe, præcipuè verò nullam Regionem toties, ac Italiam, nullam Vrbem ſæpiùs, ac Romam corripuiſſe. Cuius rei duplex cauſa affertur. Cur autem nouiſſima Vrbis Peſtilentia, omnium mitiſſima fuerit, peculiari auertendæ, & profligandæ Peſtis inſtituto adſcribitur.

SVMMARIVM

Patet ex Argumento.



INſtituenti mihi nouiſſimæ Vrbis Peſtilentiæ narrationem, ad germanam auertendæ,& profligandæ Peſtis normam conſcribere, non extra rem videtur celebriores, quæ ab antiquiſſima hominum memoria ad noſtram vſque ætatem extiterunt, ordine temporum recenſere; vt appareat nullis Gentibus, nullis Regnis, nullis Prouincijs, nullis Ciuitatibus Peſtem pepercíſſe, ac ex earum inter ſe comparatione, nullam Europæ Regionem, quàm Italia, toties eo malo correptam, nullam Vrbem ſæpiùs infectam, quàm Roma.

Ante Christi aduentum Pestilentiæ Terras infestauere hoc ordine.

Anno Mundi 2443. Pestis ingens, totius penè Ægypti, ac Æthiopiæ Vrbes vexauit *Euseb. in Chronic. & Fran. Piens. in Chronolog. Pest.*

A. M. 2500. in Græcia, Æaco regnante, qui Auus Achillis, ac Pelei Pater fuit, sæuijt Pestis. *Ouid. metam. l. 7.*

A. M. 2543. in Ægypto grauis extitit Pestilentia, ob quintam plagam, qua Moyses Pharaonem affecit. *Exod. cap. 9. & Salian.*

A. M. 2583. in Sethim Arabiæ Petreæ, viginti quatuor millia Hebræorum Peste deleta, ob fornicationem cum Moabitis, & Madianitis, vt *Numer. cap. 25. ex Chaldeo Paraphraste, & Iacobo Saliano.*

A. M. 2730. Troia Phrygiæ notissima Ciuitas sub Laomedonte Priami Patre, Hectoris Auo, Pestilentia laborauit *Senec. in Herc. Oet.*

A. M. 2778. in Italia, Aborigenes, & Pelasgi insueta Peste laborarunt. *Dionys. Halicarnass. l. p. & Euseb.*

A. M. 2866. Græcorum Troiam obsidentium Exercitum Contagio infecit. *Homer. Iliad. p.*

A. M. 2910. Post Troiæ excidium, Græciam, & vicinas Asiæ Regiones Pestis infestauit. *Herodot. in Vita Homer.*

A. M. 2940. Philisteos Azozios horrenda Pestis vexauit. *Reg. p. cap. 5. Salian.*

A. M. 3017. Celebris illa extitit Pestilentia in Regno Iudæ, Dauide regnante. *Reg. 2. cap. 24.*

A. M. 3317. Romæ, sub Romulo Bellum Camerinis secundò inferente, vehemens adeò Pestilentia exorta, vt absque vlla ægrotatione subitas mortes afferret. *Plutarch. in Vit. Romul. & Halicarnass. lib. 2.*

A. M. 3347. Anno octauo Regni Numæ, pestilens morbus grassatus Italiam afflixit, Vrbemque Romam. *Plutarch. in Numa.*

A. M. 3413. Romæ, sub finem Regni Tulli Hostilij, Pestilentia laboratum est. *Liu. dec. 1. l p.*

A. M. 3446. Pestis in Hierosolymam immaniter sæuijt sub finem obsidionis Nabucdonosor Regis. *Hierem. cap. 52.*

A. M. 3492. Delphis, post obitum Æsopi, huiusmodi Contagium, salubre Cœlum corrupit. *Tarcagn. vol. 1. l. 8.*

A. M. 3522. Vrbis Conditæ 221. Tarquinij superbi tempore, Pestilentia Romæ contigit, quę Viros, Pueros, & Matres ipsas

cum

cum fętu per Vicos paſſim ſternebat. *Dionyſ. Halicarnaſſ. l.* 4.

A. M. 3564. V. C. 262. Romanos in Volſcos arma mouentes Peſtilentia ingens inuaſit. *Liu. dec.* 1. *lib.* 2.

A. M. 3583. V. C. 282. Pinario Macerino, & P. Furio Fuſo Coſſ. Romę, muliebris extitit Peſtilentia, ob Veſtalem corruptam. *Euſeb. in Cronic. Anno* 2. *Olymp.* 77. *ex Saliano.*

A. M. 3590. Cranonem Vrbem, maligni Aeris afflatu, inuaſit Contagium. *Hippoc. de morbo vulgar. lib.* 2.

A. M. 3592. V. C. 291. L. Ebutio, & P. Seruilio Coſſ. Roma id mali experta eſt. *Liu. dec.* 1. *lib.* 3.

A. M. 3602. V. C. 301. Rurſum Conſulibus P. Curiatio, & Sexto Quintilio. *Liu. dec.* 1. *lib.* 3.

A. M. 3619. V. C. 318. Coſſ. M. Cornelio Maluginenſe, & L. Papirio Craſso ſęuijt. *Liu. dec.* 1. *lib.* 4.

A. M. 3622. V. C. 320. C. Iulio iterum, & L. Virginio Coſſ. peſtilens Annus Vrbem vexauit. *Liu. dec.* 1. *lib.* 4.

A. M. 3624. Athenas vis inſana Venti ab Æthiopia, & Ægypto flantis, Peſtem triennalem induxit. *Thucyd. lib.* 2. *& Plutarch. in Pericl.*

A. M. 3627. V. C. 326. Ex immodica ſiccitate Peſtis orta, Coſſ. Aulo Cornelio Coſso. & T. Quiritio Pœno. *Liu. dec.* 1. *lib.* 4.

A. M. 3643. V. C. 342. Romę Peſtilentia adfuit Q. Fabio Ambuſto, & C. Furio Pacillo Coſſ. *Liu. dec.* 1. *lib.* 4.

A. M. 3656 V. C 355. Grauis, peſtilenſque omnibus animalibus Æſtas Romę extitit, & Lectiſternia placandis Numinibus tunc primùm inſtituta. *Liu. dec.* 1. *lib.* 5.

A. M. 3663. V. C. 362. Coſſ. L. Valerio Potito, & M. Manlio Capitolino, in Agro Romano, nimia ex ſiccitate, & calore Peſtis exorta. *Liu. dec.* 1. *lib.* 5.

A. M. 3666. V. C. 365. Poſt Gallorum irruptionem, & ad Alliam illatam cladem, Romanis ſuborta in Exercitu Gallorum Peſtilentia. *Liu. dec.* 1. *lib.* 5.

A. M. 3671. V. C. 370. Romæ, M. Manlij mortem breuis Peſtilentia conſequuta eſt. *Liu. dec.* 1. *lib.* 6.

A. M. 3689. V. C. 388. Romæ pernicioſiſſima extitit Peſtilentia, Coſs. L. Genutio, & Q. Seruilio Ahala, quæ M. Furium, & Camillum alterum Romulum extinxit. *Liu. dec.* 1. *lib.* 7. *& Plutarch. in Camillo.*

A. M. 3691. V. C. 390. Coſſ. C. Genutio, & L. Æmilio Mamerco, clauo per Dictatorem fixo, Peſtilentia in Vrbe ſedatur. *Liu. dec.* 1. *lib.* 7.

A. M.

A. M. 3706. V. C. 405. M. Aurelio Coruino, & M. Pompilio Lena Coss. Vrbem Pestilentia adorta est. *Liu. dec. 1. lib. 7.*

A. M. 3720. V. C. 419. Romæ Coss. T. Vetturio, & Spur. Posthumio Albino. *Liu. dec. 1. lib. 8.*

A. M. 3723. V. C. 422. Coss. M. Claudio Marcello, & T. Valerio Potito, continuatæ Pestes fuerunt. *Liu. dec. 1. lib. 8.*

A. M. 3729. Victor Alexandri Magni ex India reuertens Exercitus, ex penuria, & insolentia cibi, pestiferum morbum contraxit. *Plutarch. in Vita Alex. Magn. & Q. Curt. in fine lib. 9.*

A. M. 3762. V. C. 461. Vrbem, Coss. Q. Fabio Gurgite, & D. Iunio Bruto, sæua Pestis infecit. *Liu. dec. 1. l. 10. & Val. Max.*

A. M. 3842. V. C. 541. Carthaginensium Copiæ, sub Himilcone Duce, in Sicilia Peste correptæ fuerunt. *Liu. dec. 3. lib. 5.*

A. M. 3849. V. C. 548. Pœnorum, & Romanorum Copias in Brutijs degentes Pestilentia incessit. *Liu. dec. 3. lib. 8.*

A. M. 3873. V. C. 572. Romæ Coss. P. Cornelio Lentulo, & M. Bebio Pamphilo, in Foris, Conciliabulis, & Agris Pestilentia immodica. *Liu. dec. 4. lib. 10.*

A. M. 3880. V. C. 579. Romæ Coss. Spur. Posthumio, Albino Paullo, & Q. Mutio Scæuola, sæuijt Pestilentia. *Liu. dec. 5. lib 1.*

A. M. 3887. In Illyriam magna Ranarum vis pestifera, pestilentem labem induxit. *Appian. Alexand. de Bello Illyric.*

A. M. 3904. V. C. 603. Belli tempore Carthaginensium cum Masanissa, Africa Peste exarsit. *Appian. Alex. lib. de Bello Punico.*

A. M. 3929. V. C. 628. Eadem grauissimo Contagionis morbo ex Locustarum putredine laborauit. *Paul. Oros. lib. 5. c. 11.*

A. M. 3981. V. C. 680. In Asia, magna pars Mithridatis Exercitus Peste contabuit. *Appian. Alex. de Bello Mithridat.*

A. M. 4005. V. C. 704. Coss. Cornelio Lentulo, & Caio Claudio Marcello, in Massilia ex corruptione Frumenti Tabes Pestilens fuit. *Iul. Cæsar. de Bell. Ciuil. lib. 2.*

A. M. 4006. Thessalia miserandam stragem ob Contagiones pestiferas experta est, ex magna Bestiarum cæde, quæ insepultæ manentes Aerem corruperunt. *Lucan. lib. 6.*

A. M. 4032. V. C. 731. Romam, Augusto Cæsare imperante, fæda Pestilentia (licet Auream ille Vrbem, Pace, ac Ædificiorum pulchritudine reddidisset) magna ex parte deformauit. *Dio. lib. 54.*

Hæ Priscæ per computationem ante Annos Christi salutares.

Post

Poſt Chriſti Seruatoris Aduentum, & Computum, Peſtilentia hoc ordine contigere.

Anno 69. Nerone imperante, Romæ Peſtis, crudelitate comitante, vno Autumno triginta millia hominum abſumpſit. *Sueton. in Vit. Neron. c. 39. Paul. Oroſ. lib. 7. c. 7.*

Anno 72. Hieroſolymæ a Tito Veſpaſiano obſeſſæ, æquè Bello, Fame, ac Peſtilentia vexatæ. *Ioſeph. Hebr. lib 7. de Bello Iud. c. 17.*

Anno 82. Roma iterum Contagium ſenſit. *Suet. in Vit. Tit. c. 8.*

Anno 141. Antonini Pij temporibus in multis Romani Imperij Prouincijs peruagata Peſtis, miſerandam, addita Annonæ Caritate, cladem exercuit. *Galen. in lib. de cib. bon. & mal. ſucc. & alibi.*

Anno 170. Italia penè tota, aduentu L. Veri è Babilonia, Contagioſo incendio tranſlato flagrauit. *Paul. Oroſ. lib. 7. cap. 15. Iul. Capitol. in Marc. & L. Ver.*

Anno 189. Imperatore Commodo, Romanæ Ciuitati Peſtis incommodauit, ſæuijtque immaniter, adeò vt ſingulis diebus duo millia hominum efferrentur. *Dio. lib. 72.*

Anno 216. Alia Peſtis Romam, Italiamque corripuit, Brutis etiam infeſta. *Heli. Cauriol. in Hiſt. Brix.*

Anno 255. Sub Gallo, & Voluſiano Imperatoribus atrox, & pertinax Peſtilentia Vniuerſum ferè Orbem per decennium depaſta eſt. *Paul. Oroſ. lib. 7. cap. 21. Eutrop. in Gall. & Voluſ.*

Anno 263. Alexandria Ægypti, ſub Gallieno, Fame, ac Peſte in immenſum laborauit. *Trebell. in Gall. & Spond. hoc Anno.*

Anno 308. Conſtantino Imperatore, in Amida Meſopotamiæ ſæuum exarſit Contagium. *Amian. Marcell. lib. 19.*

Anno 465. In Italiam Peſtilentia fœda incubuit, quæ nedum Agros, ſed etiam Vrbes, & Oppida euertit. *Hel. Cauriol.*

Anno 538. Exercitum Gothorum Romam oppugnantium Peſtis inuaſit. *Leonard. Aret. lib. 1. Hiſt. Got.*

Anno 543. In tota Inſubria, Liguria, & finitimis Regionibus, dira ſæuijt Contagionis vis. *Leonard. Aret. lib 2.*

Anno 544. Lues magna per Angelos malos immiſſa in Oriente graſſari cœpit. *Procop. de Bello Perſic. lib. 2. & Spondan. hoc eodem Anno.*

Anno 565. Iterum Inſubria, & Liguria Peſtilentia arſere, quo igne vniuerſa correpta flagrauit Italia. *Paul. Diac. lib. 2. cap. 4. & Spond. eod. Anno.*

Anno 589. Mauritio imperante, ſæuiſſimè bacchata eſt Romæ, & in Italia Peſtilentia. *Platin. in vit. Pelag. II. & Spondan. Anno*

eodem; Gregor. Papa III. Dial. 19.

Anno 608. Romam Pestilens Morbus vehementer afflixit. *Platin. in Vit. Bonifac. IV. & Spond. eodem Anno.*

Anno 615. Romæ, post horribiles Terræmotus extitit Pestilentia. *Platin. in Vit. Deodat. I. & Spondan. eod. Anno.*

Anno 618. Germaniam Pestis vexauit. *Georg. Agric. in lib. de Pest.*

Anno 680. In tota Italia, ac præcipuè Romæ grassata Contagio. *Spondan. hoc eodem Anno, & Platin. in Vita Agathon.*

Anno 709. Atrox Brixiæ, & in Vicinia sæuijt Pestilentia, nec erat, qui mortuum sepelire, ob penuriam, & periculum vellet. Itaque propinquis id munus demandatum, & quique suos sepeliebant. *Heli. Cauriol. in Hist. Brixien.*

Anno 717. Ingruente in Constantinopolim, & paulatim mirum in modum serpente Peste, tanta strages facta est, vt 300000. interierint. *Paul. Diac. lib. 6. cap. 47. & Spond. hoc ipso Anno.*

Anno 774. Ticini Fames ingens fuit, hanc, vt sæpiùs mos est, Pestilentia consecuta. Carolus Magnus Vrbem obsederat; Hinc Annonæ summa Caritas, & causa Contagij. Regnum tùm Longobardicum extinctum. *Spond. hoc eodem Anno.*

Anno 801. Italiam, & Galliam, & Germaniam Pestis depasta, ingentes etiam Terræmotus præcessetunt. *Georg. Agr. in lib. de Peste.*

Anno 964. Mediolani Contagium frequentissimam Ciuitatem ad paucos habitatores redegit. *Bernard. Cor. in Hist. Mediol.*

Anno 985. In totam Italiam Pestis incubuit. *Platin in Vit. Ioann. XV.*

Anno 1006 Vrbs Venetiarum nimio frigore in medijs aquis Pestilentia exarsit: *Io: Nicol. Dolion. Hist. Venet.*

Anno 1007. Italia laborauit crebris, & fœdis Contagijs; Bononiæ, & Mutinæ initio immaniùs sæuierunt, sed paulò post implorata SS. Senesij, & Theopontij ope, cessarunt. *Cherub. Ghirardaz. Hist. Bonon. lib.* 2.

Anno 1016. Pestilentia vniuersalis fuit, & præcipua per Italiam clade debachata est. *Platin. in Vit. Benedict. VIII.*

Anno 1065. Alia vniuersalis existit, Fame, & Sterilitate magna comitante. *Vinc. Franz.*

Anno 1098. in Germaniam pestilens Malum irruit, & ingentem stragem edidit, corrupto quippe Aere, Homines, & Pecudes interibant. *Georg. Agric. lib. de Pest.*

Anno eodem Christianorum exercitus Antiochiæ obsessus, Fameque, ac morbo penè consumptus. *Tyr. de Bell. Sacr. lib. 3. c. 11. & Spond. hoc eod. Anno.*

Anno

Anno 1119. Peſte Italiam depopulante, frigora, & calores, & Terræmotus intolerabiles extiterunt. *Vinc. Franz.*

Anno 1125. Germania inſolito, & nimio frigore correpta, quo Piſces torpuerant in aquis, & extra aquas putruerant, ex Contagio multa hominum millia amiſit. *Georg. Agric. lib. de Peſt.*

Anno 1126. & 1127. Generali Peſtilentia Europa penè tota laborauit, Fame, Belloque vbique enormi excitato. *Vinc. Franz. & Gratiol. Catal. de Peſt.*

Anno 1135. Inſubria, ſalubris alioquin Regio, propter ingentes calores Peſte ambuſta. *Gratiol. Catal. de Peſt.*

Anno 1167. Exercitum Friderici Ænobarbi peſtifer Morbus inuaſit, cum Romam aggreſſus eſſet. *Spond. hoc ipſo Anno.*

Anno 1193. Copiæ Henrici VI. Imperatoris Neapolim obſidentes Contagio deformatæ. *Tarcagn. lib. 13. par. 2.*

Anno 1218. Apud Damiatam Ægypti Vrbem, Gallicus Exercitus Peſtem paſſus. *Vitriac. Hiſt. Orient. lib. 3. & Ioan. Tarcagn. par. 2. lib. 14.*

Anno 1225. Bononiæ peſtilentes extitere Morbi, ijs pulchra Ciuitas deformata. *Ghirardaz. Hiſt. Bonon. lib. 5.*

Anno 1227. Romam, & Bononiam Peſtis vexauit. *Ghirardaz. Hiſt. Bonon. lib. 5.*

Anno 1231. Inundatio ingens Tiberis, Romanæ Vrbi Peſtilentiam inuexit. *Spond. & Platin. in Vit. Greg. IX. & Tarc. par. 2. lib. 14.*

Anno 1234. Inſubria, & Anglia, ob Aeris frigidiſſimi inclementiam Peſte inhorruerunt; Eridanus Rex Fluuiorum gelauit. *Sigon. de Regn. Ital. lib. 17. & Spond. hoc ipſo Anno.*

Anno 1254. Mediolanum moleſta, & longa Tabe afflictum fuit. *Hel. Cauriol. in Cronolog. Brix.*

Anno 1316. Septentrionales Europæ Regiones, Friſia, Germania, Belgium; Burgundia quoque, & Inſubria Peſte arſerunt. *Hel. Cauriol. in Cronolog. Brix. & Spond. Anno 1315.*

Anno 1335. Locuſtarum vis incredibilis atrocem Contagionem in vniuerſam penè Europam intulit. *Bern. Cor. Hiſt. Mediol. p. 3.*

Anno 1348. Vniuerſalis illa extitit Peſtilentia, quæ in Italia maximè ſæuijt, ac Romæ in primis graſſata, ingentem ſtragem edidit; Triennium durauit. *Io: Vill. lib. 12. c. 83. Matth. lib. 1. c. 1. & 2. Cantacuz. l. 4. c. 8.*

Anno 1360. Crebri, & magni Terræmotus in Germania, & Anglia Peſtilentiam præceſſerunt. *Georg. Agric. lib. de Peſt.*

Anno 1361. Mediolanum, & Parmam Contagium corripuit, & attriuit. *Bernard. Cor. Hiſtor. Mediolan. part. 3. & Matth. Vill. lib. 9.*

lib. 9. cap. 107. lib. 10. cap. 38.

Anno 1381. & 1383. Bononia, & circumiecta Oppida Peste infecta. *Ghirardaz. Hist. Bonon. lib. 25.*

Anno 1400. Multæ Italiæ Vrbes, ac in primis Florentia Peste conflagrarunt. *Boninsegn. lib. 4. & Hel. Cauriol. lib. 8.*

Anno 1423. Bononiam afflixit Labes mortifera, nec Viciniæ pepercit. *Ghirardaz. Hist. Bonon. lib. 29.*

Anno 1428. Romæ Pestis ex nimio Aeris ardore, Hyeme etiam absque frigore, grassata est. *Spond. hoc ipso Anno.*

Anno 1436. in Lusitania miseranda strages a Peste fuit, eaque Rex Eduardus percussus, suscepto ex Epistola Morbo, interijt Anno 1438., diù enim id Malum viguit. *Spond. hoc ipso Anno, & Marian. lib. 21. cap. 13.*

Anno 1438. Venetiæ Tabem contagiosam, sub Principe Francisco Foscario sunt expertæ. *Sabelic. dec. 3. lib. 6.*

Anno 1439. Brixia Vrbs obsessa a Mediolanensi Exercitu, Famem prius, ac Pestem subinde perpessa est. *Heli. Cauriol. lib. 10.*

Anno 1448. Tota penè Italia, & præcipue Insubria pestilentibus Morbis obnoxia fuit: Durauit Labes per biennium. *Ciaccon. in Vit. Nicol. V. & Platin. in Vit. eiusdem.*

Anno 1460. In pluribus Germaniæ locis Pestilentia insolita, Decembri Mense exorta, fortissimos viros abripuit. *Spond. hoc ipso Anno.*

Anno 1473. Sterilitas insolita Pestem induxit in Italiam. *Gratiol. Catal. de Peste.*

Anno 1476. Imbres, Inundationes, Tempestates in Italia, ac in primis Romæ Pestilentiam excitarunt. *Spond. Sixti IV. Anno 6.*

Anno 1478. Florentia cum magna Italiæ parte, Peste laborauit, Locustarum vis auxit calamitatem. *Marsil. Ficin. in lib. de Pest. cap. 2. & 3.*

Anno 1485. Italiam, Bella, & Contagia magnopere deturparunt. *Sabelic. dec. 4. lib. 3.*

Anno 1495. Cum numeroso Gallorum Exercitu Fames, Pestilentia comite, Neapolim est ingressa. *Paulus Iou. par. 1. lib. 4.*

Anno 1500. Angliam, & Italiam Inundationes enormes, & Contagia deuastarunt. *Spond. Alex. VI. Anno 8.*

Anno 1511. Constantinopoli, & Veronæ mortifera extitere Contagia. *Franc. Guicciard. lib. 10. Hist.*

Anno 1513. Crema Vrbs obsessa a Mediolanensibus, vexata est Pestilentia. *Franc. Guicciard. Hist. lib. 11, & 12.*

Anno 1522. vsque ad Annum 1524. Roma, & magna pars Italiæ

Peste

Peste flagrauit. *Iou. lib. 21. & Franc. Guicciard. Hist. lib. 15.*

Anno 1525. Insubria, iuxtà Ticinum, & Padum, ex Cadauerum multitudine in eos coniecta, Contagio laborauit. *Georg. Agric. lib. de Pest.*

Anno 1528. In vniuersam Italiam Pestis incubuit, & post Arma Borbonis grassata est, Auctoris iræ, ac furori similis, eius quippe Copijs imputata. *Iou. lib. 26. Hist. & Franc. Guicciard. lib. 19. Hist.*

Anno 1529. Vngariæ, & Germaniæ Pestilentia nocuit. *Mambr. Roseo lib. 2.*

Anno 1531. In Lusitania, Ioanne Tertio regnante, fœda Lues extitit, quæ multa Oppida, ac in primis Vlyssiponem deuastauit. *Spond. hoc ipso anno, & Pontan. de reb. memor.*

Anno 1555. Carolo V. imperante, & fines Galliç Copijs inuadente, Pestis orta, quæ, & Milites, & Incolas dira clade affecit. *Mambrin. Rosf. lib. 6.*

Anno 1572. In Germaniam, & præcipuè in Vrbem Augustam, irrupit Contagium. *Georg. Agric. de Pest.*

Anno 1575. 1576. & 1577. Siciliam, Venetias, Mediolanum, triennalis Pestilentia vexauit. *Spond. hoc ipso anno, & Mauroc. lib. 12.*

Anno 1591. Fames, & Epidemicus Morbus, in Vrbe sexaginta hominum millia absumpsere. *Spond. hoc ipso anno.*

Anno 1630. Magna Italiæ pars, circa Mediolanum, Bononiam, Venetias, Contagione percussa fuit, & perempta. *Andr. Taurell. de Pest. Ital. Marian. de Pest. Bonon.*


Anno 1647. In Hispania, Valentiæ nobile Emporium, per Contagium pestilenti morbo infectum, ex quibusdam Corijs ex Africa delatis, magnam cladem passum est, cuius adhuc recens nobis extat memoria.

Anno 1648. Idem Morbus totum Agrum Valentiæ depopulatus, Occidentem versus penetrauit, in Illicitani sinus, Alonam, Orcelas, Mellariam, nouamque Carthaginem, Hispalim, & Gades; illinc cum Hispanica Classe ad Occidentales Indias transfretauit; Orientem versus perreptauit, Tortosam, Barcinonem, Gerundam, & per vniuersam ferme Catalauniam, vbi Belli occasione maximam stragem edidit; ex qua, doloris hactenus, & lacrymarum, è superstitum animis, & oculis, perturbatio non excidit.


Anno 1650. Ex citeriori Hispania Pestis in Sardiniam traiecit, totumque illud Regnum integro quinquennio depasta est, extantibus vsque in præsens deploratæ miseriæ vestigijs.

Anno 1656. Neapolim Peſtilentia, ab Inſula Sardiniæ tranſuecta, ſerpendo, Romanam Oram, Genuam, ac nonnullas Italiæ partes penetrauit, nondum hodie penitus extincta.

Iam verò, ſi quis cauſam cur Italia potiſsimum, & Roma plus quàm reliquæ Orbis Prouinciæ, & Ciuitates, Peſtilentiæ obnoxiæ fuerint curiosè inueſtigare velit; Duplex ea altius indaganti occurret. Prima, quia Cœlum Regionis clementius, Aer craſsior, Solum mollius, & tota Temperies delicatior, humidiore natura, & Genio loci facilius admittit impreſſiones noxias, & citius corrumpitur. Altera, quia Italia opportuna, Terra, Marique recipiendis exteris Gentibus, vndique venientes excipit, quorum conſortio contaminantur Indigenæ, quibus Externorum bona, & mala ſunt communia: Niſi fortè Peſtilentia fulmini ſimilis altiora, & fortiora appetat, & percutiat; quam coniecturam frequentiſsimè, tàm priſcis Antiquę Romæ, quàm recentibus Nouę temporibus, inuadentes hanc Vrbem Peſtes, experientia confirmant. Cur autem nouiſſima hæc Vrbis Peſtilentia mitiſſima fuerit, non niſi peculiari Inſtituto in auertenda, & profliganda Peſte adhibito, poteſt adſcribi, quemadmodum quot hodie ſumus Superſtites in Contagio verſati, agnouimus.



CAP.



C A P. III.

A R G V M E N T V M.

PEſtis Anno 1656. vnde Neapolim delata; Quæ præcautiones ad eam auertendam in Vrbe adhibitæ, & quomodo Centumcellas, deinde Neptunium, mox Romam penetrauerit.

S V M M A R I V M.

1 *Peſtis è Sardinia Neapolim delata, & quomodo.*
2 *Peſtis Neapoli non agnita vulgari cœpit.*
3 *Commercium cum ea Ciuitate, eiuſque Suburbijs, Romæ illico ſuſpenſum.*
4 *Literas Neapolis ad Confinia Regni cautionibus excipi, & ad Vrbem extra Portam Cœlimontanam expurgandas deferri, prouiſum.*
5 *Peſtis Neapolis confirmata fama, Commercium cum eo Regno penitus interdictum, & vrgentiores cautiones quoad Confinia, Littora, & Portus præſcriptæ.*
6 *Congregatio ſelectiſsimorum Procerum, ad tuendam ſanitatem, de mandato Pontificis ſpecialiter inſtituta.*
7 *Confinijs, Oriſque maritimis Eccleſiaſticæ Ditionis, quatuor Prælati, vt cum ampliſsima facultate præeſſent, deſtinati.*
8 *Portæ Vrbis, quibus diligentijs cuſtoditæ.*
9 *Ex Portis Vrbis, quadam prorſus obturatæ, reliquæ verò ad ingreſſum, & exitum relictæ.*
10 *Portæ Vrbis, Sacræ Congregationis Cardinalibus diſtributæ, vt quiſque ſuam quotidie viſitaret, & quid cauendum iuberet.*

11 *Por-*

11 *Portarum Cura adhibiti etiam Prælati, ijsque, & cæteris Assistentibus propriæ Stationes assignatæ.*

12 *Viarum, Aquaductuum, & Cloacarum Expurgationi, ad euitanda Contagij fomenta, cautum.*

13 *Commercium, maritimis Hetruriæ locis, cum Neapoli, eiusque Regno adhuc communicantibus, suspensum, permisso tantum rerum Contagionis expertium, sub cautionibus, commeatu.*

14 *Pestis Centumcellas appulsæ delato ad Vrbem rumore, Commercium cum eo Oppido interdictum, & illinc Romam nuper Profectis, pro suspicione purganda, prouisum.*

15 *Quadragena ijs, qui Centumcellis ad Vrbem venerant, quibus in locis, quibusue cautionibus præscripta; eorum Præfectura Ascanio Riualdo Prælato commissa.*

16 *Pestis periculum maius a Neapoli, licèt remotiore, quàm a Centumcellis proximioribus, existimatum, & quarè.*

17 *Preces ad Deum, pro Vrbis præseruatione, indictæ.*

18 *Pestis Neptunium aggressæ nuncio Romæ accepto, Commercium cum eo suspensum, & in Suspectos, qui de recenti Vrbem aduenerant animaduersum, ijsdem loco ad Quadragenam assignato.*

19 *Pestis casus nonnulli in Vrbe detecti, a quibus processerint, & quæ diligentiæ adhibitæ.*

20 *Lœmocomia pro Infectis in Casaletto Pij V. nuncupato, & pro Suspectis in Cœnobio Sancti Pancratij extrà Vrbem, opportunè instituta.*

21 *Mendicantium concursus vetitus, ijsque quomodo prouisum.*

22 *Medicorum, & Chirurgorum discessus ab Vrbe prohibitus.*

1 
B Insula † Sardinia, Anno 1656. nouissimam prodijsse Pestilentiam, fama vulgatum fuit. Malefica Aeris constitutio, iam inde ab antiquis sæculis comprobata, suspicionem adauxit. Neapolitani Milites appulsi, ex Insula in eam Vrbem Pestem intulere. Et quamquàm cœperit nonnullos corripere, a mense nimirùm Martio, nec milites tantùm, sed etiam alios, quibus cum in diuersis Regionibus ij agebant, non fuit tamen iudicatum Contagium, contestantibus Medicis,
2 febres esse malignas, sed minimè pestilentes. Quare † vulgari paulatim Morbus, & grassari cœpit, adeò vt Maio mense apertè se, cum magna strage, prodiderit. Nec tamen adhuc sibi persuadebant

bant Medici, vel Magiſtratus, Peſtilentiam verè irrepſiſſe. Immò, ſi qui dubitare, ac timere cœperant, ij vulgò irridebantur, & quaſi meticuloſi, & malè ominantes, deſpiciebantur. Ità Lues impunè, ac vehementiùs ſæuiebat, nullo aut obſtaculo oppoſito, aut adhibito remedio.

Peruenit Nuncius Romam, quo tempore Alexander VII. Pont. Max. animi cauſa in Caſtro Gandulpho ad Lacum Albanum diuerſabatur, quò paulò ante Senis conuenerant, Marius Chiſius eiuſdem Alexandri frater, & Flauius ipſius Marij filius, & Auguſtinus Chiſius Auguſti defuncti, alterius Suæ Sanctitatis fratris, filius.

Accepto Nuncio Neapolitanæ Peſtis, de commiſſo ſibi Populo ſolicitus Alexander, Cæſarem Raſponum Prælatum a Secretis Sacræ Conſultæ Romam adire iuſsit, & de audito periculo certiorem facere Cardinalem Iulium Sacchettum, eidem Sacræ Conſultæ Præfectum, eundemque monere, vt ſuſpenderet cum Vrbe Neapoli, eiuſque Suburbijs Commercium tandiù, donec certiùs conſtaret natura Morbi ſæuientis, de quo adhuc ambigua
3 fama ferebatur. Quæ res illicò executioni mandata eſt, † vetito, ne quæ Perſonæ, Merces, Animantes, reſuè quæcumque aliæ venientes Neapoli, & ab eius Suburbijs, & Territorio, in Terras Eccleſiaſticæ Ditionis aſportarentur; neuè per illas tranſirent, ſub pœna Capitis, & Bonorum proſcriptione, & rerum conductarum iactura, ſiue propriæ trauſuehentium eſsent, ſiue alienæ. In quas item pœnas incurrerent omnes quicumque, & cuiuſcumque ſtatus, & conditionis eſsent, qui vllo modo concurrerent ad introductionem earum rerum prohibitarum, nulla perſonarum exceptione, quemadmodum in reatu læſæ Maieſtatis fit. Ad idque ſolemne Edictum conditum, tàm in Vrbe, quàm in alijs Eccleſiaſticæ Ditionis locis publicatum, ſicque euulgatum omnes prorſus adſtringeret, ac ſi ſingulis intimatum. Die Maij vigeſima editum fuit, ac promulgatum Edictum.

Ad finitimos Principes miſsi de Peſte Neapolitana Nuncij, vt ſibi
4 cauerent. † Ac ne per literas intraret Lues, prouiſum, vt ad confinium Regni propè Statum Eccleſiaſticum, Tarracinæ eſſent, qui Tabellarios, è Regno cum literarum Bulgis venientes, procul ſiſterent, & eas in deſtinatum locum conijcerent, hac diligentia, vt ijdem Tabellarij literarum Bulgas euoluerent, nexus ſoluerent, tollerentque ligamina, & dimiſſis dumtaxat literis, Neapolim recederent. Ij autem, qui mittebantur, oblongo, & adunco ferro literas traherent in alias nouas Bulgas minimè ſuſpectas, & has ritè obſignatas,



signatas, & equo vectas, deferrent ad Vrbem in locum condictum. Locus autem pro illis expurgandis erat Vinea quædam extrà, sed propè Portam Cœlimontanam, vbi in Domo ad id opus conducta, & parata, duo Religiosi ex ordine Ministrantium Infirmis, in eadem Domo ab omni commercio seclusi, Bulgas excipere, Literas extrahere, & diligenter purgare deberent, ea ratione, quæ in peculiari Instructione præscripta erat.

Publicato Edicto suspensionis Commercij, & Expurgationis Literarum Neapoli aduenientium, grauiter doluit Orator Hispanus; quòd negaret ea in Vrbe Pestem adesse, & ægrè ferret sine causa Ciuitatem notari, & excludi Commercio. Verùm euentus probauit Summi Pontificis Alexandri prouidentiam, aucta in dies magis fama Contagij, eamque alijs, atq; alijs subinde Nuncijs confirmantibus. Quarè noua solicitudo orta est de cauenda vicina Pestilentia. Duo proinde Edicta die 22. Maij, quasi Classica, super tuenda
5 salute edita, & palàm affixa. In primo cautum, † ne cui, vel Homini, vel Bestiæ, vel Mercimonio, vel Epistolæ, quæ è Regno ad Ecclesiastici Status fines transiret, aditus permitteretur, neuè cuiquam, aut Cauponi, aut Vinitori, aut Custodi, aut cuiuslibet conditionis homini, liceret vlla ratione, aut excipere, aut iuuare, aut vllum habere cum huiuscemodi personis Commercium, rebusue eorum contractum, & Mercaturam. Iussum præterea Terris finitimis, & præcipuè Maritimis, vigilare, & speculari, ne quid Terra, Mariue, suspectum aduceheretur: ad idque Excubiæ Portis destinatæ, Portus custoditi, moniti Nauicularij. Ac vt ea diligentia communis esset, imperatum Dynastis, & Dominis Oppidorum, tùm Terrestrium, tùm Maritimorum, vt eandem curam in auertendo Morbo, & tuenda Sanitate seruarent. Hæc summa Primi. In secundo Edicto præceptum omnibus, & singulis Præfectis Arcium, & Portuum Oræ Maritimæ, a Tarracina Montaltum vsquè, eiusque Territorium, ne quod Nauigium, cuiusuis Gentis, & Prouinciæ, etiam non suspectæ, ad ea Littora, Portusque appellere sinerent, exceptis quatuor Tarracina, Neptunio, Flumicino, Centumcellis, quibus Officiales Sanitatis, Sacra Consulta præesse voluit: Littora insuper custodiri, ne quis, per modum etiam transeuntis, eò diuerteret.

Reuerso è Castro Gandulpho Romam Alexandro, de mandato
6 eiusdem, potissima † Congregatio selectissimorum Procerum est instituta, ad tuendam Sanitatem, & Pestilentiam auertendam. Ij erant Cardinales Franciscus Barberinus, Iulius Sacchettus, Federicus Sfortia, Camillus Astallius, Laurentius Imperialis, Gilbertus Borromeus, Ioannes Carolus Mediceus, Federicus de Hassia, Decius

Azzoli-

Azzolinus: additis ex Prælatorum numero Inſignioribus, Gubernatore Vrbis, Auditore Cameræ Apoſtolicæ, Generali Theſaurario, Palatij Apoſtolici Præfecto, & a Secretis Status. Adiuncto inſuper Aſcanio Riualdo Prælato, qui mandata Congregationis exequi curaret: Omnes virtute, prudentia, & experientia rerum præclari, vt toti Reipublicæ, cum ſuprema poteſtate præeſſent; Adlectis præterea, Conſeruatoribus Vrbis, & Capitolij Fiſcali, propter notitiam rerum Vrbanarum. Toti verò Congregationi præpoſitus fuit Cardinalis Sacchettus, a Secretis verò idem Raſponus.

Congregatione habita, viſum è Republica, vt quoniam a Neapolitano Regno, tùm Terra, tùm Mari, maximè cauere oportebat,
7 deſignarentur † quatuor Commiſſarij è numero Prælatorum, qui Confinijs, Oriſque Maritimis Status Eccleſiaſtici, cum ampliſſima facultate præeſſent, & in quocumque caſu, euentuque, de opportuno remedio prouiderent. Hi fuerunt Carolus Robertus Victorius Romanus, Auguſtinus Franciottus Lucenſis, Laurentius Corſius Florentinus, Claudius Marazzanus Placentinus; ſic diſtributis Regionibus; Carolo Roberto, a Nurſia vſque ad Campaniam; Franciotto, a Campania Tarracinam vſquè; Corſio, ab Antio ad Palum; Marazzano, a Palo ad Montaltum. Poteſtas omnium ampliſſima fuit, vt poſſent vſque ad proſcriptiones Bonorum, & Capitis pœnam, contra delinquentes ſuo arbitratu procedere. Ad idque Diplomata Apoſtolica ſingulis data.

Quin etiam, per literas iniunctum a Sacra Congregatione ſingulis Gubernatoribus Vrbium, & Oppidorum Eccleſiaſticæ Ditionis, Neapolitanum Regnum, & Mare Adriaticum versùs, vt diligentiſſimè cauerent, ne ex eo Regno quidquam admitteretur. Ac vt ac-
8 curatior eſſet cautio, præter Commiſſarios ſingulis † Portis deſtinatos, & Cuſtodias militum iniunctas, viſum eſt è Republica, vt earum claues apud Conſeruatores Vrbis cuſtodirentur, ac eorumdem præſcripto manè, & veſperi aperirentur, & clauderentur. Eorumque vnus ſemper in Capitolio moraretur, ibique pernoctaret, ad recipiendas, & reddendas ſuis temporibus claues. Præterea mandatum, vt duo Nobiles quotidie Portarum cuſtodiæ aſſiſterent; alter matutinis, alter veſpertinis horis, quorum ille claues a Conſeruatore ad Portam aperiendam recipere deberet; hic, vbi clauſa eſſet, reſtituere; cura verò deſignandi duos illos Nobiles ad Conſeruatores ſpectabat. Et quoniam magnus eſt Vrbis Portarum nu-
9 merus, expedire viſum, † aliquot obſerari. Hæ autem fuerunt Portæ, Collatina, Collina, Exquilina, Præneſtina, Capena, Latina, Fabrica, Pertuſa, Ælia. Nec clauſæ tantùm, ſed etiam prorsùs ob-

turatæ

turatæ,& Muro inducto obcœcatę.Reliquæ,nimirum Flumentana, Viminalis, Cœlimontana, Trigemina, Naualis, Ianiculensis, Posterula, Angelica, quæ ad ingressum, & exitum Externorum, & Ciuium,& ad publicam vtilitatem opportuniores videbantur, apertæ relictæ. Et vt intentior cura esset, constaretque quantum momen-
10 ti in ea Portarum custodia poneretur, † singuli Sacræ Congregationis Cardinales distribuerunt inter se Portas, ea lege, vt vnusquisque suam quotidie visitaret, ac recognosceret, & quid agendum, quid cauendum esset, prospiceret, ac iuberet. Sumpsit sibi Portam Flumentanam Cardinalis Sacchettus Sacræ Congregationis Præfectus, Trigeminam Cardinalis Barberinus, Viminalem Cardinalis Sfortia, Cœlimontanam Cardinalis Astallius, Angelicam Cardinalis Borromeus, Equitum Expeditorum Cardinalis Laurentius Imperialis, Naualem Cardinalis Io: Carolus Mediceus, Ianiculensem Cardinalis Azzolinus. Et quoniam paulò post Cardinalis Io: Carolus Mediceus Roma Florentiam secessit,& Cardinalis Barberinus, pro sua eximia pietate, ac singulari diligentia,multis alijs curis, & muneribus operam dabat, Portæ Naualis curam suscepit Cardinalis de Hassia, & Trigeminæ Cardinalis Petrus Othobonus, qui paulò ante in Vrbem ab Episcopatu Brixiæ conuenerat, illicò, ob eius summam prudentiam, in Sacram Congregationem cooptatus.
11 Ac vt diligentior cura † Portarum foret, Cardinales adhibuerunt etiam Prælatos, qui eorum loco Portis præessent. Animaduersum quoque,ne aditus Portarum omninò paterent,sed Cancelli adhiberentur, quibus adductis, & reductis, cautiùs continerentur exeuntes,& reciperentur intrantes. In commoditatem verò Assistentium, tres Domunculæ ligneæ iuxtà singulas Portas sunt extructæ, altera Prælato, ac duobus Nobilibus assistentibus, altera Commissario, tertia Militibus assignata.

Et quoniam sordes,& feces fomenta sunt Contagij, Aeremque
12 fœtore corrumpunt,iussum † purgari vias,& compita, & semota a publico loca. Vetitumque, ne quis Pannos detritos, erososque Centones, Paleas, & Stramenta putrida, Canes, Feles,aliosque animantes mortuos in vias proijceret. Iniunctum, vt Aquæductus mundarentur, & expeditiores redderentur Cloacæ; illi ne aquas lentore detinerent, quæ tarditate putrescerent; istæ, vt expeditiùs admitterent,& euoluerent sordes, ne hærerent, Aeremque graueolentia inficerent. In eam rem salubre Edictum die 26. Maij propositum.

Comperto, Neapolitanæ Vrbis Commercium adhuc continuari per totum Regnum,nec ab eo abstinere loca quędam Hetruriæ, nimirum

nimirum

mirum Cossam, vulgò Orbirellum, Portum Herculanum, Thelamonem, Sanctum Stephanum, Plumbinum, & Iluam Insulam. Pro-
13 dijt Edictum die 27. Maij, quo † suspensa etiam cum ijs communicatio, donec de omnium huiusmodi locorum salubritate certus nuncius afferretur, constaretue de interrupto cum Neapolitana Vrbe Commercio; permisso tamen Commeatu rerum, ac Mercium Contagionis expertium, nempe Pecudum, Frugum, Vini, ac Aromatum, quæ tamen non inexploratò, nec sine debita cautione admittebantur.

Interea, dum hæc peraguntur, dum vbiq; locorum diligentissimè vigilatur, ne vlla Contagioni rima pateret, rumor, nec inanis fuit, Centumcellis in Xenodochio duos repertos fuisse de Peste suspectos: Eius mali initium tale fuit. Neapolitana Ciuitate iam infecta, sed adhuc occulta Lue, Triremes Pontificiæ sese in illius Portus claustra receperant. In ijs, cum paulò post Centumcellas reuertissent, Gregarius Miles æger erat, sed sine vlla Contagij suspicione. Is expositus, & in Nosocomium B. Ioannis a Deo delatus, vt ibi de more curaretur, quinta die obijt, asserente Medico, ex febre maligna venereo superaddita morbo. Per hunc verò Lues incognita obrepsit, quæ die 13. Martij corripuit eiusdem Nosocomij Valetudinarium Religiosum, Siculum natione, Angelum Ferrugium nomine, quem decumbentem Medicus inuisens die 13. Maij, signa quædam Contagij in ipso deprehendit, cumque ea diligenter obseruasset, & Morbus in dies deterior fieret, Pestem esse dubitare cœpit, quam procedente die Bubones circa inguina erumpentes, & papulæ liuidæ post illius mortem, quæ consecuta est die 18. eiusdem Mensis, è cadauere prodeuntes, certam, & indubitatam reddiderunt; sed Medicus prædefuncti Militis Morbo deceptus, adhuc sibi constans, Medicum Triremium in suam traxit sententiam, hunc vnicum esse dubium Pestis euentum, vtroque existimante, casui sæpè assignandum. Verum octo post dies, Maij 26. in eodem Xenodochio alter eiusdem Instituti Laicus Frater, Stanislaus Germanicus nomine, simili correptus est Morbo, ex quo duos item contraxit Bubones, alterum sub axilla sinistra, alterum propè inguen dextrum, qui prodidere Luem, qua demum, tertia a decubitu die, ea fuit 28. Maij, extinctus decessit. Eo casu perculsi Medici, nunciarunt, Præfecto Triremium primùm; deindè, ex præscripto, Nuncios de eo Romam miserunt. His acceptis maior solicitudo Patribus Congregationis incessit ex Morbi vicinia. Igitur illicò iussum, Triremes, vti suspectas soluere ab eo Portu, & in maritimas Oras abire, vt purgarentur, & a Centumcellis maius infectionis periculum amouerent,

G eius-

14 † eiusque Oppidi Commercium interdictum, promulgato Edicto die 29. Maij. Postridie alterum editum, eoque imperatum, vt quisquis Centumcellis, post diem Maij vigesimam, Romam venisset, is cum tota familia, & rebus comportatis se sisteret coram Commissario Sanitatis ad Ripam residente, sub pœna Capitali, & Confiscationis bonorum; Quiue eorum aliquem Domi retineret, vel rerum eius apud se haberet, illicò eidem Gubernatori, sub eadem pœna, denunciare teneretur, nullius facta exceptione, cuiuscumque demum conditionis, aut nationis esset persona.

In quo mihi pro Fratre meo Marchione Benedicto Gastaldo dolendum fuit. Illi enim, cum recens vxorem duxisset Ioannam Senatoris Lepidi Inureæ filiam, cupido incesserat petendi Vrbem. Vectus igitur cum Vxore, & numerosa familia Triremi Ducis Auriæ, a quo commodatam habuerat, appulit Centumcellas, indeque terra profectus, Romam venit, vbi per aliquot dies ipse, & Vxor salutationes, & gratulationes de more receperant. Sed ob eam suspicionem oportuit Roma exire cum tota familia, eorumque conuecta supellectili, Vrbemque a suspicione mali, vel suo incommodo liberare. At ij non grauatè paruerunt, & migrarunt in locum Quadragenæ illis a Sacra Congregatione assignatum. Is fuit Villa Ducis Parmensis ad Montem Marium, additaque est illi iusta Militum custodia, suis stipendijs alenda, vbi aliquandiù morati sunt, donec haud multis decursis diebus, idest a 31. Maij vsque ad 10. Iunij, ex decreto Sacræ Congregationis liberi, & immunes a Contagio declarati in Vrbem redierunt. Diligentia hæc obseruata potissimè, vt Populo rigoris metus incuteretur, ac summus imprimeretur cœteris timor.

Pro alijs personis tùm Ecclesiasticis, tùm Laicis, quæ Centumcellis a suspecto die in Vrbem venerant, & in dies aduentabant,
15 † pro suspicione purganda destinata fuit Vinea quædam commoda extrà Portam Naualem, cui (quoniam minùs, quàm pro numero capax erat, ac in primis Religiosorum modestiæ, ac fœminarum honestati consulere oportebat) aliæ postmodum sunt adiunctæ. Verùm, crescente multitudine commeantium, necesse fuit ampliorem Domum assumere; Ea fuit Villa opportuna situ, quæ vulgò Casalettum Pij V. appellatur, Prædium hodie Equitis Ornani natione Corsi in confinio Vrbis, prope quod, illac venientibus in Vrbem transitus erat, siue per Portam Naualem, siue Ianiculensem, siue Posterulam, quæ leuis Armaturæ Equitum dicitur, ingressuri essent: illud ue modico flexu prætereucti vitabant. Intùs distributa Conclauia suis spatijs pro Viris, & Fœminis, ac Religiosis

gioſis interdiſtincta, pergulæ ductæ, tabulata immiſſa, triclinia ſtrata, lecti compoſiti, aquarum diuortia facta, omnia ad habitandum commodè comparata; appoſita modica cuſtodia Militum ad cautionem, & præpoſiti Commiſſarij, qui ſua munera, vti cuique imperatum erat, obibant. Loci totius Præfectura Aſcanio Riualdo Prælato commiſſa, ad quem Ciborum, aliarumque rerum prouiſiones, & expenſæ è Cameræ Apoſtolicæ Ærario nulla parſimonia, & cautionibus præſcriptis faciendæ ſpectabant.

Munita, & parata ex hac parte aduerſus Centumcellenſe Contagium Vrbe, Sacræ Congregationis cura Neapolim verſa eſt; Duæ enim Regiones in primis erant, a quibus cauendum; Centumcellarum vna, Neapolis altera: illa vicinior, hæc longinquior; ſed minus
16 † periculum fuit ab ea, quæ propiùs erat, quàm ab ea, quæ longiùs diſtabat. Etenim, non ſicut ab incendio, ita a Contagio cauendum. Ignis nonniſi vicina corripit, & continenter ſerpit, nec remota ſaltu attingit: Contagium per Commercium tranſit, & a vicinis abſtinet, & fertur in longinqua, quò tendit. Quare Centumcellarum Regio, quòd exigua, & infrequens, & natura inops, & ſterilis, quantùm vicina ſitu, tantùm a ſocietate remota erat, ac proinde vix Contagio commercij cauſa nocere Romæ poterat, a qua prorſus pendebat, cuius ope, ac opibus indigebat. At Vrbs Neapolitana, nobilis, frequens, abundans, commeatui Terra, nauigationi Mari opportuna, cum Vrbe Roma Commercij nexu copulata, vicinior propter multiplices vſus, & fructus Mercimoniorum, quæ mutuo fieri ſolebant, & pronior ad Contagium videbatur, vincente Commercio diſtantiam loci. Angebat ea cura vehementer Pontificem, quòd propter frequentiam, & opes Ciuitatis illius Commercium haud facilè vitari poſſet, ac minor in ea cuſtodia, maior licentia exeuntium, aditus in Statum Eccleſiaſticum Terra, Marique plures, & opportuniores. Itaque maius inde timeri periculum, quod imminebat. Ad Deum igitur præcipuè conuertenda cogitatio, ab eoque impetrandum remedium. Quamobrem Edictum Religioſum pietate plenum publicatum. Summa illius erat, vt ſin-
17 gulis diebus, Veſperi, in omnibus Vrbis Templis † Litaniæ, & Preces peculiares Typis editæ palam recitarentur, ac in Miſſis quotidianis Oratio propria pro euitanda Mortalitate a Celebrantibus adijceretur; Iis, qui precibus interueniſſent, aut Domibus proprijs eas priuatim recitaſſent, Indulgentijs decem Annorum, & totidem Quadragenarum conceſſis. Hoc Edictum die 2. Iunij emanauit, eoque animi magnopere confirmati.

18 Paucis poſt diebus, cum fama euulgaretur, † Neptunij loco maritimo

timo grauiores solito morbos reperiri, & certi famam Nuncij confirmarent: visum est Sacræ Congregationi Commercium Oppidi suspendi oportere. Iraque Edicto cautum, vt quicumque ab eo Romam post diem octauam Iunij venissent, omnes ij sub pœna capitis, & Bonorum, coram Commissario Ripæ statim comparerent, resignarentque res, quas secum attulisent, quid super eo imperatum executuri. Iunij 14. die vulgatum Edictum. Indeque, explorata eorum Morborum causa, compertum, illud, quod maximè timebatur euenisse, nimirum Contagium Neapoli eò delatum a personis, quæ ad vicinam Turrim Sancti Laurentij, ante Interdictum Neapoli Commercium, cum cymba appulsæ Neptunium se receperant; idcircò ab illa quoque Turri, alijsque adiacentibus locis magno studio præcautiones adhibitæ, & eis Commercium penitus ademptum.

Quoniam verò augebatur quotidie numerus venientium ad Vrbem ex locis suspectis, nec satis erant Villæ assignatæ, nec Casalettum sufficiebat; necesse fuit nouum Domicilium quærere pro ijs, qui Quadragenam acturi erant. Nullum visum opportunius, quam Cœnobium Sancti Pancratij Vrbi proximum ad eam Portam, quò Commeantes facilè confluerent, & vbi commodè habitarent. Igitur ea sedes constituta, & ad vsus necessarios accommodata, adhibita idonea Militum, qui excubarent, manu, & præposito Commissario, qui rem curaret in posterum, & eidem Ascanio Riualdo obtemperaret.

Verum tota Ciuitate ad cauendam Pestilentiam intenta, ecce
19 † in Nosocomio Sancti Ioannis ad Lateranum quidam Miles Neapolitanus æger eò delatus penè de repente moritur; cumque Cadauer diligenter ob suspectionem exploraretur, signa quædam Contagij apparuerunt. Quare subitò ex præscripto Sacræ Congregationis lectus, in quo iacuerat, combustus, & qui ei astiterant decumbenti, retenti, & separati: quæsiti verò ij, a quibus ad Xenodochium fuerat deportatus, sed nullo modo inueniri potuerunt. Idcircò creuit timor, quòd delatores morbi, qui iam in Vrbem ea parte irrepserat, vitari non poterant, omninò ignoti. Auctus insuper ex alia Regione metus; nam in diuersorio Ripæ ægrotus alter externus, infectus ea Lue repertus fuerat, & in Transtiberina Regione fœdior euentus contigerat. Adolescens quidam Piscium venditor ex Neapolitana Vrbe, Romam ante interdictum Neapoli Commercium appulsus, in Caupona febrim contraxerat, ex qua decumbens ad Nosocomium Insulæ Frattum Sancti Ioannis a Deo (Colabitæ dicuntur) delatus, qui primùm ob suspicionem exclusus,

ſus, deinde ob importunitatem receptus eſt. Sed mors paulò poſt ſecuta probauit Contagium. In eodem diuerſorio vxor Cauponis grauida, ex febri aborta eſt, & die poſtera deceſſit. Huius item mater, quæ biduo filiæ ægrotanti aſſederat, paulò poſt animam exhalauit. Addita eſt tertia mors; ſoror vxoris Cauponis, quæ ſimul cum matre curationi adfuerat, poſt diem quintam defuncta eſt: In hac manifeſta deprehenſa ſunt Peſtis indicia.

Hi caſus prodidere Contagium, & auxere metum, & metus
20 prouidentiam. Decreuit itaque Congregatio, † vt ij Quadragenarij, qui in Caſaletto Pij Quinti morabantur, ad Sancti Pancratij Cœnobium transferrentur; ipſum verò Caſalettum in Lœmocomium pro infectis accommodaretur. Illicò factum, & vti opus erat diſtinctè pro Viris, & Fœminis, ordinatis Cubiculis, lectis, & alijs idoneis rebus comparatis, Medicus, Chirurgus, & Pharmacopola introducti, ac in primis animarum cauſa Confeſſarius Alexander Marinus Theatinus, Patritius Genuenſis, Vir multarum virtutum, qui ad id munus obeundum cum ſocio Laico, ſingulari pietate, Sacræ Congregationi ſe obtulerat. Nec ſegniùs venerunt quatuor Capuccini, qui Deo ſe pro curandis, & iuuandis Infirmis deuouerunt. Eidem Alexandro Marino totum Lœmocomij gubernium interius, tàm in temporalibus, quàm in ſpiritualibus commiſſum fuit.


21 Quoniam verò † concurſus pauperum mendicantium magis propagat Contagium, & ij Romæ multos in locos ſine delectu conueniunt; interdictum eſt illis, ne ad Scalam Sanctam, quò maior turba ſolet concurrere, & ad Laterani vicinia ſtationem haberent, exceptis quæritantibus pro inualidis Sancti Sixti pauperibus, quibus pro eorum egeſtate à Fidelibus latiùs, & vtiliùs erogarentur eleemoſinæ. Exijt in eam rem Edictum die 20. Iunij; illiuſque executio Præfecto Romani Satellitij, & Miniſtris Vicariatus Vrbis demandata. Alterum adiunctum Edictum, vt omnes mendici certa die, & hora ad Porticus Sanctæ Franciſcæ Romanæ in Foro Boario, conuenirent, & ibi examinarentur, ijſque tantùm, qui verè inopes, & inualidi iudicati, Syngrapham publicam Typis impreſſam obtinerent modum quæritandi præſcribentem, deinceps mendicare liceret, aliter nemini; cæteris verò validis, ad laborandum in Salinis, vel ad alia opera ſpontè nolentibus ſe conferre, decerneretur Hoſpitium Sancti Sabæ pro Viris, & Sancti Iacobi pro Fœminis. Præfectura vtriuſque commiſſa ad id ſpecialiter deputatis, quorum mandatis obtempera-
22 re deberent. Poſtera die, alio Edicto cautum, ne quis † Medi-

H corum

corum; aut Chirurgorum, aut Phlebotomorum Roma exiret ſine licentia obtenta ab Vrbis Gubernatore, & Edictum publicis locis affixum ea lege, vt perindè eſſet affigi, atque ſingulis intimari, pœna capitali propoſita, ſi quis contrauenire auderet.



CAP.



C A P. IV.

A R G V M E N T V M.

PEſte per Vrbem ſerpente, nouæ prouiſiones adhibitæ. Auctor Lœmocomiorum Commiſsarius Generalis electus. Lœmocomium pro infectis magis opportunum in Inſula Sancti Bartholomæi inſtitutum, & Tranſtiberinæ Regionis partem infectiorem a reliqua Vrbe ſecludi conſultum, & quomodò executioni mandatum, aliaquè ad maiorem præcautionem decreta.

S V M M A R I V M.

1 *Peſte in Vrbe creſcente, ſuſpectos proprijs Domibus claudi ab omni Commercio ſegregatos, ſchedula cum verbo SANITAS ad Fores appoſita, infectos verò ad Lœmocomium deferri, decretum.*
2 *Ægrotos, Notarijs in ſingulis Vrbis Regionibus deputatis, denunciari iuſſum.*
3 *Sandapilarijs quempiam, inconſulto Aſcanio Riualdo Pralato, ſepelire vetitum.*
4 *Lœmocomiorum Commiſſarius Generalis Auctor electus.*
5 *Lœmocomium nouum pro infectis in Inſula Sancti Bartholomæi inſtitui deliberatum.*
6 *Inſulæ incolis, & Fratribus Cœnobiorum Beati Ioannis a Deo, ac Sancti Bartholomæi aliò tranſmigrare iuſsis, quomodò prouiſum.*
Tranſtiberinæ Regionis partem infectiorem ſecludi conſultum, idque ſpatio vnius noctis celerrimè factum.

Clau-

8 *Claustrum Cancellis ad vsum Portæ Militum custodia cum duobus Clauigeris munitum, & curæ Opitij Pallauicini Prælati Genuensis commissum.*
9 *Claustrum, instar Ciuitatis seorsum constructum, titulo Gubernatoris ingressus Octauius Roncionus Prælatus Romanus, cum amplissima in temporalibus, & spiritualibus facultate.*
10 *Claustri habitatores, qui aliò commigrauerant, denunciari cautum.*
11 *Tribunalia suspensa ad euitandum pro sanitate, Populi conuentum, nonnullis dumtaxat exceptis.*
12 *Cardinalis Barberini pietas in Transtiberinum Populum.*
13 *Claustri incolis, ob nouos pestilentiæ casus emergentes, accuratiùs consultum.*
14 *Lœmocomium Insulæ Sancti Bartholomæi quomodò clausum, & quo ordine infectis, eiusque ministris distributum.*



1 Erpente iam per Vrbem Lue, nec suspectorum numerum Cœnobio Sancti Pancratij satis ferente, visum expedire, vt si plures casus contagionis occurrerent, † suspecti proprijs in domibus clauderentur, apposita foribus schedula cum verbo SANITAS, patentibus characteribus, Typis expressa, vetitumque seuerè domi clausis, ne exirent, nec quidquam indè exportari sinerent, ac nè quis externus introgrederetur, neuè cum habitantibus ageret, capitali proposita transgressoribus pœna. Iniunctum Prælato Ascanio Riualdo, (cui Lœmocomiorum, & cæterarum, quæ ad Sanitatem pertinebant, rerum cura imposita fuerat) vt Cibaria, & alia esculenta, & poculenta in victum quotidianum affatim, etiam domi clausis, ministraret; ac insuper, vt curaret claudi diligenter domos, quæ per Vrbem suspectæ deinceps inuenirentur, & qui intra eas Contagio laborarent, ad Lœmocomium Casaletti sinè mora exportari iuberet.

2 Ac ne quis occultaretur casus Pestilentiæ, & de omnibus suspectis, & infectis, quicumque ij essent, constaret, statutum, † vt singulis Regionibus suus assignaretur Notarius, a quo exciperentur, & scriberentur Ægroti, atque eo comperto habitantes, & vicini, vbicunque, aut Domus, aut Monasterium esset, obligarentur ad deunciandum Notario, quisnam, & quo in loco foret ægrotus, ac ne permitteretur ex eo quidquam extrahi, aut exportari, si per decem dies ante Morbus contigisset; ab eo enim tempore suspecta omnia

nia habebantur. Iniunctum quoque Parochis, & Vicarijs Eccleſiarum, vt eiuſdem rei Notarios facerent certiores, quàmuis ſci-
3 rent iam eſſe præoccupatos, ac vetitum, ne † Sandapilarij, & Foſſores vllum Cadauer, inconſulto Prælato Riualdo, ſepelirent. Edictum expeditum die 20. Iunij.

Verùm, quia memoratus Aſcanius Riualdus grandæuus erat, eumque, præter annos, multiplex cura, labor, operaque continua grauabant; & quia in ea opinione erat, malum, minùs, quàm vulgò putabatur, perniciosum eſſe, ac proindè remiſſiùs aliquantò, quàm oportebat, ſe gerere videbatur, illumque in eam ſententiam Medici quidam compulerant; viſum è Republica fuit, alium Prælatum eligere, cui mandaretur cura Lœmocomiorum, eo item adiecto, vt idem vigilaret, ne quà malum ſerperet per Vrbem. Ad id
4 munus ſanè arduum, Pontifex † me delegit, ac in Sacram Congregationem Sanitatis cooptauit, varijſque cumulauit gratijs, & honoribus, expreſſis in literis ad me datis a Cæſare Raſpono a Secretis die 22. Iunij Anni 1656. Hac rationabili occaſione diuiſum eſt onus inter Prælatum Riualdum, & me; ità vt, ille præeſſet Domibus, & Cœnobijs Religioſorum, & Monialium, quæ plura ſunt in Vrbe, ijſque prouideret; Ego cœtera curarem, atque adeò Lœmocomijs præſiderem, & conſulerem; ac quò maiori auctoritate procederem, die 28. Iulij Diploma honoratium per Literas Apoſtolicas, in forma Breuis, fuit mihi expeditum, in quo Pontifex declarauit, ſe motu proprio ad illud me munus elegiſſe, & Lœmocomiorum Commiſſarium Generalem deputauit, cum ampliſſima, ſuper adminiſtratione muneris, poteſtate; vt, quæ opus eſſent, ea meo arbitratu ad punitionem vſque, contrà bonum Sanitatis delinquentium, pro communi vtilitate, gererentur.

Vulgabatur nihilominùs in Tranſtiberina Regione Contagium Ripam versùs; & incipiente in Regionibus citrà Tiberim graſſari Lue, ac omninò deprehenſa in Platea Ducis Cæſarini (in qua quidam habitabant, qui communicauerant cum habitatoribus Regionis Tranſtiberinæ) è Republica eſſe Sacræ Congregationi vi-
5 ſum fuit, † nouum, & amplum Lœmocomium fieri ad receptaculum infectorum totius Ciuitatis, vbi ſpatium, & commoditas eſſet habitationis pro Viris, & Fœminis ſeparatæ. Omnibus locis circumſpectis, nullus opportunior iudicatus fuit, quàm Inſula Sancti Bartholomæi ſuprà Fluuium in medio Pontis quatuor Capitum, ad Senatorium Pontem ſita, in qua ſcilicèt erat Cœnobium Patrum Minorum Obſeruantium, & Noſocomium Fratrum B. Ioannis a Deo, ac prætereà Domorum multitudo, & in primis vna ca-

pacissima, idonea ad fœminarum habitationem, quòd seorsum à reliquis esset ædificata. Accedebat commoditas Fluminis circumfluentis,& Aquæductus suprà Pontem decurrentis, per quem aqua Sancti Petri Montorij per occultos canales citrà Tiberim in Vrbem deriuatur. Ex huiusmodi aquarum abundantia multiplex vsus, ac pernecessarius oriebatur; nam, & ad lauandos pannos,& vestimenta, & sordes deuehendas mirè conducebat. Insuper claudi, & obstrui poterat Cancellis ad initium Pontis quatuor Capitum, & ad aliud initium Pontis Senatorij,ac omninò intercludi Commercium Regionis Transtiberinæ,& reliquæ citrà Tiberim Ciuitatis.

Igitur cura redigendi Insulam ad formam Lœmocomij mihi demandata. Et quidem res ipsa exigebat,nam paulò antè Neapolitanus quidam ex Nosocomio Fratrum Sancti Ioannis a Deo susceptus,
6 ex Contagio decesserat: & captata occasione compulit † Fratres, intrà spatium vigintiquatuor horarum, locum mutare, & in aliud eiusdem Ordinis Cœnobium migrare, cui nomen est Sanctæ Mariæ a Sanitate: probandi quippè erant in Quadragena, relictis tantùm in Nosocomio Fratribus nonnullis ad curandos ægrotos necessarijs, qui alioqui de Contagio suspecti habebantur. Posteà cæteri Incolæ eius Insulæ iussi Domos suas relinquere, & ad Vrbem, & vicinas Regiones (assignatis ijs ad commodè habitandum Domicilijs) transire. Quin etiam Fratres Sancti Bartholomæi sese in Cœnobium Aracœlitanum receperunt, ijs tantum exceptis, qui ad seruitium venientium ægrotorum necessarij videbantur.

Dum Insula parabatur, & Lœmocomium firmabatur, ac rebus ad eos vsus necessarijs instruebatur, crescebat in Transtiberina Regione,in loco qui dicitur Mons Florum,Ripam versus, Contagium, & fama erat exinde in alia Vrbis loca irrepsisse. Quare iudicatum
7 fuit a Sacra Congregatione † totum illum locum infectum separandum, & muro ducto obstruendum, ne inde Lues manare foras posset. Commissa rei arduæ, ac difficilis, Prouincia Cardinalibus Barberino, Imperiali, & Lanrgrauio, qui expensa priùs, & ponderata natura, & spatio loci claudendi, & separandi, illicò impetarunt, vt colligeretur ingens vis lignorum, & trabium, & operæ adducerentur ad fabricam inchoandam: Idque sinè publicitate, ne quis rem, quam moliebantur, deprehenderet. Ac inopinatò sub noctem diei 23. Iunij, omnibus comparatis, paulùm procedentibus tenebris, Cardinales eò cum magno numero Corsorum militum venerunt, eosque occupare iusserunt Regionis partem clausuræ destinatam,adiuncta multitudine Satellitum ad excubandum, & turbam, si quà se mouere contingeret, compescendam. Dormientibus

bus

bus iam Incolis (qui fermè erant è Plebe) Cardinales cœperunt
Opifices, & Fabros lignarios introducere, & (quòd erat præpara-
ta lignorum materies) ſtrenuè laboratum eſt, adeò vt eius noctis
ſpatio Clauſtrum fuerit perfectum, & abſolutum, mirantibus, re-
deunte die, Incolis fabricæ magnitudinem, & attonitis, quòd ſe vn-
dequaque circumſeptos, & occluſos conſpicerent. Cumque ſeſe con-
tinere non poſſent, indignari, & alij ad alios clamare cœperunt, &
omnes turbari, ac tumultuari. Sed breui quieuerunt, cum audiſ-
ſent, id genus fabricæ ad eorum commodum, & vtilitatem (quæ in
commune bonum Reipublicæ redundaret) factum fuiſſe, idque
experimento comperturos. Inter alias machinationes, poſitum
8 fuit † ligneum ſeptum ad eam partem Clauſtri, quæ ſpectat San-
cti Chryſogoni, pro quo militaris Corſorum cuſtodia locata, cum
duobus Clauigeris, ad reſerandum, & claudendum, cum opus eſſet.
Eius Præfectura mandata eſt Opitio Pallauicino Prælato Genuenſi,
vt daret operam, ne quis ex illo loco exiret, aut eò ingrederetur,
aut indè quidquam auferret, vel intrò importaret, abſque caute-
la; ac vt neceſſaria ad victum, & vſum clauſorum inferrentur ſinè
vlla communicatione, aut infectorum cum ſanis, aut ſanorum cum
infectis.

9 Eadem die 24. Iunij † intrauit in illud Clauſtrum, titulo Guber-
natoris a Sacra Congregatione deſtinati, Octauius Roncionus Præ-
latus Romanus cum iuſta copia Militum Corſorum, & Satellitum,
& Cuſtodibus Portarum ad optimum illius loci regimen, qui inſtar
Ciuitatis ſeorſum conſtitutæ regi, & gubernari debebat: & ad ſe-
dandam, ac in officio continendam multitudinem, ius illi inte-
grum, & abſolutum in eam gentem commiſſum eſt, ac Diploma-
te Apoſtolico confirmatum. Die proxima Clauſtrum illud muro
circumuallari cœptum, quod triduo perfectum fuit, & ligneum
ſeptum omninò euulſum, ac ſublatum, & cuſtodia, quæ pro il-
lo excubabat Corſorum Militum dimiſſa, manentibus tamen Can-
cellis ad triuia Clauſtri, quæ loco Portarum habebantur, cum op-
portuna Militum cuſtodia, & duobus (quos proximè diximus) Cla-
uigeris, qui Prælato, Pallauicino, ex præſcripto, parebant. Et quia
10 ſuſpicio erat † quempiam ex habitatoribus loci indè exijſſe, & aliò
commigraſſe, ac ſedem poſuiſſe; cautum Edicto eſt, vt ſi qui eius
rei conſcius eſset, illum Magiſtratibus aperiret, pœna (ni faceret)
capitis impoſita; Quemadmodum in Edicto promulgato ipſa die
24. Iunij continebatur;

Poſtridie aliud Edictum a Sacra Congregatione vulgatum eſt, ne
conuentus, ac concurſus multitudinis fieret in Vrbe: ac ne quis ad

11 eos prætextus esset, † suspensa sunt Tribunalia nonnulla; videlicèt Signatura, & Congregationes (excepta, quæ erat Sanitatis) & quodcumque Forum contentiosum Causarum Ciuilium. Permissum tamen Gubernatori Vrbis pro miserabilium subsidio, vt singulis Vrbis Regionibus pro mercedum causis, & pro summis Scutorum vigintiquinque (& non vltrà) certos, & idoneos Iudices delegaret, notosque Procuratores designaret; Relictum item est Tribunal Cardinalis Ginetti Vicarij ad Causas executiuas Ecclesiasticas, summam Scutorum viginti non excedentes. Ijs autem Tribunalibus, quæ sunt pro fœnore, & lucro pecuniarum instituta, concessum, vt debitorum, & creditorum ratio necessaria pro tempore haberetur. Idem Tribunali Thesaurarij permissum erga debitores Camerales pro Montistarum satisfactione. Camerario item, & Cameræ, necnon Grasciæ, Doanarum, & Annonæ Præsidibus, manus Regiæ vsus præseruatus. Nec quidquam Præfecto Carceribus suæ facultatis ademptum; Præsidi, & Camerario ad Ripam, nec non Ripettæ Præsidi, causis mercedum, & eorum, qui res Romam transferunt, relictis: Tribunalibus Capitolinis, causarum genera restricta, & designata. Quòad Congregationes super negotia Episcoporum, & Regularium, Concilij, & Immunitatis Ecclesiasticæ, ac alias, concessum, quòd quisque a Secretis, suæ Congregationis consulto Cardinali Præfecto, iuxtà rei indigentiam prouideret. Huius Edicti 25. Iunij dies fuit.

Prouiso quidquid opus erat ad vsum, & vtilitatem Claustri Tran-
12 stiberini, magna illius Populi erga † Cardinalem Barberinum reuerentia extitit. Ille quippe singulari & industria, & pietate in eo, & componendo, & ornando, & prouidendo loco se gesserat, magnis suis, & manifestis expensis, subleuando omni ope miseros, vestiendo nudos, alendo famelicos, subministrata pannosis supellectili, egenis pecunia, & ægrotis remediorum copia. Itaque omnes libenter, eius & mandatis parebant, & nutibus inseruiebant. Domi se suæ quisque claudere, sibi attendere, vitare familiaritates, fugere consortia, cauere a quacunque suspicione Contagij, honestissimè viuere, & conscientiæ propriæ, ex eiusdem Cardinalis præscripto, rationem habere, ne latum quidem vnguem ab illius præceptis recedere: Tanta erat in iubente apud omnes auctoritas.


Sed quoniam ea pars Vrbis minùs est salubris, & magis opportuna Contagio, non poterat caueri, nec vitari malum. Noui sub-
13 indè morbi suspecti, noua signa pestiferæ Luis emergebant. † Opus igitur fuit nouis, & quidem validioribus remedijs tùm ad continendos in officio viuos, tùm ad efferendos, & humandos sinè periculo, mortuos

mortuos. Omnia, & procurata diligenter, & fideliter facta. Introducti noui Medici, & Chirurgi, Phlebotomi, & Pharmacopolæ. Animis item conſultum, adhibitis Sacerdotibus, & Confeſſarijs: non minùs quippè Cardinalis Barberinus curæ animarum, quàm corporum incumbebat.

Pro diligentiori cuſtodia loci iam circumſcripti, & clauſi ab ea parte, quæ Tranſtiberinam Regionem reſpicit, duo validi, & fortes Cancelli locati ſunt ad exitum Pontis Senatorij, qui ab Inſula Sancti Bartholomæi ducit in aliam partem vltrà Tiberim. Ij ab interiori Inſula claudebantur; ac ne quis per Pontem, aut intraret, aut exiret, arcta, & intenta cuſtodia ſeruabantur. Præerat eis Commiſſarius cum turma Corſorum Militum. Claues apud ipſum erant.

14 Hac ratione tota Inſula clauſa, † & circumſcripta vndequaque, in formam Lœmocomij redacta fuerat, aſſignato Xenodochio Fratrum Colabitarum ad recipiendos Maſculos infectos, & altera Domo ampla ædificata, ex induſtria, in loco, qui angulum efficit ad Pontem quatuor Capitum, deſtinata pro receptaculo Fœminarum infectarum. In Cœnobio autem Fratrum Franciſcanorum Sancti Bartholomæi habitaturi erant miniſtri, qui Infirmis intrà Lœmocomium præſtò eſſe debebant: adiuncto alio habitaculo pro Medicis, Chirurgis, & Plebotomis. Reliquæ Domus Inſulæ deſtinatæ habitationi ſuſpectorum in Villis degentium extrà Portam Portuenſem, ſeptæ ſunt, & clauſæ, munitæque trabibus, & muris, ea præcipuè parte, quà exitus erat ad Flumen; ne qui, vel natantes aliunde, vel Cymbis vecti ingrederentur locum vetitum. Additi ſunt alij tres Cancelli magni, & validi ad initium Pontis quatuor Capitum inſtar Portarum fabricati, vt omni ex parte Inſula clauſa, & præcluſus in eam aditus foret.





CAP. V.

ARGVMENTVM.

INsula Tiberina in Lœmocomium instructa, suspectos, & infectos eò transferri iussum, in locos ipsis separatim designatos. Fœminarum honestati, lactentium infantium periculo, Cadauerum sepulturæ, rerumque, tàm infectarum, quàm suspectarum expurgationi, quàm accuratè consultum est. Messorum multitudini ab omni commercio præseruatæ quomodo prouisum, vt ad proprias domos tutò remearent. Tiberis traiectio ab vna ad alteram ripam, eiusque nauigatio, noctis tempore, interdicta. Alendi ignis materiem, præscriptis cautionibus ad Vrbem, conuehi sancitum. Hebræis, eorumque Ghetto, quibus præsidijs, & diligentijs subuentum.

SVMMARIVM.

1 *Lœmocomio in Insula Tiberina absoluto, eò commigrare iussi Quadragenam Agentes extrà Portam Portuensem.*

2 *Lœmocomio Casaletti iam repleto, infectos ad Insulam in posterùm deferri praceptum.*

3 *In Lœmocomio Insulæ quomodo pro Fœminis seorsùm a Viris consultum.*

4 *Infantibus suspectis, & infectis lactentibus Nutrices conquisitæ, & mirum ferè in modum ijs deficientibus, Capræ a partu recentes suffectæ.*

5 *Cadauera infectorum, & suspectorum quibus cautionibus sepeliri iussum.*

6 *Ex*

6 *Expurgatoria duo, alterum immundum in Villa Ducis Saneſij, mundum alterum in Vinea Cardinalis Columnæ inſtituta ſub Præfectura Montecatini Prælati.*
7 *Meſſoribus Vrbem non ingreſsis prouiſum, vt ad proprias domos tutò reuerterentur.*
8 *Nauigatio per Flumen nocturno tempore ſuſpenſa, & ab vna ad alteram ripam traiectus pœna capitali interdictus.*
9 *Lignorum ad Vrbem vectura, quibus cautionibus præſcripta.*
10 *Morborum, & Morbidorum, vt exactior haberetur notitia, Prælati, & Officiales ſingulis Vrbis Regionibus ad id deputati.*
11 *Hebræorum Ghettum, quibus diligentijs cuſtoditum, eiuſque Portæ obſerata, vna excepta, Cancellis, & Militum cuſtodijs munita, ſub Præfectura Ioannis Franciſci Negronij Prælati Genuenſis.*
12 *Hebræorum nonnulli ad neceſſaria prouidenda, iuxtà Ghettum deforis collocati.*
13 *Hebræorum merces, & res pigneratitiæ præſeruandæ, quibus cautionibus, in Ghettum vetus, aliaque loca translatæ.*
14 *Hebræorum Ghetto Peſte infecto, Medicus Chriſtianus deputatus, qui Hebræis Medicis præeſſet, & morbos, ac morbidos recognoſceret.*
15 *Lœmocomia pro Hebræis infectis, & ſuſpectis inſtrui, & quibus legibus adminiſtrari decretum.*
16 *Hebræorum cadauera Cymbis per Tiberim vehenda, quibus cautionibus extrà Vrbem ſepeliri mandatum.*
17 *Hebræorum mutua charitas, & ſubſidia ab Alienigenis Hebræis liberaliter ad ipſos transmiſſa.*
18 *Hebræis rebus omnibus ad ſalutem neceſſarijs, prouiſum.*
19 *Hebræorum, qui obierunt tempore Peſtis, numerus.*



1 Nſulæ Lœmocomio rebus ad neceſſarios vſus inſtructo, † die 25. Iunij cœperunt ad illud perſonæ ſuſpectæ, quæ Quadragenam in Villis extra Portam Portuenſem agebant, transferri; Triginta nouem numerabantur, omnes è Plebe, qui Neapoli, Centumcellis, & Neptunio Romam venerant. His præpoſiti Officiales, & Miniſtri, quorum opera regerentur, & omninò ex Domus in Villis extrà Portam Portuenſem expurgatæ.

Et quoniam Lœmocomium Caſaletti Pij Quinti plenum erat infe-

infectis, ac difficile erat eos omnes, qui in Vrbe reperiebantur Lue
2 correpti, † in eum locum deferri; cœperunt, & hi quoquè ad Lœmocomium Insulæ deportari, ac pro eorum multitudine iusta accessio Medicorum, medicamentorum, & ministrorum facta est, qui simul cum Religiosis è Patrum Colabitarum numero, qui ibidem remanserant (erant nouem Nouitij, & vnus Confessarius Sacerdos sæcularis nomine Nicolaus a Castro, Natione Siculus, anteà Ecclesiæ Nosocomij Capellanus, & alter eiusdem Ordinis Sacerdos, natione Gallus, cui nomen erat Frater Paschalis ab Homine, Chirurgus celeberrimus) coniunctis, & animi, & corporis viribus ægrotos omni ope curarent. Id obseruatione dignum, quòd Paschalis, & Nicolaus, cum semper assiderent pro suo quisque munete ægrotis, & ad eosdem accederent; ille ad ministranda Sacramenta, hic ad curandos Bubones, & Vlcera, nullo discrimine, quasi obliti sui, memores aliorum, minimè periclitati sanitatem retinuerint, ac vti ingressi sunt incolumes, ità salui, & integri exierint, magna cum omnium admiratione; quia Siculus Confessarius, qui fermè quinquagenarius erat, nulli deerat morienti, & Chirurgus Gallus, medendis contagiosis insigniter expertus, nullum deserebat, vel periculosè ægrotantem. Datum id Prouidentiæ Diuinæ, eos ad publicam salutem seruare volenti. Itaque, cum aliorum, & Confessariorum, & Chirurgorum complures morbo correpti decesserint, hi duo superfueruut.

Quoniam verò ingens fœminarum in Lœmocomio copia erat,
3 necesse † fuit intromitti famulas complures, quibus magis idonea præesset; grauis idcircò ætate, & moribus electa, quæ nomen, & Officium Priorissæ obtineret; cui item demandata cura, & custodia Hospitalis fœminei, præscripto alijs omnibus, vt huic vni
4 obedirent. † Maior veruntamen solicitudo me anxit, atque distraxit: Serpente enim per Vrbem Contagio, noui casus emergebant, quorum hic miserabilissimus: Matres lactantes filios inueniebantur Peste infectæ, quibus necesse erat auferri fœtus, ne perirent, & ne vnà cum Matribus communem tumulum haberent. Hoc itaque lacrymabili euentu ad summam commiserationem permotus, opportunius ad eos recipiendos, & alendos in commodiori Insulæ loco domicilium selegi, eique Franciscanum Fratrem præfeci ex numero eorum, qui in Sancti Bartholomæi Cœnobio remanserant, virum annis maturum, & pium. Quæsitæ priùs Nutrices ad lactandos infantes, & alios item sustentandos, & alendos. Sed crescente Paruulorum multitudine, cum vix Altrices sufficerent, introductæ sunt Capræ recentes a partu, quæ vices earundem supplerent

rent

rent diſtentis vberibus, è quibus neceſsariam Infantes alimoniam exugerent. Hac ratione, a pietate excogitata, prouiſum miſellis. Multi tamen illorum, quos matres iam infecerant, difficillimè curabantur, ex quibus nonnulli mortui ſunt. Alijs, quòad fieri potuit, ſubuentum, & plerique conualuerunt. Iuuit maximè commoditas loci opportuni, & ſeparati a reliqua ægrotorum turba; ſalui exibant inde, & mittebantur ad receptacula quadragenam agentibus destinata, vbi noui Miniſtri venientes, excipere eos, ac piè cum illis agere tenebantur, donec completa quadragena educebantur, ac veſtitu ijs nouo tributo, ſiuè parentum, aut propinquorum (ſi erant diuites) ſiuè publico Cameræ Apoſtolicæ ſumptu, in domos ſuas reducebantur. Quòd ſi ij domo carebant, ad alia loca conſueta pueris, qui incertis erant parentibus nati, conſtituta, deferebantur.

Ad ſepulturam eorum, qui moriebantur, locus fuit deſtinatus in varijs hortulis ſitis ad eam partem Inſulæ, quæ ſpectat Ca-
5 ſtrum Sancti Angeli, † ad idque electi Miniſtri idonei, qui Cadauera efferrent, & ſepelirent. Atque, vt meliùs illud munus adminiſtrarent, quod maximè moleſtum erat, ac periculoſum, amplior ijs merces propoſita, & reddita. Hac in re tam ordinatè, ac conſideratè ſe geſserunt, vt diſcrimen ſexuum ſeruarent, ſeorsùmque maſculi a fœminis ſepelirentur. Ac, vt periculi ſuſpicio abeſset, foſsæ altiſſimæ, ac profundiſsimæ fiebant, quibus Cadauera infodiebantur, viua, & multa calce obruta, quò tutò, & citò conſumerentur. Hæc ratio adminiſtrandi rem Contagij in Lœmocomijs Inſulæ, mirum quàm profuerit Ciuitati. Præfectura Officialium, & Miniſtrorum demandata fuit Baccio Lanfredino Nobili Florentino, quem mihi propoſuit Iacobus Altouitus eiuſdem nationis, Pontificis Alexandri Prælatus domeſticus, iam dudum mihi in amicitijs iunctus; eaque fuit illius induſtria, & cura, proprium munus ſumma dexteritate obeuntis, vt nemini defuerit; tantaque felicitate, vt multis morientibus, & iam mortuis vicinus, è loco Mortis viuus euaſerit, magnam ob id apud Ciues, & Exteros laudem conſecutus.

Magnum negotij momentum ſitum erat in expurganda eorùm ſupellectile, qui ſubindè per Vrbem detegebantur infecti; ex hac namque communicabatur Contagium, & Peſtilentia vires acquirebat; idcircò ad id munus obeundum diligens cura adhibenda eſſe videbatur. Igitur tribus Cardinalibus eius impoſita eſt Prouincia, Sacchetto, Imperiali, Borromeo. Primùm deſignandus locus, deindè Miniſtri eligendi, poſtea normæ, & leges ſtatuendæ. Viſa

ad id opportuna Villa Ducis Sanesij extra Portam Flumentanam; eo quòd erat benè ordinata, & distributa in vias, pergulas, ambu-
6 lationes, cubicula, & sedes. † Pro altera verò purgatione, tùm suspecta, tùm munda, & etiam pannorum expansione, & insolatu, placuit Vinca Cardinalis Columnæ, propè illam Ducis Sanesij, quemadmodum apparet ex iconibus suo loco exhibendis. Præfectura vtriusque, cum administratione rerum, commissa fuit Carolo Montecatino Prælato Ferrariensi, qui singulari industria, & prudentia rem curare inchoauit, & supellectilem vndequaque suspectam colligere, & collectam conijcere in currus, facto priùs, quod vocant, Inuentario, ac in Villam ea onera ducere, & ibi exponere, & per varias stationes expurgandam distribuere. Et vtinam id priùs excogitatum fuisset; Nullum namque remedium opportunius ad Luem compescendam, & quod omnium primum in Pestilentijs adhiberi debeat, progressu temporis deprehendimus.

7 Non minùs Edictis communis salus promouebatur. † Messores, quorum magna vis erat, qui ad metendas segetes in campos Vrbi adiacentes confluxerant, redire in domos suas volebant. Vt id sinè tumultu, & suspicione periculi fieret, permissum omnibus, qui non intrauerant Vrbem ab omni prorsus Commercio segregati, vt in patriam reuerterentur, distributis tamen vnicuique syngràphis Sanitatis. Hac ratione dimissi fuerunt, & Oppidani eorum
8 metu liberati. Huiusmodi Edicti 26. Iunij dies fuit. † Aliud magis salubre, & necessarium eadem die expeditum, vt nemo lintre per Flumen noctu nauigaret, neque vllo tempore ex vna ripa ad alteram transiret, ac vnusquisque Portitor vtriusque ripæ in ea, vbi residebat, parte, suam Cymbam haberet ligatam; vt moueri non posset. Vetitum item, ne quis, aut super Cymbam, aut natando ex vna ad alteram ripam euaderet, ac nullus a Ponte Sixto ad lineam, quæ rectà ducit ad vltimam Turrim Dohanæ (ea mercium Domus est) traijceret; transgredientibus capitalis pœna imposita.

9 Illud commodè, ac prudenter prouisum, † vt quoniam continua necessitas erat materiei ad alendos ignes, ea ratio expediendæ rei esset, quòd aquis ea committeretur, ne terra aliquod malum ingrueret. Ità & Cymbarum, & Vectorum, & Lignariorum copia distributa, vt summa cum facilitate, nullo periculo, ingens Lignorum vis in Vrbem induceretur. Extat exemplum Edicti publicati
10 die 26. Iunij. Maioris vtilitatis fuit illud, † quo fuit cautum, vt numerus infectorum exactè sciretur, & quatenus malum, vel cresceret, vel decresceret, agnosceretur, vt per singulas Vrbis Regiones

nes

nes Prælati, Nobiles, Medici, Chirurgi, Notarij distribuerentur, ac de eo me Lœmocomiorum Commissarium Generalem certiorem facerent. Dies Edicti incidit in 27. Iunij.

Augebatur nihilominùs malum, & fama mali, & metus vtrum-
11 que augebat. † Timor præcipuè erat ab ea parte Vrbis, quam Hebræi incolunt, Ghettum appellatur. Quòd, cùm ea Gens natura timida, & conditione misera, sordida sit, & immunda, tùm in ea Regione angustè habitabat, ex frequentia populi maximè conferti Contagium metuebatur, quod indè diffusum per reliquam Ciuitatem grassaretur. Initio obseratæ diligenter Portæ, vna excepta primaria in Foro Iudaico, qua permissus aditus, & exitus, quæ tamen arcta, & accurata custodia, inductis Cancellis, & dispositis Militibus, tenebatur. Loco, cum ampla potestate, præpositus est Ioannes Franciscus Negronius Genuensis, Prælatus prudens, ac vigilans, quem nihil ad communem salutem pertinens præteriret. Hic, & mane, & vesperi vigilabat, ne quid ab ea parte detrimenti Ciuitas caperet; ac in primis, cum aperiendi erant Cancelli ad admittendas, vel emittendas res ad vsus publicos necessarias, ne quid eo
12 prætextu suspectum intromitteretur. Erant † iuxta Ghettum deforis, duodecim Hebræi viri cordati, rerum communium Curatores in Domo satis commoda, ex qua prouidebant ea, quæ opus erant clausis, liberè, & abundanter, sinè commercij, & tumultus
13 periculo. Hoc quidem rectè; Illud non minus. † Multi ex Hebræis ditiores magnam vim domesticæ supellectilis in domibus suis habere congestam sinè ordine, & numero solent, ex quo poterat oriri confusio, & ex confusione suspicio, & occasio Contagij. Decretum, vt ea in certum quemdam locum conferretur, in quo erat priscum aliud Hebræorum domicilium, vulgò item Ghettum vocatum, propè Portam Leonis, non procul a nouo Ghetto, sed tamen a Ciuitate dissitum, vt ibi seruaretur tutò, ac commodè ad futuros vsus. Quin & nonnulli laxiùs intrà Ghettum habitantes, magnam, habita ratione domorum, earum rerum partem receperunt, vt expeditiùs negotium ageretur. Ac, ne quid periret, aut subduceretur, in Album redacta, quæ dabantur, & sigillo munita publico, ne proderentur, aut miscerentur. Cum autem hi loci designati minùs sufficerent, attributa custodiæ fuit pars Scholarum, in quibus ritus, & cæremonias suas exercere solent, qui loci diligenter claudebantur, & adhibito sigillo notabantur, aditusque in eos deinceps interclusus. Tametsi verò ab initio, antequam Luis in Ghetto nulla suspicio esset, cautum fuerit diligenter, vt ea pars Vrbis sordidior, & Contagio opportunior, seuerè, & accuratè seruaretur, ac ipsimet

Hebræi

Hebræi grauiores excubarent ad Pestilentiam auertendam, nihilominùs post contractum malum,& per signa manifesta deprehensum, noua industria adhibenda fuit, Hebræis omni ope nitentibus, ne serperet Lues, & remedia suis infirmis strenuè applicantibus.

14 Verùm, quoniam maius timebatur malum, prouisum est, † vt Medicus Christianus in Ghettum ingrederetur,& Hebræis præesset,& in ægrotos inquireret, morbidos,& morbos recognosceret; de compertis, ad eos, quorum id erat curæ, omninò referret, vt necessaria ijs remedia afferrentur, & cuncta, quæ ad seruandos, & expurgandos Christianos fiebant, ea Hebræis communicarentur, idque multis, & vtilibus decretis sancitum. Quarè, diffuso per Ghettum Contagio, deliberatum, vt duo intrà Ghettum Lœ-

15 mocomia excitarentur, † alterum pro suspectis, pro infectis alterum. Eius Inuenti salutaris cura, & executio, Cardinali Barberino, qui nullum pro suo indefesso in bonum publicum studio laborem recusabat, & mihi fuit commissa. Opportunus visus est Mons Auentinus, tùm quòd non procul aberat Ghetto, tùm quòd in eum erat liber, & per infrequentia loca commeatus, tùm quòd amplitudo in eo erat ad Lœmocomia seorsùm capienda. Itaque ad promouendam, & perficiendam huiusmodi rem, subitò itum in Montem: & (quamquàm, ardente Sole, post longam pedestri itinere circuitionem, spreto ingentis æstus periculo, nihil timente pio illo Principe, dummodo communi bono attenderetur) totum, quàm latum, est montis spatium circuiuimus; omnes situs, qui videbantur idonei, perlustrauimus; locos eminentiores,& depressiores notauimus: nihil, quod placeret, occurrit. Quamobrem aliò conuersa est cogitatio. Æquum visum, vt Hebræi sibi Lœmocomia construerent intrà ipsius ambitum Ghetti, in Platea principali, & longa, quæ incipit ab ostio, cuius initium est in Foro locato ad Regionem Vrbis, quæ Regula appellatur, & continenti via ducit ad Pontem Fabricium suprà Tiberim; quoniam in illa Platea iusta amplitudo, & idonea commoditas erat ad vtrumque Lœmocomium pro hominibus, & rebus expurgandis recipiendum. Delata re ad Sacram Congregationem, illicò decretum, vt, nobis ipsis auctoribus, inchoaretur operis molitio. Momento cœptæ (ea Sabbati dies erat) Domus vacuari: incolæ, & impedimenta, & omnis supellex aliò translata fuere, non sinè magna, ob superstitionem Gentis eam diem obstinatè seruantis, difficultate. Coegerunt parere Satellites, celeriterque confecta res fuit. Duo Lœmocomia excitata, & vnum ad res domesticas reponendas receptaculum, adhibitis Militibus ad custodiam, & Commissario Præfecto, qui imperaret.

Mox

Mox cœpta inſtrui,& ornari rebus neceſſarijs Lœmocomia: introducti Medici,& Chirurgi, Phlebotomi Hebræi,& reliqui Miniſtri. Cumque hiſce Lœmocomijs pariter præeſſem, animaduertens, magnam,ob infectos, in eis Medicorum eſſe, & Chirurgorum, pro loco penuriam, dedi operam, vt ex alijs, quæ abundabant,Lœmocomijs, quot opus eſſent, extraherentur, & in Ghettum mitterentur. Et tanta mihi cura eorum infectorum fuit, vt cum proprius Hebræi ſanguinis Medicus peſtiferam Luem contraxiſſet, ac ob id minùs ſufficerent reliqui, quotidie ex vicino Inſulæ Lœmocomio, Medicos ſelectos,ad inuiſendos Ægrotos,in Ghettum mitterem, quò ijs meliùs conſultum eſſet, & quanta a nobis Chriſtianis in eos impenderentur charitatis officia, conſtaret.


16 Aliud periculum præuiſum fuit, & propulſatum. † Cadauera Hebræorum ſepeliebantur in loco ſolito, videlicet in horto extrà Portam Portuenſem, & in alio item vicino, ad radices Montis Auentini. Quamquàm autem efferri ſolerent poſt Contagium cautè, & adhibita Militum manu, ne quis ad feretrum accederet, nec portantibus moleſtus eſſet, & viuæ calcis idonea copia ad obruendum Cadauera præſtò eſſet, & foſſis profundis immergerentur, & omnia ritè præſtarentur; creſcente tamen periculo ex emanante latiùs Lue, conſultum,ac ſtatutum fuit, vt huiuſmodi exportatio Cadauerum per frequentia Vrbis loca non fieret,ac proinde aſſignatus humationi Corporum locus ad planitiem duarum Turrium extrà Portam Portuenſem, quò vehi ſecundo Flumine poterant. Ad id miniſterium duæ Cymbæ deſtinatæ cum ſuis Portitoribus. In altera vehebantur Cadauera cum Foſſoribus, qui præſtò erant ad id,& ſimilia munera viliora obeunda in receptaculo Lœmocomij infectorum: in altera Portitores alij erant, item Hebræi ſuſpecti, qui cum militari cuſtodia habitabant propè Cancellos Lœmocomij, & ſubſidio veniebant alijs prima Cymba tranſuectis, ſicubi opus eſſet. Ibant ambæ pariter, & cum ſoluebant, vt exportarent mortuos, de meo (qui ad id inuigilabam) mandato; iuxta marginem Fluminis eas conſequebatur Commiſſarius quidam cum Satellitibus, ne quid ſiniſtrum,funeſtumue accideret, ac ne quis ad Cymbas,quouis prætextu, accederet. Hi etiam aderant ſepelientibus, & recognoſcebant tumulorum locos, & ſpeculabantur, an ritè adminiſtraretur ſepultura; nempè, an foſſæ altæ, & capaces eſſent, an calx ſufficiens (cuius,ex ante ibi præparata, vis ingens erat) corporibus ſuperinijceretur; nec indè diſcedebant, niſi poſtquàm Cadauera ex præſcripto ſepulta eo in loco eſſent.

Hac ratione occurſum malo in Ghettum ingruenti, & prouiſum,

sum, ne in eo sæuiret, euentu certè felici, propter eximiam prouidentiam, & sedulam Ministrorum industriam, ac ipsorum Hebræorum diligentiam, vt mirum sit, in loco tàm angusto, tàm sordido, & in multitudine Gentis frœni impatientis, potuisse rem tàm
17 exactè administrari. † Illud obseruatu dignum, quòd tanta charitas, & consensio inter se Hebræorum fuit, vt pauperibus, ac miseris, opulentiores liberaliter subuenerint, & necessaria ad vi-
18 ctum, vestitum, & medicinam suppeditarint; † Immò, quod mirandum, & laudandum est magis, audita fama Pestis intrà Ghettum grassantis, omnes Hebræorum Conuentus, qui Liburni, Pisis, Anconæ, Ferrariæ, & Mantuæ sunt, suas laborantibus stipes miserint, quò necessitatibus miserorum subuenirent. Effecit tamen munificentia, & pietate sua Pontifex clementissimus Alexander, vt rebus omnibus ad salutem necessarijs, Me consulente, abundarent. Itaque haud difficulter seruata est Gens Hebræa, &, qui suspecti, & infecti fuerant, ijs Quadragena imperata; qua completa, in domum se suam plerique salui, & incolumes receperunt.
19 Lustratione † postea facta, non plures, quàm mille quadringenti; nec omnes quidem Pestilentia absumpti inuenti sunt; mira, pro angustijs loci, ac Incolarum multitudine, mortuorum paucitate.



CAP.



CAP. VI.

ARGVMENTVM.

PEſte inualeſcente, aliæ regulæ, & prouiſiones, tùm ad coercendas Contagij vires, tùm ad remouendum Populi concurſum, tùm ad Annonæ felicitatem in priſtina vbertate quàm cautè ſeruandam præſcriptæ. Iubilæum ad implorandam Diuinam opem indictum, aliaque ſancita pro bono ſanitatis, cautiori domorum, ac Lœmocomiorum cuſtodia, & Scripturarum ſolemnium aſſeruatione.

SVMMARIVM.

1 *Veſtes lineas, & laneas, quæ iam in vſu fuerint, vendi, & emi nonniſi præſcriptis cautionibus prohibitum.*
2 *Regionis Tranſtiberinæ circumſeptæ ingreſſus, & egreſſus, rerumque introductio, & extractio prohibentur, modusque incluſos alloquendi præſcribitur.*
3 *Commercium pluribus Regionibus, de quibus ſiniſtra ſpargebatur fama, interdictum.*
4 *Mercatus in Foro Agonali, alijſque Vrbis locis, omnium rerum, præter comeſtibilium, prohibitus.*
5 *Annonæ vbertati prouiſum, vt Graſciæ omnes ad Vrbis mœnia, ſtatutis locis, adducerentur, abſque aduehentium Commercio, pro tuto eorum in Patriam reditu.*
6 *Ægrorum, & mortuorum vt citior haberetur notitia, tres Prælati ad recipiendas a Medicis, & Chirurgis denunciationes, deſtinati.*
7 *Tribunalium ſuſpenſio prorogata; in executiuis tamen, & priui-*

legiatis

legiatis ius dicere permissum.
8 *Annonam in Vrbem comportantibus indulta concessa.*
9 *Læmocomia seruitij causa ingressis, & Domi ob suspicionem Contagij clausis, exindè egredi, & quidquam extrahi, interdictum.*
10 *Currus, & Cymbas Infirmos, vel Cadauera deferentes vitari iussum, & ad officiales, ac Sanitatis ministros concurrere prohibitum.*
11 *Hebræorum Ghetto ad exactiorem curam noua Regula præscripta.*
12 *Iubilæum ad propitiandum Deum a Pontifice indictum, eiusque Diploma.*
13 *Iubilæum quanti fuerit solatij sanis, & ægris refertur.*
14 *Syngraphas, cum verbo SANITAS, suspectis domibus appositas, ne quis amoueret, vel alijs non suspectis affigeret, neuè Sanitatis ministros simularet, pœna capitis, interdictum.*
15 *Instrumenta publica, aliasque Scripturas solemnes in Protocollis alligari, eorumque Exempla ad Archiuium pro conseruatione deferri iussum.*



INtereà nihil in Vrbe decrescente Lue, quamquàm non ea nimis, ob singularem Pontificis Alexandri, & Sacræ Congregationis prouidentiam, sæuiret, nouis Edictis multa è Repu-
1 blica ordinabantur. Præscriptum, † vt cautè lineæ, laneæque vestes iam vsu detritæ venderentur, ac emerentur. Et, si quid horum emi opus esset, nonnisi exacto præmisso examine fieri liceret, & vt omnis abesset suspicio, quæcumque empta a quoquam fuissent, eorum syllabus exhiberetur, cuius exemplum ad Palatium Gubernatoris deferretur. Exijt huiusmodi Edictum Iunij 28. Eiusdem diei
2 est aliud, quo cautum, † ne quis, cuiusuis demùm ordinis, & conditionis esset, vllo aditu intraret Regionem circumscriptam Transtiberim, vel vllo exitu indè egrederetur, neuè literas, aut vtensilia eò deferret, vel indè acciperet: si qui verò negotij, aut Officij causa facultatem haberent cum inclusis loquendi, ijs ne liceret, nonnisi decem passus distantibus colloqui, capitali pœna, mandata violantibus, constituta.
3 Multorum item † locorum, vt de quocumque sinistra spargebatur fama, interdictum Commercium. Omnia literis expressa, &
4 palam in locis publicis affixa 30. Iunij. Prohibitum etiam, † ne in Foro Agonali, vbi Nundinæ solemnes fiunt, quiuis Mercator venderet

deret

deret, aut quiuis emeret veſtes, lectos, ſtragula, æra attrita vſu, & veteta, permiſſo dumtaxat rerum comeſtibilium mercatu, quod interdictum ad alia item Fora, & locos mercimonijs deſtinatos ex-
5 tenſum. Dies fuit Edicti 2. Iulij. Alio etiam, die 7 eiuſdem, † ad Annonæ felicitatem conſeruandam, præter iam edita, præſcriptum, vt Graſciæ quæcumque venales a locis Eccleſiaſticæ ditionis vſque ad mœnia, & portas Vrbis deferri deberent, Foro pro animalibus, extrà Portam Piam, pro Frumento, & Vino, extrà Portam Sancti Ioannis, & Angelicam, proque alijs Graſcijs, extrà Portam Populi, cautionibus ſtatuto, abſque forenſium cum indigenis Commercio; de qua re publico teſtimonio accepto, quiſque ad proprios lares reuerſurus, ſinè vlla ſuſpicione liberè admitteretur.
6 Addita quoque fuere tria, diebus 8. 9. & 13., quibus † tres Prælati deſtinati, cuilibet eorum quatuor Vrbis Regionibus diſtributis, qui a Medicis, & Chirurgis denunciationes infirmorum, & mor-
7 tuorum reciperent, vt citiùs illorum notitia haberi poſſet. Et † Tribunalium ſuſpenſio prorogata; permiſſum tamen in executiuis, & priuilegiatis cauſis ius dicere, & appellationes cum inhibitionibus admittendi, ac concedendi poteſtas relicta. Rotales verò, & Camerales, ſuper quibus deliberatum fuit, etiam per ſententias expe-
8 diri conceſſum. Ac vt facilior † Graſciarum commeatus ad Vrbem redderetur, plura eos comportantibus indulta conceſſa, aliaque præſcripta.
9 Aliud pariter 13. Iulij conditum Edictum, † vt omnes, qui ſemel ſeruitij cauſa Lœmocomia ingrederentur, ibi, durante Contagio, morarentur, ac nemini illorum liceret ſinè licentia Sacræ Congregationis, aut mea, Lœmocomiorum moliri exitum, ſub pœna Triremium; quòd ſi re ipſa exijſſet, pœna capitis mulctandus. Eadem pœna ſtatuta ijs, qui ſinè præfata licentia ex eodem loco eijcerent rem aliquam, vel eandem eiectam reciperent; ſimili ſupplicio deſtinati illi, qui, obtenta facultate ſe ipſos curandi intrà domos ſuas, indè tentarent exire, vel exirent abſque præuia ijs poteſtate conceſſa. Cui item ſupplicio erant obnoxij illi, qui ſcientes tacuiſſent,
10 nec prodidiſſent Reos. Nec minùs interdictus † obuijs quibuſcumque, vel Currui, vel Cymbæ Sanitatis, in quibus infecti viui, aut mortui ferebantur, acceſſus, & apud Sanitatis Miniſtros, & Officiales populi concurſus, ne fortè Luis aliquid contraherent. Dies fuit
11 Iulij 17. Die verò 18. † pronunciatum eſt aliud pro adminiſtratione curationis, & ſuſtentationis Infirmorum Ghetti, quemadmodum ſuperiùs, narrando ea, quæ ibi geſta ſunt, accuratè deſcripſimus. Sed illud capitale, quòd cum Religioſiſſimus Pontifex ſer-

pere Luem videret, & statum Vrbis, & Orbis magnis afflictum calamitatibus consideraret, motus altiote spiritu, ad Deum curas omnes conuertit, & de Eo propitiando cogitauit. Cumque ad id peccata commissa confessione deleri, & futura præcaueri necessarium fore iudicaret, Diploma Sacrum expediuit, Iubilæum dicunt, ad vtrumque obtinendum, accommodatum. Quod, quia specimen habet præclarum pietatis, dignum est, vt hic seorsum ab Edictis, alijsque profanis ad verbum habeatur.

Sanctissimi D. N. D. Alexandri Diuina Prouidentia Papæ VII.

Iubilæum Vniuersale ad implorandam opem Diuinam in præsentibus Ecclesiæ necessitatibus.

ALEXANDER PP. VII.

Vniuersis Christi Fidelibus præsentes Literas inspecturis, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

12 *E Suprema militantis Ecclesiæ specula mentis nostræ aciem quaqua versum intendentes, & assiduas Gregis Nobis ex alto crediti calamitates attentè contemplantes, crebra ex imo corde suspiria, & vberes ex oculis lacrymas fundere cogimur. Cuius enim, vel ferreum pectus non commoueant hodiernæ Orbis Christiani miseriæ? Viget vt cum maximè pertinax inter Principes Catholicos bellum, cui componendo frustrà hactenus visa sunt esse humanæ prudentiæ consilia. Ad Orientem pijssimæ Reipublicæ ditiones decennali bello a Turcarum Tyranno infestantur. Exutus ad Septentrionem Regni sui parte Hæreticorum armis Rex Orthodoxus, neque tuti ab eorum odio, & potentia aliorum fines. Sæuit ad Meridiem dira Epidemiæ Lues, quæ & vicinos depopulatur, & huic Vrbi, veræ Religionis capiti, imminere videtur. Vbique terror, vbique malorum impendentium formido, ità vt si vnquàm certè nunc, grauem Domini manum sentiamus, flagitijs hominum eius iram iugiter prouocantibus, cui placandæ, licèt priuata nostra, & aliorum Sacrificia, & preces sine intermissione adhibere non desistamus; promptiùs tamen id a Diuina misericordia Nos consequuturos arbitramur, si nostris omnium Christi Fidelium orationes, purgatis per salutarem veræ pœnitentiæ*

medi-

medicinam a colluuie peccatorum animis, iungantur. Clemens est enim, & misericors Deus noster, & propitiatur cunctis inuocantibus eum in veritate. Hoc vt fructuosius fiat, & maiori cum spiritus ardore peragatur, ex veteri Ecclesiæ Romanæ omnium matris, & magistræ more, eiusdem Ecclesiæ Thesauros, quorum dispensatores a Domino constituti sumus, proferre, & erogare decreuimus. Itaque ex parte Omnipotentis Dei, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, omnes, & singulos vtriusque sexus Christi Fideles, tàm in eadem alma Vrbe nostra, quàm extrà vbilibet locorum constitutos Apostolica auctoritate paternè requirimus, monemus, & in Domino adhortamur ad infrascripta deuotè peragendum, & adimplendum, & ad Deum Saluatorem nostrum orandum, vt per viscera misericordiæ suæ fidem Catholicam protegere ab hostium conatibus, & insidijs defendere, Hæreses extirpare, Principibus Christianis Pacem, & veram tranquillitatem donare, Populos Epidemiæ Lue infectos liberare, & cœteros ab ea præseruare, alijsque præsentibus Ecclesiæ necessitatibus subuenire dignetur. Nos enim de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, ex illa alligandi, atque soluendi potestate, quam nobis Dominus meritis minimè suffragantibus contulit, vniuersis Christi Fidelibus in Alma Vrbe prædicta degentibus, qui spatio vnius mensis, a die data præsentium computandi, feria sexta vnius hebdomadæ intrà dictum mensem decurrenda ieiunauerint, & peccata sua confessi, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum reuerenter sumpserint, & ne ex congestu populi, si aliqua Ecclesia, vt moris est, ea de causa visitarentur, Contagionis augeatur periculum, domi priuatè Rosarium B. Mariæ Virginis, vel septem Psalmos Pœnitentiales cum Litanijs, & Orationibus adiunctis deuotè semel recitauerint, ac vt suprà orauerint, & Pauperibus aliquam eleemosynam, prout vnicuique suggeret Charitas, erogauerint; cæteris verò extrà Vrbem prædictam vbique degentibus, qui in locis, vbi nulla omninò Epidemiæ Luis suspicio adest (quod prudentiæ Ordinariorum locorum dijudicandum relinquimus) Ecclesias ab ijsdem Ordinarijs, vel eorum Vicarijs, seu Officialibus, aut de eorum mandato, &, ipsis deficientibus per eos, qui ibi curam Animarum exercent, postquam ad eorum notitiam hæ nostræ Literæ peruenerint, designandas, vel Ecclesiarum huiusmodi alteram spatio similiter vnius mensis a publicatione designationis per Ordinarios, vel eorum Vicarios, seu Officiales, vel alios, vt præfertur, faciendæ computandi, semel saltem visitauerint, aut vbi Lues grassatur, vel eius adest suspicio, seu Contagionis periculum, Rosarium, aut Psalmos præfatos cum Litanijs, & Orationibus, vt suprà

reci-

recitauerint, & , vt præmittitur, orauerint, & eleemosynam, vt suprà, erogauerint, ac feria sexta vnius hebdomadæ intrà eundem mensem decurrendæ similiter ieiunauerint, pariterque peccata sua confessi, ac Sanctissima Communione refecti, plenissimam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem, sicut in anno Iubilæi, visitantibus certas Ecclesias intrà, & extrà Vrbem concedi consueuit, tenore præsentium concedimus, & elargimur. Nauigantes verò, & iter agentes, vt cum primum sese ad sua Domicilia receperint, suprascriptis peractis, & visitata Ecclesia Cathedrali, vel maiori, aut Parochiali loci eorum domicilij, si inibi Ecclesiæ visitandæ priùs designatæ fuerint, alioquin recitatis Rosarijs, vel Psalmis cum Litanijs, & Orationibus præfatis, eandem Indulgentiam consequi possint, & valeant. Regularibus verò personis vtriusque sexus, etiam in Claustro perpetuo degentibus, nec non alijs quibuscumq., tàm laicis, quàm Ecclesiasticis, Sæcularibus, vel Regularibus, etiam in carcere, aut captiuitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocumq. impedimento detentis, qui suprà expressa, vel eorum aliqua præstare nequiuerint, vt illa Confessarius ex iam approbatis ordinarijs antè præsentium publicationem, seu approbandis, eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque iniungere, quæ ipsi Pœnitentes efficere poterunt pariter concedimus, & indulgemus. Insuper omnibus, & singulis Christi Fidelibus vtriusque sexus, tàm Laicis, quàm Ecclesiasticis, Sæcularibus, & Regularibus cuiusuis Ordinis, Congregationis, & Instituti, tàm in Vrbe prædicta, quàm extrà eam vbique locorum, vt præfertur, degentibus, licentiam concedimus, & facultatem, vt sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque Presbyterum Confessarium, tàm sæcularem, quàm cuiusuis Ordinis Regularem ex approbatis, vt præmittitur, à locorum Ordinarijs, qui eos ab omnibus excommunicationis, suspensionis, & alijs Ecclesiasticis sententijs, & censuris à Iure, vel ab homine quauis causa latis, seu inflictis, nec non ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, & delictis quamtùmuis grauibus, & enormibus, etiam locorum Ordinarijs, siuè Nobis, & Sedi Apostolicæ, etiam in Literis die Cœnæ Domini legi solitis, contentis, & alias per quascumque Nostras, aut Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum Constitutiones, quarum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque reseruatis in foro Conscientiæ, & hac vice tantùm (non tamen à crimine hæresis) absoluere, & liberare valeant. Et insuper vota quæcumque (Religionis, & Castitatis exceptis) in alia pia, & salutaria opera commutare, iniuncta tamen eis, & eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus pœnitentia

saluta-

ſalutari, alijſque eiuſdem Confeſſarij arbitrio iniungendis. Quapropter, tenore præſentium, in virtute Sanctæ Obedientiæ diſtrictè præcipimus, & mandamus omnibus, & quibuſcumque Fratribus, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & alijs Eccleſiarum Prælatis, ac quibuſcumque exiſtentibus, eorumque Vicarijs, & Officialibus, vel, ijs deficientibus, illis, qui curam animarum exercent, vt cum præſentium Literarum tranſumpta, aut exempla, etiam impreſſa acceperint, illa ſtatim abſque vlla mora, retardatione, vel impedimento per ſuas Eccleſias, & Diœceſes, Prouincias, Ciuitates, Oppida, Terras, & Loca, publicare, & publicari faciant, Eccleſiamque, ſeu Eccleſias viſitandas vbi, vt præmittitur, id faciendum iudicauerint, deſignent. Non intendimus autem per præſentes, ſuper aliqua irregularitate publica, vel occulta, nota, defectu, incapacitate, ſeu inhabilitate, quoquo modo diſpenſare, vel aliquam facultatem tribuere diſpenſandi, ſeu habilitandi, & in priſtinum ſtatum reſtituendi, etiam in foro conſcientiæ. Neque etiam eaſdem præſentes ijs, qui à Nobis, & Apoſtolica Sede, vel aliquo Prælato, ſeu Iudice Eccleſiaſtico excommunicati, ſuſpenſi, interdicti, ſeu alias in ſententias, & cenſuras incidiſſe declarati, vel publicè denunciati fuerint, niſi intrà tempus dicti menſis ſatisfecerint, aut cum partibus concordauerint, vllo modo ſuffragari poſſe, aut debere. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, præſertim, quibus facultas abſoluendi in certis tunc expreſſis caſibus ita Romano Pontifici pro tempore exiſtenti reſeruatur, vt nec etiam ſimiles, aut diſsimiles Indulgentiarum, aut facultatum huiuſmodi conceſsiones, niſi de illis expreſſa mentio, aut ſpecialis derogatio fiat, cuiquam ſuffragari queant, nec non regula noſtra de non concedendis Indulgentijs ad inſtar, & quorumcumque Ordinum, & Congregationum, ſiuè Inſtitutorum Regularium, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quauis firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, Priuilegijs quoque, Indultis, & Literis Apoſtolicis, iiſdem Ordinibus, Congregationibus, & Inſtitutis, illorumque perſonis quomodolibèt conceſſis, & approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, & indiuidua, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu alia quauis expreſsio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, illorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſsis, ac formam in eis traditam pro ſeruata habentes, hac vice ſpecialiter, nominatim, & expreſsè ad effectum præſentium derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Vt autem præſentes noſtræ, quæ ad ſingula loca deferri non poſſunt, ad omnium notitiam faciliùs deueniant

niant, volumus, vt earumdem præsentium transumptis, vel exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, vbique locorum, & Gentium eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibita, vel ostensa. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die 21. *Iulij* 1656. *Pontificatus Nostri Anno secundo.*

G. Gualterius.

13 Quantum hoc profuerit † ad solatium omnium, tùm sanorum, tùm ægrotorum, norunt quicumque Romæ eo tempore morabantur. Certa ex eo animæ salus, quæ nimium confert ad incolumitatem corporis, plerisque sanis valetudinem confirmauit, compluribus ægrotis sanitatem restituit, morituris ex desperato morbo, spem salutis æternæ dedit: Ijs diebus, Vrbs visa est imago quædam viua Religionis, & pietatis. Accedebat metus vicinæ mortis, qui teneros animos ad Deum faciliùs, & efficaciùs conuertebat.

14 Quoniam verò compertum fuerat, è multarum domorum foribus, quibus † affixa erat Schedula cum verbo SANITAS ad notandas domos suspectas, eam auulsam fuisse, & subindè auelli, & quod erat deterius, alijs minimè suspectis affigi, digna visa res est atroci quodam supplicio. Quarè, Edicto condito acri, & seuero, coercita est temeritas crimen illud patrantium, & iusta capitis pœna, si quis deprehenderetur reus, decreta. Eadem pœna indicta in eos, qui se fingerent ministros Sanitatis, eo nomine sibi multa arrogantes, quæ non licebant, & nocebant Reipublicæ. Dies Edicti 27. Iulij fuit.

15 Cautum præthereà, † vt Scripturarum omnium solemnium exempla Notariorum manu descripta in Archiuijs publicis conderentur, suis Protocollis, seù Exemplaribus affixa, syllabo, in quo notarentur, accuratè confecto. Illud Notarijs indictum, & pœna cessantibus pecuniaria constituta, die Iulij 28.


Intereà, nihil summos inter calores remissa Peste, immò, maiorem in modum in Transtiberina Regione, aucta, nouis emergentibus per reliquam Ciuitatem Luis indicijs, ac in primis crescente numero infectorum in Lœmocomio Insulæ, quibus, etsi satis videbatur consultum, intromissa copia Medicorum, & Confessariorum ex diuersis Ordinibus, & præcipuè Patribus Capuccinis, qui ad id se sponrè obtulerant, ad Sacramenta, & cœtera salutis præsidia ministranda, ibi Rector electus fuit Pater Alexius Messana, Vir magnæ, tùm virtutis, tùm industriæ, tùm experientiæ, vt qui esset

set Prior Archixenodochij Sancti Spiritus, vbi diù cum maxima laude se gesserat. Præfecturam illius Lœmocomij alacriter pro sua pietate suscepit, omni repudiato stipendio, charitatis mercede contentus. Munus autem sic obiuit, vt nulla videretur inesse species Pestilentiæ: Tàm ille inseruiebat ægrotis, tàm res eorum curabat, tanta ad eos fiducia accedebat, tàm humaniter conuersabatur; adeò vt cœteri, eius exemplo, nihil horrerent, nihil formidarent. Ità curabantur infirmi, quasi ordinarijs morbis laborarent; ille verò in medios intrepidè, ingenti charitatis feruore, se ingerere, vigilare, speculari, assidere, nunquam ab eorum, qui grauiùs decumberent, lectis abesse; adeò vt necesse fuerit, sæpè a me enixè moneri, ne vellet tot se periculis sic exponere. Contineret sese, consuleret suæ saluti, publicæ incolumitati attenderet. Sed amor virtutis, & inseruiendi miseris desiderium, virum egregium exagitabat. Nihil profeci; Perrexit ire vlteriùs medendo, consolando, assidendo, quòd diceret, non esse suæ potestatis ab illo pietatis officio abstinere, cui se dicarat. Verùm perdurare non valuit, quin Peste correptus decumberet, & cum paucos ægrotasset dies, diem vltimam clauderet, suo sanè insigni bono; quòd, vti credere par est, ad Superos euolauit, sed magno certè Reipublicæ detrimento, & omnium mœrore, qui eius Viri iacturam magnoperè doluerunt. Ac vt tàm laudabilis Ministri officia præstita, aliquo post mortem, honoris, & beneuolentiæ signo compensarentur, decretum, vt illius corpus in arca plumbea ligneo inclusa receptaculo conderetur, efferreturque in locum ad Porticum Sancti Pauli, ibique profunda excauata fossa tumularetur. Cœterùm eius obitus auxit curam. Quarè electus, & introductus in Lœmocomium fuit Pater Angelus Cicarantius Neapolitanus è Familia Patrum Infirmis ministrantium, quorum illustris est maximè in hoc officio præstando, religio, & vtilitas: Vir nulli virtute inferior, qui tunc extrà Portam Sancti Ioannis præfectus expurgandis Literis, quæ Neapoli veniebant, libenter reliquit locum illum tutiorem, & in Lœmocomium Insulæ translatus, insigne in eo præbuit specimen suæ prudentiæ, & charitatis.





CAP.



CAP. VII.

ARGVMENTVM.

PHarmacopolis, & Phlebotomis ad Infirmos ob metum Contagij accedere recusantibus, præscripta cautela, consulitur, & pro ijs, qui reperirentur suspecti, vel infecti, peculiares Confessarij, Medici, Chirurgi, & Obstetrices destinantur, qui ære publico conducti, statutis domibus degerent, & ab omni commercio interdicti per Vrbem procederent. Prouisiones itidem aliæ, tùm ad Contagium cautiùs auertendum, tùm etiam ad Vrbis annonam, ac munditiem penitiùs consequendam, constituuntur. Xenodochijs Sancti Spiritus, & Sancti Ioannis, ne in ea Lues obreperet, aliud, Consolationis nuncupatum, pro suspectis sufficitur, ac expurgationi suspectarum, & infectarum rerum nouissimo Edicto exactiores Regulæ, & alia pro Sanitate tuenda, ac periculo labis a Lœmocomijs vitando, præscribuntur.

SVMMARIVM.

1 *Pharmacopolis, & Phlebotomis ad Infirmos per Vrbem accedere ob Contagij suspicionem, eisque medicamenta afferre, & venas scindere recusantibus, quomodo huic malo prouisum.*

2 *Medici quatuor, totidemque Chirurgi, suspectorum nomine, ære publico, statutis Domibus conducti, qui aliqua in ægrotis Contagij suspicione emergente eos inuiserent, & de ea iudicarent.*

3 *Ex Medicis, & Chirurgis suspectis, duobus tantùm Medicis, & Chirurgo vno ad suspicionem iudicandam relictis; cæteri ad*

teri ad suspectorum, & infectorum curationem, in domibus proprijs aliquandò permissam, immundorum nomine seorsùm degentes, destinati.

4 *Confessarij itidem suspecti, & immundi, ad Sacramenta suspectis, & infectis domi clausis ministranda, deputati, ea lege, ut suspecti cum suspectis, immundi cum immundis Medicis, & Chirurgis habitarent.*

5 *Obstetrices duæ pro suspectis parturientibus ære publico conducta, domo eis suspectorum regulis specialiter assignata.*

6 *Medici, Chirurgi, & Confessarij, tàm suspecti, quàm immundi, quibus cautionibus per Vrbem procedere iussi.*

7 *Supellectilia, quæ fuerant surrepta ex domo suspecta, quomodò vindicari prouisum, & ne quidquam ex alijs quibusdam domibus suspectis educeretur, vetitum.*

8 *Annonæ vbertas, vt Panis in Oppidis Romanæ ditionis eiusdem fieret, ac in Vrbe, pretij, ponderis, & bonitatis, præscripta, & regulæ pro conducendis in Vrbem Cibarijs tradita.*

9 *Vrbis Munditiei, ac Eduliorum salubritati prouisum.*

10 *Marij Chisij Principis, eiusque filij Flauij, & Augustini Nepotis summa pietas, & studium in auertendo Contagio.*

11 *Xenodochijs Sancti Spiritus, & Sancti Ioannis, ne in ea a suspectis Lues obreperet, Nosocomium B. Virginis Consolationis ad eos recipiendos subrogatum.*

12 *Ægri Nosocomij Consolationis, in quibus deprehendebatur Contagium, quibus cautionibus, ad Insulam transmissi.*

13 *Nosocomio Consolationis Lœmocomiorum regulæ præscripta.*

14 *Mendicis a Sancti Sabæ receptaculo aufugientibus pœna indicta.*

15 *Regulæ, & prouisiones de non extrahendis rebus a locis, & domibus suspectis, de mittendis ad Lœmocomia infirmis, Cadaueribus sepeliendis, infectis, & suspectis denunciandis, renouata.*

16 *Transtiberini Claustri Seruum, qui aufugerat, inquiri mandatur.*

17 *Suspectæ Domus, vel Officinæ Marij Paschalis Flammearij quidquam habentes, id denunciare iussi.*

18 *Expurgationi rerum, quibus regulis, & rationibus consultum.*

19 *Vuarum, & fructuum immaturorũ in Vrbem introductio, & venditio prohibita, deindè ob pluuiam, & maturationem permissa.*

20 *Infirmo P. Cicarantio Lœmocomij Præfecto, P. Petrus Franciscus Scarampius, Congregationis Sancti Philippi Nerij, Præses, se vltrò ad eandem Præfecturam offerens, admittitur.*

21 *Lœmocomium ingressus P. Virgilius Spada, tamquàm Scarampij*

Socius, de mandato Sanctissimi inde egredi, & ad quadragenam mitti iussus.

22 *Peste correptus Pater Scarampius in domo extrà Cancellorum postes specialiter destinata curari mandatur, & paulo post, haud dubia sanctitatis opinione defunctus, peculiari, & honorifica sepultura traditur.*

23 *Peste infecto Auctoris Cubiculario, quomodo prouisum ob istum Contagionis casum.*



1 Recta in spem salutis Vrbe, res accidit, quæ Ciuium animos perturbauit. † Pharmacopolarum, & Phlebotomorum timor, illis medicamenta suppeditandi, his venas scindendi, ne si in ægrotis detegeretur Lues, medentibus ipsis, Domibusque suis, & Officinis adimeretur Commercium. Propterea, ad huic malo occurrendum, iussum, vt quibus mederi consueuerant, ab ijs ægrotantibus haud se subducerent, quamdiù a Commissarijs, & Ministris Sanitatis minimè proscripti. Iniunctum quoq; Medicis ad Infirmos primùm accersitis, morborum qualitatem inquirere, & contagiosis symptomatibus non apparentibus, fidem ægris manuscriptam præbere, qua Phlebotomis, & Pharmacopolis tutior ad eos euaderet accessus, ijsque, si posteà aliquod pestiferi morbi signum superuenisset, illi, decem dumtaxat dies ad purgandam suspicionem in proprijs domibus clauderentur, & indè incolumes reperti libero restituerentur Commercio. Idque 29. Iulij speciali Edicto constitutum.

2 At quoniam † Medicorum, & Chirurgorum animos idem perculerat timor, & ad Infirmos vocati, eos illicò metuebant suspectos, huic peiori malo occursum, conductis quatuor Medicis, totidemque Chirurgis, qui Suspectorum nomine statutis domibus degentes a Commercio seclusi, infirmos, quos alij Medici sibi metuentes habebant suspectos, inuiserent, & alienos a suspicione repertos proprijs, vel Regionum Medicis dimitterent; Suspecti verò, vel ad Lœmocomium mitterentur, vel iuxtà eorum conditionem, obtenta facultate, proprijs in domibus curari deberent. Ad id tamen difficile compertum, habere Medicos, & Chirurgos, qui ægris suspectis assi-

3 sterent. † Propterea visum, vt duo Medici, & vnus Chirurgus dumtaxat ex conductis ære publico ad dubiam Morborum suspicionem, hoc munus explerent: cæteri Suspectorum, vel etiam Infectorum curæ incumberent, & isti Immundi, vulgò BRVTTI, illi verò Suspecti appellarentur, ac seorsim degerent, &

itâ

4 ità decretum, additis vtrique conſortio Religioſis viris, † quatuor ſuſpectis,& quatuor immundis Confeſſarijs,qui adminiſtrationi Sacramentorum ægris præſtò eſſent, ea indicta lege,quòd nemo ex ſuſpectorum, vel immundorum claſſe, quidquam pro ſuo obeundo munere peteret, & niſi a ſponte dantibus acciperet. Idque etiam
5 prouiſum † pro duabus Obſtetricibus ære publico conductis,vt Parturientibus ſuſpectis conſuleretur, domo eis ſuſpectorum regulis
6 ſpecialiter aſsignata; iuſſumque,quòd ij Officiales, † vel ſuſpecti, vel immundi per Vrbem exeuntes, albam manibus geſtarent virgam longitudinis ad minùs palmorum ſex, qua proſcripti a publico Commercio deberent a commeantibus dignoſci, & vitari. Immundi inſuper talarem bombycinam, aut lineam ceratam veſtem induerent, minùs aptam Contagij ſeminia recipere, vetitumque, ne per Vrbem procedentes, neque intrà ſuſpectorum, vel infectorum ædes ingreſsi cum alijs communicarent. De his omnibus Edictum die 3. Auguſti euulgatum.

Hac itidem ratione, poſtera die, ne rerum ſuſpectarum conta-
7 ctu vulgaretur morbus, Edicto cautum † vt inquiſitio quorundam fieret, qui ſurripuerant partem ſupellectilis infectæ è domo ſita in Campo Martio propè Xenodochium Sancti Antonij Luſitanæ Nationis,vetitumque,ne quis ex alijs domibus ſuſpectis in Vico,qui dicitur Hortus Neapolis, quidquam educeret, propoſitis præmijs eos, qui contrafacerent, indicantibus. Quò autem maior foret Vrbis ſecuritas, nuncijs acceptis, morbum contagioſum in quibuſdam Villis propè Genuam ſe prodidiſſe, in eamque Ciuitatem penetraſſe, eidem, eiuſque diſtrictui interdictum, alijſque ſimul Eccleſiaſticæ ditionis locis ſuſpectis, die 5. ademptum Commercium.
8 De Pane † item, quòd communis eſt victus,magnoperè curatum, vt æqualis pretij, ponderis,& bonitatis in Oppidis Romanæ ditionis cum eo, qui in Vrbe, ederetur: pretium vt eſſet commodum,& viæ ad illum habendum ab infirmis, & egenis expeditæ. Quin etiam ſuper conducendis in Vrbem Cibarijs, regulæ idoneæ traditæ, tùm vt ſinè periculo introducerentur, tùm vt ſanitati ne nocerent. Omnia præuiſa,& ad abundantiam, & ad munditiem pro
9 ſanitate ordinata. † Ad id quoque ſtramentitiorum, ſtipularum, herbarumque marcentium incendia in Vrbe prohibita, locuſque vbi comburi deberent,deſtinatus. Ad Piſces etiam, & Poma cura extenſa; deputati loci, vndè peterentur, quò portarentur, vbi ſeruarentur, vbi emerentur, ac de formandis Caſeis, de Butyro,& omni Lacticiniorum genere, leges etiam vtiles communi Reipublicæ bono in dies conſtitutæ, propoſitis Edictis diebus 7. 9. & 12.

In his

In his, & alijs eiuſdem generis, & vniuerſis ad ſalutem rerum Ciuilium adminiſtrationem enituit prudentia, induſtria, & pietas
10 Principis † Marij Chiſij, qui nihil vnquàm prætermiſit priuati, publicique Officij, quo ſanis, infirmiſque conſuleret. Ægrotantium recognoſcere ædes ſuſpectas, cibos prouidere, annonam leuare, miſeris ſubuenire, laborantibus opem ferre, vbique multus, & frequens eſſe, circuire mecum Vrbem, Lœmocomia viſitare, Portarum, & Cancellorum cuſtodias examinare, Medicos, & Chirurgos ſtimulare, omnium ope ſalutem Reipublicæ promouere. Iuuabant ſtudia Marij, Flauius eius Filius, ſumma prudentia præditus, paulò poſt ad Cardinalatum promotus, & Auguſtinus ipſius Marij ex fratre Nepos, quorum vterque ſingulare ſui in hac Peſtilentia ſpecimen præbuit, gratulante ſibi Ciuitate, quòd eum Pontificem, & Pontificis Conſanguineos eos nacti eſſent, qui alienis malis, tamquàm proprijs, remedia adhiberent.

Circumferebatur per vniuerſam Vrbem cura, & prouidentia, cumquè animaduerteretur in Xenodochijs S. Spiritus, & Sancti Ioannis, & ſi prius nemo in ea reciperetur ægrotus, etiam a ſuſpicione Contagij liber, quin triduum ſeparatus eſſet a Commercio cœterorum Infirmorum, & omnia, tùm ad cibum, tùm ad veſtitum neceſſaria ſeorsùm ijs miniſtrarentur; in aliquibus tamen poſtmodum Contagij ſigna manifeſtati, non mediocri ſanorum detrimento;
11 Æquum viſum eſt nouum eligere † Noſocomium pro ijs, qui vel leui Contagij ſuſpicione notarentur. Et placuit illud, quod Conſolationis Noſocomium dicebatur, iam pridem diſtributum in duo, alterum fœminarum, alterum virorum, media quadam interiecta via, quæ ad Eccleſiam Beatiſsimæ Virginis Conſolationis ducebat in Campo, ſiuè Foro Boario, ædificatam. Et clauſa, & munita primùm, ducto muro, ea parte, quæ Boarium reſpicit Forum, ex altera parte Forum verſus Conſolationis Cancelli ſunt collocati, cum Commiſſario, & militari cuſtodia, cuius Præfectura Cardinali Aſtallio tributa. Ad expenſas in eo ſtruendo, & ornando faciendas, ex Noſocomijs Sancti Ioannis, & Sancti Spiritus, quæ ab onere eos Infirmos recipiendi leuabantur, emunctæ ſunt pecuniæ, ac deinceps cœptum frequentari, miſſis eò Infirmis leuiter ſuſpectis.
12 Si verò caſu deprehendebatur Contagium, † nuncius mittebatur ad Lœmocomium Inſulæ, vbi Commiſſarius Cancellis præpoſitus ad morbidos cum ſuis lectulis in Inſulam comportandos feſtinanter expediri curabat currum velocem, adhibito minore Commiſſario, & Satellitum numero, vt a nemine per viam ad illos haberetur acceſsus. Et quoniam maximum ad communem ſalutem præſidium

conſti-

13 constitutum erat in exacta eius Nosocomij administratione, † vt eidem præscriberentur regulæ, quas ego Lœmocomijs præscripseram, die 19. Augusti sancitum.

Omnia sic in dies ad profligandam Pestem, quoad fieri poterat,
14 agebantur. † Hinc eadem die pœnale exijt Edictum in eos Mendicos, qui temerario ausu a Sancti Sabæ receptaculo aufugiebant, & per Vrbem, ac per Ecclesias ad stipem quæritandam redibant. Hinc
15 subsequenti die, quæ aliàs in publicum prolata fuerant Edicta † de non extrahendis rebus a locis, aut domibus Sanitaris causa occlusis, vbi ægri fuissent, vel mortui, aliaque de mittendis ad Lœmocomia Infirmis, Cadaueribus sepeliendis, Infectorum, ac Suspectorum denunciationibus habendis, cœterisque ad publicum bonum regulis iam præscriptis, declarata, renouata, & extensa.

16 Fugerat per eos dies † è Claustro Transtiberino, vbi inseruiebat, Sixtus quidam Bernardini Cardelli è Monte Sancti Ioannis. Res erat graui animaduersione digna ob damnum, quod cum alijs agendo inferre poterat, tùm, ne eius fuga in aliorum exemplum impunita remaneret: mandatum ideò per Edictum, inquisitionem de eo fieri, sicubi deprehenderetur, ac omnibus iniunctum, vt inuentum retinerent, ac Romam reducerent; ipsi tamen impune foret, si statim se proderet, atque ad relictum Officium rediret; quòd si ab alio repertus reduceretur, pœna capitis plecteretur: Dies fuit 21. Augusti.

Vigesima quarta eiusdem aliud promulgatum Edictum contra
17 eos, qui haberent aliquid de † suspecta Domo, vel Officina cuiusdam Marij Paschalis Flammearij habitantis ad Forum Traianum, vno mense antè collectum, nisi illud continuò restituerent, ei ve-
18 rò, qui denunciaret, impunitas promissa. † Expurgationi etiam rerum, quæ fiebat duobus in locis extra Portam Populi, in Villa, & Vinea Ducis Sanesij, & in alia Cardinalis Columnæ, prouisum. Ea, vt meliùs procederet, collectis iam Ministris normæ, ac regulæ sunt assignatæ, quæ Edicto 28. Augusti promulgato continentur. Et ne aliquid, quod publicæ incolumitati aduersaretur, neglectum
19 maneret, æquum a Sacra Congregatione iudicatum est † prohibere, ne Vuæ, mala Persica, & alia id generis Poma cruda, & immatura in Vrbem inferrentur; quoniam ex immoderata earum rerum comestione, facilè concipi morbi poterant. Iraque die 30. cautum, ne quid horum venderetur; quod paulò post maturescentibus pomis, & interueniente pluuia, ne id genus Edulij, quod gratum esse populo solet, desideraretur, alio Edicto remissum; quo apparuit quanta accuratione, & prouidentia Reipublicæ cura ge-

Q reretur

reretur, quæ ad hæc tàm minuta descenderet.
Laborabatur ad Insulam Sancti Bartholomæi, crescente in dies
turba ægrotantium. Qui præerat Pater Angelus Cicarantius stre-
nuam operam nauabat, multis occupationibus, & officijs disten-
tus, in omnes se partes vertebat, & mirè proderat ægrotis; sed af-
20 fecto corpore durare diù non valuit. † Succubuit igitur oneri, ac ne
obrueretur, & periret, dimissus in Cœnobium S Bartholomæi, locũ
idoneo maximè, ac vtili Præposito fecit. Erat apud Patres Oratorij,
qui Ecclesiæ Nouæ in Vrbe dicuntur, Vir omni laude virtutum insi-
gnis P. Petrus Franciscus Scarampius. Hunc cœpit studium pietatis,
vt vellet Infirmis Lœmocomij Insulæ inseruire, ac sæpè id precibus
obtinere tentauerat, sed non obtinuerat; quòd non videbatur è Re-
publica, tantum virum, exactę iam ætatis, in tàm apertum discrimen
conijcere; cum præsertim ille inter Patres Oratorij Præsidem age-
ret, eamque familiam gubernaret. Nihilominùs, deficiente Patre Ci-
carantio, & vacua illa Præfectura, quæ magnum Virum exigebat, ac
illo eius rei conscio in illius locum subrogati enixè postulante, meq;
ad id obtinendum multis precibus rogante, & super hoc Sacra Sani-
tatis Congregatione consulta, visum est necessitati ægrorum, eiusq;
desiderio satisfacere. Data igitur ei facultas est eò ingrediendi vnà
cum altero socio eiusdem familiæ, a se pro libito eligendo. Hoc con-
stituto, accepit a me mandatum id exequendi directum ad Commis-
sarium Lœmocomij cum præscripto, vt illum cum socio ad eam su-
scipiendam Præfecturam, in Lœmocomium intromitteret. Cumque
ego posteà ad tradendum ei regimen Lœmocomij, eò me, vt opus
21 erat, contulissem, comperi alterum, quem elegerat socium, esse † Pa-
trem Virgilium Spadam, inter paucos clarum, Cardinalis Bernar-
dini Spadæ fratrem, quem propter egregias dotes Innocentius PP.
Decimus Eleemosynarum Præfectum instituerat, & post eius obi-
tum, Alexander Pontifex eum in intimis habebat, multùmquè fa-
miliariter eodem vtebatur, & varijs muneribus præficiebat. Mi-
ratus sum nouitatem, & dolui, quòd, illa pia simulatione, in Lœmo-
comium, me inconsulto, ingressus esset. Magna vis charitatis, quæ
sanctè dolos illos excogitat ad proximos, vel cum iactura vitæ, sub-
leuandos. Statui mecum de eo, vti par erat, fratrem commonefface-
re; sed meum consilium fama præuenerat, quæ ad aures Alexandri
perlata, compulit eum ad mittendam mihi Schedulam manu pro-
pria scriptam, qua mihi enixè præcipiebat, vt statim cogerem Pa-
trem Virgilium Spadam Lœmocomio exire, & in locum idoneum
ad peragendam quadragenam secedere, vt quàmprimum purgatus,
committenda sibi nonnulla grauia negotia a Sua Sanctitate priùs
desti-

deſtinata exerceret. Parui actutùm; illumque euocatum intrà primos, & ſecundos Cancellos, de mandato Pontificis certiorem reddidi. Grauatè illud accepit: ſed obtemperare opus erat, ac illud benè accidit, quòd nullatenùs erat ſuſpectus, niſi quòd eò ſe intromiſiſſet ad præparandum ſuum Cubiculum, in quo moraturus deinceps eſſet, ac idcircò facile factu, & emittere, & quadragenæ aſsignare, quam peregit in Vinea ſuæ Congregationis Sancti Philippi propè Portam Ianiculenſem, quò cautè deductus, & indè poſteà perductus ad Eccleſiæ Nouæ Cœnobium, & ſuo Cubiculo reſtitutus fuit.

Remanſit in Lœmocomio Pater Scarampius; ac, vt erat Vir acer, & induſtrius, ſtrenuè ſe gerere cœpit, & ſumma cum alacritate, omnia charitatis ergà Infirmos munia obire. Frequens aderat, aſſiduus vbiquè, nihil prætermittens, quod ægros, & bonum Lœmocomij regimen iuuare poſſet. Laborabat die, nocte vigilabat, tanta contentione animi, & corporis, vt omnibus admirationem ſui, &
22 venerationem excitaret. † Verùm ipſe ſibi parauit periculum, & ex labore contraxit morbum planè peſtilentem, qui cum ſe prodidiſſet, neceſſe fuit ei conſulere. Extractus ex eo loco, licèt inuitus, in vicinia, vt par erat, ad ſegregatam ædem è regione Palatij Sabelli conſtitutam, & tanto viro paratam, exportatus fuit, vt ibi a ſuis Patribus, eidem enixè inſeruire inſtantibus, quàm diligentiſsimè curaretur. Duo ei aderant, quibus ego vnum è meis famulis addere volui, vt meliùs eius ſeruitio conſultum eſſet, quia in vno eo Viro magna ſpes publicæ incolumitatis vertebatur. Curatus anxiè, & attentè a Medicis, ſupereſse non valuit, quoniam altiùs, quàm vt poſset euelli, malum deſcenderat. Itaque decurſo aliquot dierum ſpatio, magno cum omnium dolore, & haud dubia ſanctitatis opinione, nullo ad ſalutem præſidio Sacramentorum deſiderato, præſentibus ſuis Religioſis, quorum precibus ritè commendatus, officio Agonizantium perſoluto, deceſſit. Sepulcrum viſum eſt ei parari honeſtum pro tempore, & clarum: Capſa ei fabricata lignea, incluſo conditorio plumbeo, delatum, debitis, vti mos erat, adhibitis diligentijs, Corpus in Eccleſiam Sanctorum Nerei, & Achillei, quæ propria Patrum Oratorij eſt extrà Vrbem in Regione Sancti Sixti ſita, ibiquè idoneo loco tumulatum, grandi lapide impoſito, inſcriptione inſtar Epitaphij inciſa, ad tanti, tàmque de Republica benemeriti Viri memoriam. Magnum ſui apud omnes, qui eum nouerant deſiderium reliquit; eiuſque Patres, & meus famulus ad quadragenam peragendam tranſmiſsi, qua peracta, incolumes euaſere.

Ecce

25 Ecce tunc temporis, quemdam ex meis famulis pestilens morbus occupauit, quo statim ad Lœmocomium Insulæ cum tota supellectili transmisso, me, ac reliquam familiam, vt moris erat, domi clauseram, nuncio ad Sacram Congregationem expedito. At, consulto etiam Pontifice, Reipublicæ interesse iudicatum est, vt cautionibus meo arbitrio, familiæ, & domui consulerem; Ego verò, adhibita Rheda, ad mea obeunda munia egrederer, vitato, quoad fieri posset, Commercio. Acceptis ad id literis Cæsaris Rasponi Sacræ Congregationis a Secretis, tutius esse duxi, mea Domo debitæ expurgationi relicta, in aliam migrare. Ea fuit opportuna propè Templum Sanctissimæ Trinitatis, ad Pontem Sixtum, quam pridem inhabitauerat Marchio Tarquinius Sanctacrucius, vbi Familiæ meæ præscriptis cautelis, prout ratio requirebat euentus, a quo non immeritò, eo quòd domesticum erat periculum, magis verebar, nemo fuit, qui vel in minimam labem incideret.



CAP.



C A P. VIII.

A R G V M E N T V M.

AD Contagium magis auertendum, Lœmocomijs, ac Locis totius Eccleſiaſticæ Ditionis; Tranſtiberino Clauſtro; Roma initio Contagij egreſsis, mox in eam remeantibus, ac rursùs Lœmocomiorum Officialibus, & ne in efferendis ægris, & mortuis fieret concurſus, quomodo animaduerſum. Conſtitutio Pontificis pro faciliori Penſionum tranſlatione, ac Teſtamentorum factione, refertur. Pro vindemijs cautiones; ſingularis Pietas Pontificis erga Conualeſcentes; Lœmocomia iuxtà indigentiam diſpoſita, & aliud nouum pro Valetudinarijs inſtructum, recenſentur.

S V M M A R I V M.

1 *Lœmocomiorum ſelectiores Regulæ, & norma, pro recta adminiſtratione, & Contagio cauendo, publicata.*

2 *Peſtilentis cuiuſcumque euentus in locis Eccleſiaſticæ ditionis, vt ad Sacram Congregationem nuncij peruenirent, prouiſum.*

3 *Contagium euitandi cauſa Edicto cautum, vt quicumque ſciret aliquid è Tranſtiberino Clauſtro extractum, id denunciare teneretur.*

4 *Contagij initio Roma egreſsis, reditus, nonniſi prauio diligenti examine, permiſſus.*

5 *Lœmocomio Inſulæ, in locum P. Scarampij defuncti, P. Fabritius Falchettus præficitur, deinde P. Cicarantius priſtinæ valetudini reſtitutus eamdem Præfecturam reaſſumit.*

6 *Lœmocomiorum Officiales, & Miniſtri ad exportandum Ægros, & Cadauera, quomodo cum Equis, & Curribus per Vrbem procedebant, & n. 8.*



Ocuerat Magistra rerum Experientia, maximi momenti esse rectam Lœmocomiorum administrationem, quorum ad me pertinebat Præfectura. Instituta igitur est accurata, & exacta
1 Instructio † omnium, quæ ibi obiri solent munerum, vt ea adamussim seruaretur; ac vt meliùs de disciplina constaret, in formam Edicti est redacta.

Primum, vt singuli Conuictores Lœmocomij suis se stationibus continerent, nec indè, nisi cum facultate, exirent.

Secundum, vt cauerent, ne quid ex cubiculo, aut per fenestram, aut per portam foras proijcerent.

Tertium, vt quicumque Lœmocomium intrarent, ij omnia, quæ secum afferrent, Præfecto assignarent: nemo autem vllum genus armorum portaret.

Quartum, vt nulli viro liceret ad domicilium fœminarum accedere, nec fœminæ ad virorum habitaculum, neuè intrà Lœmocomium vllum genus carnalis peccati committere quis auderet.

Quintum, vt si cui opus esset re aliqua ad victum, ac vestitum, & alios vsus necessarios pertinente, eam a Præposito postularet.

Sextum, vt Præfecti quotidie Clausuram, & infirmos visitarent,

rent,& ſi quid opus eſſet inquirerent, , & præſtari curarent, ac in primis Medici, & Chirurgi, & Phlebotomi, ad quos ea cura præcipuè attinebat. Quòd ſi quis horum grauiter delinqueret, meo arbitrio puniretur.

Septimum, vt rebus cibarijs,& veſtiarijs Præpoſiti, de victu, & veſtitu rectè, ac ex ordine omnibus prouiderent: veſtes tùm lineas, tùm laneas, tùm ſericas vniuſcuiuſque deſcriberent, ac notarent, ne confunderentur, ſingulíſque ſuæ diſtribuerentur.

Octauum, vt Præfecti Cancellis haberent ſuos libros, in quos referrent nomina ingredientium, & egredientium ex Lœmocomio, & quæ genera rerum ſecum inferrent, aut exportarent.

Nonum, vt Sandapilarij, & Foſſores præſtò eſſe deberent in ſtatione ibi aſſignata, & vocati aduolarent; vt cadauera terra, fluuiouè afferrent,& ſepelirent,haberentque ſua, quibus dignoſcerentur, ſigna; eaque retinerent, nec vel abijcerent, vel mutarent; ſeruarentque in efferendis,& ſepeliendis corporibus leges ſibi præſcriptas; vtque Portitores cymbas, Aurigæ currus mundarent,ne quid ſordium intrà remaneret.

Decimum, vt nemo miniſtrorum Lœmocomij indè exiret, niſi cum facultate,& ad certa munia obeunda. Si qui hoc modo exijſſent, rectà irent, & redirent, nec quoquàm diuerterent, nec quidquam ab obuijs cuiuſcumque generis acciperent, & auferrent: Si ſecùs facerent, punirentur.

Vndecimum, ne quis omninò è Miniſtris Lœmocomij rem vllam, nec nummariam,nec pretioſam ex auro, & argento ſumeret ab ijs, qui eſſent in Lœmocomio,vel ab alijs,qui extrà illud eſſent: non prohiberi tamen detentis in Lœmocomio,quò minùs vti poſſent ſuis pecunijs, & ornamentis aureis,& gemmeis, mea cum facultate. Si verò in poſterum repertum aliquod eſſet, quod, vel caſu,vel dolo, aut ægroto, aut defuncto ereptum fuiſſet, id continuò, aut ſuperſtiti, aut defuncti hæredibus reſtitueretur.

Duodecimum, vt nemo Cuſtodum Portarum, & Cancellorum quidquam ex rebus, quæ importarentur in Lœmocomium, acciperet, neuè quiſquam ex miniſtris quouis titulo rem vllam ab vllo in Lœmocomio donatam ſibi, habere poſſet, vt omnis auaritiæ ſuſpicio remoueretur. Singuli ſua eſſent mercede contenti, neque ampliùs exigerent pro munere officij, nomine Reipublicæ erga miſeros ægrotos, exhibendi.

Quæ potiſſimæ normæ, ac leges, cœteraque in Edicto pro Lœmocomijs, quæ tunc exiſtebant,decreta,in alijs forſan conſtruendis eſſent obſeruanda. Si quis autem vllam earum violare auderet,iuſtæ ab

ſtæ ab

stæ ab eo forent pœnæ repetendæ. Hæc die 6. Septembris mensis constituta, & publicata.

Die sequenti, septima eiusdem, alio Edicto cautum, vt de quo-
2 cumque Pestilentiæ † euentu in locis Ecclesiasticæ ditionis, illorum Gubernatores statim monerent Sacram Congregationem Sanitatis Romanam; re tamen benè perspecta, & explorata, ne id temerè fieret, sed vt mali serpentis pernicies auerteretur.

3 Biduo post indictum, vt quoniam suspicio erat † extractas esse res quasdam, ex locis Transtiberim suspectis, quicumque de eo aliquid sciret, is Sacræ Congregationi denunciaret, & personam, & locum aperiret.

4 Præterea cautum die 15. eiusdem, vt quæ † personæ, post initium Contagij, Roma exierant, & volebant redire, ijs sinè diligenti examine aditus non daretur, quamuis ex locis sanis venirent.

5 Mortuo, vti superiùs diximus, P. Scarampio, necesse fuit alium ei substitui. Interim, dum alius quærebatur, suffectus fuit P. Fabricius Falchettus Neapolitanus Ordinis Patrum Ministrantium Infirmis (Magdalenæ vulgò dicuntur) qui statim est intromissus, ne quid cessaretur. Paulò post eòdem regressus est, cum iam perfectè conualuisset, Pater Angelus Cicarantius, a quo id munus, & susceptum alacriter, & gestum feliciter vsque ad finem Contagij. Erant in prædicto Lœmocomio Sedes, & Sellæ gestatoriæ, Sandapilæ, Feretra, Carpenta, & Currus, atque ad maiorem commoditatem fabricati sunt minores Currus, operti lineis velis, cera obductis; quos vnus ducebat Equus. Hi ad portandos ægrotos mittebantur, & ad defunctos efferendos expediebantur. Videre erat, accepto nuntio de aliquo, vel infecto, vel mortuo, volare Equos, & ad domos vnde erant conductores vocati, conuolare, admittere corpora, & siuè ad Lœmocomium, siuè ad locum tumuli perducere. Præstò erant in Domo Cancellis vicina Ministri multi nomine Commissariorum, quibus præerat Commissarius custodiæ Cancellorum, Ioseph Martagna, Capitolinus Notarius, ad quem Prælati Regionibus præpositi mittebant nuncios de Infirmis, vel defunctis
6 suis in locis; quibus acceptis, † illicò Ministri Lœmocomij ad id designati, Sellas, Feretra, & Currus parabant, & in destinatas sibi domos ibant: Singulos Currus, & Sellas comitabantur singuli minores Commissarij, cum Satellitum custodia, ex eis, qui magno numero præ portis excubabant, vt si quod accideret in via obstaculum, aut periculum, auerterent, ac remouerent, ac ne Vespillones, & Aurigæ vsquàm extrà locos sibi designatos diuerterent, aut morarentur: deferebatur item nota a Commissario data, vt discernerentur, &

tur, & Currus, & Miniſtri, quò meliùs ab obuijs vitarentur: non
deerant quippè homines, aut Indigenæ, aut Exteri nimio plus cu-
rioſi, qui videndi, & inquirendi cauſa accedebant; immò neceſſe
7 fuit ob turbam effrænatam eò concurrentem, cauere, † ne quis aude-
ret ad huiuſmodi Miniſtros, Curruſque appropinquare. Ad cautio-
8 nem maiorem, & vt longiùs ambulantes recederent, † ſingulis Equis
Curruum, & Sandapilarum appendebatur tintinnabulum, cuius ſo-
nitu homines monerentur, quid veniret, quid afferretur. Sed tan-
ta erat curioſorum, præſertim initio Contagij, multitudo, vt opor-
tuerit eam ſeueriſsimis legibus, & pœnis coerceri. Et quidem non-
dum ſatis comperto malo, difficile admodum fuit vulgo perſuadere
peſtilentiam eſſe, nolentibus multis credere, laborare ſe (quo nol-
lent corripi) Contagio; ac vt fit, nemine credere volente, quod ma-
gis timetur, & aduerſatur. Atque vt hac in parte pauliſper, vel ad iu-
ſtum moleſtæ narrationis diuerticulum immoremur, erant mul-
ti, etiam graues, & prudentes Viri, qui ſibi perſuadere non pote-
rant, Morbum iam vulgatum, & notum Peſtilentiam eſſe. Negabant
9 id quidem pertinaciter, † & affirmantes irridebant, inter quos Me-
dici nonnulli, haud ignobiles numerabantur, quorum opinio vulgi
mentes in ſuo errore magnoperè confirmabat. Qua in re id maxi-
mè omnium memorabile. Medicus è primarijs Vrbis, Ioannes Pre-
ſcia, tàm tenaciter huic adhæſit ſententiæ, vt in vulgus diceret,
Contagium hoc, quod vitabatur, merum ſomnium, & commen-
tum eſſe, & fruſtrà remedia quæri, & adhiberi; ſe non negare
Morbos, & quidem periculoſos exiſtere, ſed eos indè ortos, quòd
populus ob antecedentem caritatem Annonæ malis cibis paſtus
fuerat, qui ab Exteris in Vrbem importati, illud genus morbi inge-
nerauerant. Hoc quod ſibi perſuaſum habebat, perſuadere pergebat
alijs, nec ceſſabat priuatim, & publicè loqui, ac populum a neceſ-
ſarijs cautionibus auertere. Adeò vt moneri, & reprehendi opus
fuerit, mox prohiberi, ne quid huiuſmodi auderet loqui. Sed
ille, neſcio quo ſtudio ductus, minimè dicto abſtinuit. Ingerebat
hæc vbicumque erat, opportunè, intempeſtiuè, nullo metu, nul-
lo reſpectu, & quòd multum authoritate valebat, populum haud
mediocriter commouebat. Quare viſum fuit è Republica,
quoniam ille multos ægrotos inuiſebat, & curabat, qui morbis ſuſ-
pectis tenebantur, & facilè poterat Contagio corripi, & alios infi-
cere, comprehendi eum, & auferri è publico, & in Lœmocomium
inferri. Idque mihi seriò præſcriptum, eo tamen honeſto prætextu,
vt eò introductus medendi gratia diceretur. Expectata occaſio-
ne, imperata ſum executus, & Medicus inſignis Preſcia fuit in

S Lœmo-

Lœmocomium deductus. Simul ac se vidit eo loco inclusum, dolere, & queri, & lacrymari cœpit, & gemitibus Lœmocomium implere, præter decorem, præter ætatem (erat quippè maior quinquagenario) ac qui antea clamabat nullum esse in Vrbe Contagium, nullam Pestilentiam, tantum post ingressum Lœmocomij pauorem de vicina Pestilentia concepit, vt sese inter medios Commissarios, & Ministros conijceret, ægrotos, & infirmos omninò vitaret; ac ne compelleretur ad eos ingredi, fugit, seq; abdidit intrà Turrim Cymbalorum Cœnobij S. Bartholomæi; nec ibi restitit, sed vt meliùs absconderetur, & difficiliùs inueniretur, ascendit; cum tamen satis pinguis, & obesus esset, per arctam scalam, in supremam partem turriculæ propè Cymbala, & inter Campanas se abscondit, ac secum sustulit partem extremam scalæ, vt præcideret aditum, & ascensum ijs, qui tentarent ad se venire, seque comprehendere. Ibi reliquum diei, quo ingressus est, & partem noctis cum egisset, & compertum esset ibi latitare, iussus fuit descendere, & in assignatum sibi intrà Lœmocomium Domicilium se recipere; negauit se descensurum. Tota ibi nocte magno cum suo incommodo fuit. Manè denuò monitus, & iussus descendere, noluit, tàm obstinatè in proposito persistens, vt necesse fuerit Satellites eò cum Vespillonibus mittere, qui magna vi palearum incensa fumum in altum eijcerent, quo ille suffocaretur, nisi descenderet. Id remedium profuit; nam vt vidit congeri palearum struem, & lucere ignem, statim, quam subduxerat scalam dimisit, per eamque è Turri campanarum descendit: sed adeò meticulosus euasit, vt omninò a conspectu ægrotorum abstineret, ac vix coactus, cum alijs Medicis, curationem illorum suscepit. Videre erat hominem anteà impauidum, & securum periculi, qui cæteros irrideret, & sugillaret, tamquàm nimis, & credulos, & timidos Contagij, tanta correptum formidine, vt non posset adigi ad curandos infirmos, alijs Medicis, & præsentibus, & comitantibus. Verùm, & verecundia, & respectu motus, posteà ad curam eorum accessit, tot præseruationis, & præparationis modis excogitatis, vt admirationem excitaret. Præferri iubebat facem ardentem è cera, & vas acero plenum, in quod immittebat manus antequàm appropinquaret ad ægrotum, pulsus tentandi causa; indumentum sibi aptauerat è lino nouo infusa cera macerato, quo benè coopertus, vt videretur insutus, visitabat Lue correptos. Nec tamen vltra profecit, quàm vt nonnullos solùm infirmos inuiseret; a cœteris prorsus abstinuit. Paulò post denuò ad Campanarum turrim se recepit, & omnium euitauit consortium, nemine salutato.

Itaque

Itaque præceptum est ei, vt schedulam scriberet, in qua exponeret genus illud mali, quod sæuiebat, ad faciendam de eo Sacram Congregationem certiorem, quæ tàm periti Medici iudicium expectabar. Id ille tanta exaggeratione descripsit, vt non solùm Pestem esse fateretur, sed etiam, quo metu erat correptus, prædiceret Vrbem fore ea morbi sæuitie depopulandam. Postea, cum quiescere non posset, tantas pro se curauit preces adhiberi eorum, quibus in Vrbe ex officio medebatur (erant autem viri multi primarij, & Religiosi, & Moniales) ad elabendum ex Lœmocomio, vt demùm Sacra Congregatio, eius, & instantium precibus annuerit. Exiuit, sed cum omni cautione, & sine suspicione periculi, permissus domi suæ peragere quadragenam. Visum fuit æquum, hominem illum dimittere, quòd senex, & morbidus erat, ac penè ad laborem illum inutilis; herniam patiebatur, & ingentes ex ea dolores sentiebat; debilior fiebat in dies, quoniam propter formidinem Contagij, non alio cibo, quàm pane, & ouo, non alio potu, quàm aqua vtebatur, ne quid, quod intrà Lœmocomium esset, manducaret. Egressus, ad ingenium redijt, meliùs habuit, & insignis Pestilentiæ prædicator extitit; eoque haud parùm profecit, quod cæteros ad vitandum Contagium reddidit cautiores.

Eo tempore quo Tribunalia erant suspensa, & ob Contagij timorem vix ad contractus, etiam inter sanos, Notarij, & Testes præstò
10 esse poterant, † Constitutio a Pontifice edita fuit de transferendis Pensionibus Ecclesiasticis, & condendis Testamentis, alijsque vltimis dispositionibus, vt quòd requisitas formas, & solemnitates præscriptas impleri difficillimum esset, Indultorum conditionibus moderatis, ac Iuris Ciuilis, & Statutorum rigore temperato, facilior transferendi, & disponendi fieret potestas. Dies Constitutionis fuit 18. Septembris, eiusque Exemplum, vt præ oculis habeatur, vtque tanti Pontificis ad publicam vtilitatem, & priuatorum commodum, studia quisque admiretur, non immeritò subijcitur.



Sanctis-

Sanctissimi D. N. D. Alexandri Diuina Prouidentia Papæ VII,

Constitutio de transferendis Pensionibus Ecclesiasticis, & condendis Testamentis, alijsque vltimis dispositionibus in Vrbe, ac eius districtu, tempore suspicionis Pestis.

ALEXANDER PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

IN supremo Iustitiæ throno per ineffabilem Diuinæ bonitatis abundantiam constituti, rationi consentaneum reputamus, vt Iuris communis, Statutorumque rigorem moderemur, & particularium indultorum solemnitates relaxemus, prout rerum, & temporum conditione perpensa, in Domino censemus expedire. Cùm itaque in præsenti Pestis suspicione nonnullis in hac alma Vrbe nostra, eiusque districtu degentibus personis formam in indultis transferendi pensiones annuas, quas super fructibus, redditibus, & prouentibus Ecclesiasticis, etiam distributionibus quotidianis reseruatas obtinent, eis à Sede Apostolica, seu aliàs canonicè concessis pro translatione huiusmodi præscriptam, necnon ordinatam de Iure ciuili, ac per Statuta eiusdem Vrbis, aliorumque locorum eiusdem districtus, eorumque reformationes, & nouas additiones pro Testamentis condendis, solemnitatem seruare difficile sit, seu in posterùm forsan difficile sit futurum: Nos illorum commodis pro paterno nostro in eos affectu consulere cupientes, ac omnium, & singulorum indultorum, necnon Statutorum, & reformationum, nouarumque additionum huiusmodi tenores etiam veriores, & datas, ac alia, etiam speciali expressione digna præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & verbatim insertis habentes; Motu proprio, non ad cuiusquam Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, vt quicumque in Vrbe, eiusque districtu prædictis degentes indulta transferendi pensiones supradictas, vt præmittitur, obtinentes, easdem pensiones coram Sacerdote, etiam regulari, ac etiam familiari, loco Notarij publici, & duobus Testibus, etiam in fauorem ipsius Sacerdotis, dum-

modo

modo eo caſu tertius teſtis adhibeatur, vel ſcriptura translationis à transferente ſubſcribatur, ſeruata in cæteris eorundem indultorum eis reſpectiuè conceſsorum, forma, & diſpoſitione, transferre liberè, licitè, & validè poſsint, & valeant; ea lege tamen, vt duplicatum ſcripturæ translationis huiuſmodi intrà octo dies abindè proximos ad Archiuium Vrbanum deferatur; alioquin translatio nulla ſit eo ipſo, tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Præterea, vt in Teſtamentis, & quibuſcumque alijs vltimis voluntatibus, & diſpoſitionibus, quæ deinceps in eadem Vrbe, eiuſque diſtrictu, etiam à cæcis fient; forma Conſtitutionis fel. rec. Alexandri PP. Tertij prædeceſſoris noſtri, quæ incipit Cum eſſes, *ſeruari ſufficiat: ita quòd loco Parochi, ſeu Presbyteri, adhiberi Teſtamenti, aliorumque diſpoſitionum vltimarum factioni, poſsit ipſius teſtantis, ſeu diſponentis Confeſſarius, etiam regularis, etiam quem teſtans, ſeu diſponens numquam niſi in infirmitate, qua tunc laboret, confeſsionis cauſa accerſiuerit, vel adierit; aut loco Parochi, ſeu Presbyteri, vel Confeſſarij duo alij teſtes: Vtque ipſa Teſtamenta, aliæque vltimæ voluntates, & diſpoſitiones prædictæ cum omnibus, & ſingulis in illis quomodolibet contentis ſic in poſterùm facta, firma, valida, & efficacia exiſtant, ſuoſque plenarios, & integros effectus perpetuò habere debeant in omnibus, & per omnia, perindè, ac ſi in illis requiſita, ſeu præſcripta à Iure ciuili, & memoratis ſtatutis, eorumque reformationibus, & nouis additionibus forma, & ſolemnitas plenè, & integrè nihil penitùs omiſſo, ſeruata fuiſſet, motu, ſcientia, deliberatione, poteſtatis plenitudine, & tenore, prædictis ſtatuimus, decernimus, & ordinamus. Cæterùm præſentes literas, quoad translationes penſionum, & Teſtamenta, aliaſque vltimas voluntates, & diſpoſitiones, quæ donec Vrbis prædicta Tribunalia, quæ nunc iuſſu noſtro clauſa reperiuntur, ſimili iuſſu plenè, & in totum aperta fuerint, ac per decem dies immediatè ſequentes reſpectiuè fient dumtaxat, effectum obtinere volumus, ac ſtatuimus itidem, & declaramus. Decernentes pariter eaſdem præſentes, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quòd quicumque, etiam ſpeciali nota, & expreſsione digni, etiam Epiſcopali, Archiepiſcopali, Cardinalitia, aut alia qualibet Eccleſiaſtica, vel mundana dignitate præditi, & fulgentes in præmiſsis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes, illis non conſenſerint, aut ad ea vocati, & auditi, ſeu cauſæ propter quas ipſæ præſentes emanarunt adductæ, verificatæ, aut iuſtificatæ nullatenus fuerint, aut ex alia quacumque, quantumuis iuridica, pia, legitima, & priuilegiata cauſa, prætextu, colore, & capite, etiam in corpore Iuris clauſo, etiam enormis,*

T *enormiſ-*

enormissima, & totalis læsionis, nullo vnquam tempore de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, vel interesse habentium consensus, seu alio quolibet quantumuis magno, substantiali, & inexcogitabili defectu notari, impugnari, inualidari, restringi, retractari, ad viam, seu terminos Iuris reduci, aut aduersùs illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aut aliud quodcumque iuris, facti, vel gratiæ, remedium impetrari, aut impetrato, vel etiam motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus concesso, quempiam in iudicio, vel extra illud vti, seu se iuuare posse, sed ipsas præsentes firmas validas, & efficaces existere & fore, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissimè suffragari; sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Iudices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, necnon quoscumque dictæ Vrbis, eiusque districtus, ac Cameræ nostræ Apostolicæ Iudices, & Officiales, ac Ministros, & alios quoslibet quauis auctoritate, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secùs, super his a quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit, de non tollendo iure quæsito, & quòd Cardinales non comprehendantur in Constitutionibus faciendis, alijsque nostris, & Cancellariæ Apostolicæ regulis, ac rec. me. Pij PP IV. etiam prædecessoris nostri de gratijs qualecunque interesse dictæ Cameræ concernentibus in ea præsentandis, & registrandis, ita vt præsentes mihi præsentari, & registrari nunquam necesse sit, & alijs Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, etiam Conciliaribus, generalibus, vel specialibus, necnon legibus, etiam Imperialibus, & municipalibus, ac Vrbis prædictæ, & alijs quibusuis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel alia quauis firmitate roboratis, statutis, eorumque reformationibus, & nouis additionibus, stylis, vsibus, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus: priuilegijs quoque, indultis, & literis Apostolicis sub quibuscumque verborum formis, ac cum quibusuis, etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus, & insolitis clausulis, & decretis, etiam irritantibus in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine similibus, etiam Consistorialiter, & aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & pluries innouatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro sufficienti eorum derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, & specifica, expressa, & indiuidua

diuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quæuis alia expressio facienda, aut alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, illorum omnium & singulorum tenores, formas, & occasiones præsentibus pro planè, & sufficienter expressis, insertis, & seruatis respectiuè habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter & expressè derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrarijs quibuscumque. Volumus autem, vt præsentium transumptis, etiam impressis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extrà illud vbique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die xviij. Septembris M. DC. LVI. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

G. Gualterius.

Paucis post diebus, appropinquante Vindemiarum tempore,
11 cautum Edicto, ne quis † Vinitor per circuitum sex milliarium à Romana Vrbe in Vineas admitteretur, nisi ostensa syngrapha Sanitatis; & si quis intrà illud spatium ægrotaret, de eo Parochi, & Medici Sacram Congregationem monerent. Præterea, ne quis ex Vrbe ad pernoctandum in Vineas exiret, nec secum ad eas de die visitandas, & excolendas duceret, nisi quos sanos, & domesticos esse constaret.

Mira sanè fuit solertia, & diligentia posita in administrando illo capacissimo, & commodissimo Insulæ Lœmocomio, cum manifesta ægrotantium vtilitate, tùm ob applicationem medicamentorum, tùm ob bonitatem, & condimentum ciborum, tùm ob munditiem vestium, tùm ob copiam Ministrorum; adeò vt vix in Xenodochijs, tempore Sanitatis, melius, ac certius fuerit infirmis consultum; multique priuati, qui domibus suis curari perierant, optarent ad Insulam transire. Ea loci fama erat a multitu-
12 dine coualescentium confirmata, qui ab eo † Lœmocomio ad illud Sancti Pancratij pro quadragena peragenda procedentes, alta voce per vias vnanimiter decantabant munificentiam, & beneficentiam Pontificis Alexandri, qui etiam in Natalitia Matris Virginis solemnitate, non absque Contagij periculo altiora etiam petentis, ad Ianiculum Montem accedere, eisque illàc transeuntibus paterna Benedictione animos addere non dedignatus fuit.

Cum-

13 Cumque Lœmocomium infectorum, quod erat † ad Casalettum Pij V. iam esset vacuum propter distantiam ab Vrbe, Conualescentes ibi soli manserunt cum Ministris, qui curabant quadragenarios, missis propter eandem causam quadragenæ ad Sancti Pancratij Lœmocomium. Quare expurgato ab omni Contagij suspicione Casaletto Pij Quinti, apertum est ibi Lœmocomium pro aduenis, & externis, nec non pro certis personis minùs suspectis, de quibus dubitari poterat, an de locis infectis, suspectisuè venirent.


Lœmocomio igitur Sancti Pancratij Conualescentibus pleno, additis ad eum numerum Ministris Casaletti, eò missis ad peragendam quadragenam, magna cura opus fuit ad separanda contubernia commorantium, quamquàm enim semper ab initio, viri a fœminis seorsùm habitarent, & suspecti ab infectis procul distinguerentur, immò, & minus suspecti a magis suspectis discernerentur, nihilominùs obuiari non potuit, quin aliquot Pestilentiæ casus euenirent. Vnde ortum, vt deprehenso malo a Medicis, & Chirurgis, qui bis in die, mane, & vesperi Quadragenarios visitabant, & Ministros recognoscebant, qui Contagio correpti esse inuenirentur, continuò ad Lœmocomium Insulæ amandarentur, cohabitantes cum illis propter suspicionem, principio ad alia cubilia transferrentur, & nouam quadragenam inchoarent, mutarentque vestes, & lectos, seque aceto infuso purgarent, & quæ reliquissent cubicula, accuratè mundarentur. Sed quoniam apparuit hanc ob causam longè protrahi multis quadragenam, immò, & multiplicari, fiebatque, vt Lœmocomium Sancti Pancratij sufficere tantis oneribus non posset, crescente in dies multitudine, iudicauit Sacra Congregatio necessarium fore aliud institui, & in-

14 strui Lœmocomium † nouum, & mundum, ad quod mitterentur ij, qui in Lœmocomio Sancti Pancratij viginti dies quadragenæ implessent, ibique reliquum tempus transigerent. Cumque de loco deliberatum esset a Sacra Congregatione, & varia Cœnobia menti occurrissent, nullum visum est opportunius, quàm Monasterium Sancti Calisti, capax sanè, & idoneum, Vrbi commodum, & penè a Commercio, & frequentia separatum: quippè quod situm Transtiberim subtùs Sanctum Petrum Montorium, quò transferri poterant ægroti extrà Vrbem, via exteriori, nulla cum ciuibus communicatione, & à Sancto Pancratio tutò vehi per loca infrequentia, quod maximè optandum erat. Sed cum hoc penè statutum foret, mutatum est consilium, quòd æquiùs visum fuerit su-


15 mere ad eos vsus † Carceres nouos Vrbis, in Via Iulia recens fabricatos sub Innocentio Decimo; qui adhuc vacui, nullo intus habitatore,

tatore,

tatote,& infrequentes erant. Cumque a me diligenti eſſent indagine recogniti, omninò placuerunt, & opportuniores omnibus alijs locis indicati, tùm ob multitudinem cubiculorum, tùm ob partitionem viarum, & ambulationum, tùm ob copiam feneſtrarum, tùm ob viciniam fluminis adlabentis, ad purgationem ſordium quàm maximè opportuni. Itaque deiecti Carceres, & deſtinati Miniſtri, & eorum vſibus neceſſaria comparata. Acceſſit, quòd animaduerſum fuit, ibi in atrio locum eſſe capacem duorum hypocauſtorum, ex quibus vnum deſignatum fœminis, alterum viris, qui in ſuo ſinguli lauarentur, & mundarentur, vt poſt lauacrum veſtimenta ſumerent, & mundiores intùs reciperentur, ablata, cum ſordibus, ſuſpicione Contagij, & ſecuriùs agerent quadragenam. Itaque Lœmocomium breui confirmatum, & inſtructum, & rebus omnibus neceſſarijs abundè refertum, quantæ fuerit opportunitatis, paulò poſt enituit, cum ſemper manſerit nitidum, & politum, ac nullum ſit expertum vulnus Contagij; quod item ortum eſt ex eo, quòd diligenti cura cuſtoditum, excubantibus præ Cancellis, Commiſſario, & Militum cohorte.



V CAP.



CAP. IX.

ARGVMENTVM.

Contagiosa Lue adhuc vincente, validiora politica remedia adhibentur. Ad arctiorem Portarum custodiam, Domorum mutationem debitis diligentijs permittendam, Romam venientes consideratè recipiendos, Cibaria in Vrbem importanda, aliaque ad bonum Sanitatis regimen necessaria, Regulæ præscribuntur. Nosocomio Consolationis Peste infecto salubritas restituitur. Ostia Tiberina Cancellis, & Excubijs, pro nauibus, & mercibus tutò introducendis, muniuntur. In sacris Solemnitatibus, nullo tamen Animarum detrimento, frequentia Populi prohibetur. Transtiberini Claustri incolis temerè de propria valetudine iudicantibus, & sæuiori morbo correptis, prouidetur. Mortuorum sepulturis, & suffragijs consulitur. Alia Expurgatoria ad auertendam fraudem, & confusionem, nouissimo inuento Fullonicis additis, sufficiuntur; mox vniuersa expurgationis cura, adhoc peculiari, & proficua pro Ministris Instructione indicta, Auctori committitur. Quædam deindè pro temporum opportunitate permissa, & vetita.

SVMMARIVM.

1 *Portarum Vrbis custodia Ciuibus Primarijs demandata.*
2 *Infirmos domos mutare absque licentia vetitum, & quare.*
3 *Edicta de venientibus Romam a locis suspectis, & de modo in Syngraphis Sanitatis seruando, ac de Cibaria in Vrbem aduehen-*

uehentibus, renouata, & aucta.

4 *Fungorum in Vrbem introductio, & venditio, ne veſcentibus noceat, prohibita.*

5 *Medicis, & Chirurgis iniunctum, vt ſua nomina ad Gubernatorem Vrbis deferrent.*

6 *Caſtrum Gandulphum, & Albanum verſus iter facientibus, via per Oppidum Marinum interdicta, tutiore per Falconianam deſignata.*

7 *Cibaria Romam importantibus, vt a Gubernatoribus locorum liber tranſitus permitteretur, ſtatutis cautelis conſultum.*

8 *Portarum Commiſſarijs mercimonium, aliudue negotium cum Exteris, abuſu præſertim, fœnoris cauſa, Menſuras, & Stateras in præiudicium publici Conductoris commodandi, interdictum.*

9 *Contagij cauſa, quoad Meretrices, Canes, Feles, Conuentum ad menſas in cauponis, & infirmorum officioſas viſitationes, prouiſum.*

10 *Noſocomio Conſolationis reddito infecto, quod remedium adhibitum.*

11 *Tribunalium ſuſpenſio prorogata.*

12 *Tiberis Oſtia cautiùs cuſtodiri iuſſum, ne quid detrimenti Ciuitas ab ea parte pateretur.*

13 *Prælatis iam deputatis ad criminales cauſas in Regionibus Vrbis, facultas impartita procedendi etiam contra Eccleſiaſticos, & Regulares.*

14 *Concurſus Populi ad Solemnia omnium Sanctorum, & Commemorationis Defunctorum prohibitus, conceſsis iiſdem Indulgentijs domi ſuæ recitantibus preces.*

15 *Edicta pro Sanitate tuenda antea indicta, in compendium collecta, & rurſus publicata.*

16 *Tranſtiberini Clauſtri incolis temerè de propria valetudine iudicantibus, quid mali acciderit, & quomodo ſubuentum.*

17 *Lœmocomio Inſulæ non ſufficiente pro mortuis recipiendis, alius ſepulturæ locus, ad Pratum propè Baſilicam Sancti Pauli, deſtinatus, ſtatutis cautelis eò deferendi Cadauera.*

18 *Supellectilem è ſuſpectis Domibus ſurreptam, & ſurreptores, præmijs, & pœnis propoſitis, conquiri mandatum, & n. 21.*

19 *Expurgatores mercedem aliquam accipere a Dominis rerum, quæ expurgabantur, prohibitum.*

20 *Sepultorum extrà locum Sacrum Animabus, eadem ſuffragia, quæ pro tumulatis intrà Eccleſias fiunt, applicari, a Pontifice indultum.*

22 *Con-*



Estifero morbo, nedum a semel in Vrbe concepto fomite, sed etiam nouis semper ab Exteris ingruentibus causis, vires acquirente; visum fuit, maximè ex intenta, vel laxara Portarum custodia coerceri, vel diffundi Contagium. Propterea, vt meliùs custodirentur, iussum, vt
1 singularum † Portarum curam susciperent Viri ciues primarij, partito inter se ordine, ac tempore, vt alij matutinis, alij vespertinis horis adessent, & sic in orbem per vices currerent, nulla intermissione custodiæ: quòd si quis ex designatis, aut morbo oppressus, aut grauiori negotio districtus, adesse non posset; is de impedimento Conseruatorem in Capitolio residentem moneret, vt alium subrogaret. Hoc Edictum, cum Syllabo nominum,
2 Kalendis Octobris promulgatum. Itum etiam obuiam † mutantibus domos, quoniam interdum sani ad eas, quæ infirmorum priùs erant, & infirmi ad eas, quæ fuerant sanorum, transibant; atque adeò ex personis infectis, domus, ex domibus infectis, personæ inficiebantur. Vetitum, ne eæ mutationes temerè fierent, nec sinè facultate Deputatorum ad similes casus, videlicet Prælatorum, Cerri, Celsi, Riualdi, & Caraffæ, qui Regiones Vrbis ad id ministerium sibi partirentur. Pœnæ contrafacientibus seueræ admodum constituræ. Secunda Octobris, Edicti dies fuit. Eo ex magna parte com-
3 pressum Contagium. † Renouatum mensis Maij Edictum, & auctum, vt quæ personæ, & res, è partibus suspectis Romam venirent, diligentissimè cauerentur, & ab ingressu arcerentur. Si cuius Oppidi, aut suspensum, aut interdictum esset Commercium, ad eius

ad eius etiam Territorium extenderetur Edictum, & in Syngra-
phis Sanitatis, non ſolum nomen, & qualitas perſonæ, ſed etiam
rerum, quas ſecum portaret, perſpicuè exprimeretur, & locus vn-
dè, & quò iret adderetur; ac ne quis accepta Syngrapha cum de-
ſignatione loci, ad quem deſtinabatur, a recto ad eum itinere de-
flecteret; quò ſi neceſse fuerit diuertere, id ipſum exprimi cura-
ret in Syngrapha, cum ad eum locum perueniſſet. Adiecta nonnul-
la ad ſecuritatem eorum, qui cibaria in Vrbem importabant, quo-
rum ſalus pro communi vtilitate diligentiùs procuranda. Proui-
4 ſum inſuper, ne permitteretur vſus, & comeſtio † Fungorum, quòd
experientia docuerat, eſſe non parùm valetudini noxios. Addi-
5 tum, vt omnium † Medicorum, & Chirurgorum Romæ exiſten-
tium nomina, in Album referrentur, & ad Gubernatorem Vrbis
deferrentur, vt, cum eſſet opus, eos neceſſarijs muneribus obeun-
dis deſtinaret. Hæc tria Edicta vno die publicata: Is fuit ſex-
tus Octobris. Sequenti præſcriptum, vt, quoniam iter per Oppi-
6 dum Marinum ad † Caſtrum Gandulphum, & Albanum prohibi-
tum erat; nemo auderet eò loci penetrare. Euntibus verò Caſtrum
Gandulphum, & Albanum, tuta deſignata via, quæ a Porta San-
cti Pauli, per Falconianam, ad eadem Oppida, ducebat; per quam
7 item redeundum Romam reuertentibus foret. † Acciderat negari
aditum, & pabulum conducentibus Romam cibaria, in Oppidis,
per quæ tranſibant, prætextu cautionis, cum damno Ciuitatis Ro-
manæ. Imperatum ergo Gubernatoribus, Præfectis, & Com-
miſſarijs locorum, ne id permitterent, fauerentque tranſeun-
tibus, dummodò Conductores ſecum Syngraphas Sanitatis defer-
rent, & arreſtarionem Cuſtodum Portarum Vrbis. Atque, vt
ijdem conſeruarentur ſani, præceptum, vt pro eorum hoſpitio
munda, & abundantia rebus omnibus Diuerſoria deſignarentur.
Octauo die Octobris hac de re ſtatutum. Nec illud omiſſum: Non-
8 nulli † Cuſtodes, & Commiſsarij Portarum emebant varia ad ci-
bum, & vſum a mercatoribus eò accedentibus, quibus commoda-
tas dabant Stateras, & Menſuras ad ponderandas, & menſuran-
das res, quas venùm afferebant, ac ex commodatione lucrum
petebant. Id Cuſtodibus abſonum iudicatum eſt; ideò vetitum, ne
id in poſterùm fieret, cum præſertim detrimentum publicis ratio-
nibus afferretur. Octobris duodecimo id decretum. Aliud &
9 pium, & neceſsarium adiectum: Ne cui liceret apud † Meretri-
ces pernoctare. Iniunctum præterea, ne quis exire ſineret è do-
mo Canes, Feles, & huiuſmodi animalia: quæ ſi foris inuenta
fuiſsent, occiderentur. Inſuper, ne in Diuerſorijs, Taberniſque ciba-

rijs, & vinarijs ad mensas plures, quàm quatuor sederent, ac ne ægroti ad visitationes officiosas quemquam admitterent, præter Domesticos, & Medicos, & Chirurgos, & eos, qui ex officio procurarent Sanitatem. Hæc mense Octobris die 18.

Verùm, quàmuis accuratissimè expurgaretur, & mundaretur
10 Nosocomium † Consolationis, non potuit tamen auerti malum, omnem Contagio vigilantiam vincente, quod quidem ita serpebat, & grassabatur, vt non pauciores ibi tùm Ægroti, tùm Medici, tùm Ministri morerentur, quàm in maximè infecto Lœmocomio Insulæ. Igitur ad me Sac. Congregationis conuersa est mens, vt illius etiam Nosocomij curam, & administrationem susciperem. Ardua erat Prouincia, sed alacriter rem curaui. Ac primùm diligenter Nosocomium expurgari, & mundari iussi: ministros mutaui, introductis agilibus, promptis, & integris. Breui Contagium desijt, & locus salubritatem recepit. Nec destitit industria nouas inuestigandi vias ad seruandam Ciuitatem. Antea verno tempore, ad vi-
11 tandos concursus, † suspensa fuerant nonnulla Tribunalia: eadem suspensio, nouo Edicto prorogata, vt pauciora, & viliora remanerent, quia tempus erat Autumni suspectum, & magis Contagio obnoxium. Expressa sunt in Edicto vtraque, tùm præclusa, tùm
12 aperta, die 21. Octobris. Quo etiam die, nouæ ad † Ostium Tiberis (Flumicinum appellatur) animaduersiones inductæ, circa ingressum, & egressum nauicularum, & lintrium ad merces importandas, & exportandas, & pisces introducendos, additis custodijs, & excubijs, tùm ad Cancellos, tùm per fluuium, & ripas suis in locis dispositis, ne quid detrimenti a mari Ciuitas acciperet.

Crescebant nihilominus, gliscente adhuc Contagio, delicta; qui-
13 bus coercendis opus fuit augere Iudices. † Igitur, Sacta Congregatio quatuor Prælatis Cerro, Celso, Riualdo, & Caraffæ, per Vrbis Regiones iam destinatis, facultatem adauxit, vt Causas Criminales, etiam Ecclesiasticorum, & Regularium cognoscerent, & delinquentes sinè discrimine punirent, more belli, & sola facti veritate inspecta, & ad id, die 25. Octobris promulgatum Edictum. Præterea, ne Pietatis studia, quæ frequentiam inducunt, periculum ex
14 ea augerent, prouisum die 30. eiusdem, † ne Solemnitates, quæ celebritate maxima fieri consueuerant, videlicet omnium Sanctorum ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ Rotundæ, & Commemorationis Defunctorum ad Ecclesias Sancti Gregorij, Suffragij, & Mortis, durante Contagio fierent; nullo tamen Animarum damno, concessis ijsdem in priuato Indulgentijs, & gratijs, quæ in publicum conferebantur; ità vt vnusquisque, domi suæ recitatis precibus priuatis

uatis

uatis, eaſdem omninò Indulgentias lucraretur. Quò meliùs ſeruarentur præcepta, quæ ad ſanitatem tuendam, & compeſcendum Contagium fuerant ab initio Peſtilentiæ impoſita, conſultum fuit,
15 vt eorum † ſumma colligeretur, & palàm proponeretur; qua ratione conſtaret, quot, & qualia fuiſſent, & quanta in ijs excogitandis, & exponendis accuratio, & induſtria fuiſſet, conijci poſset. Ità omnium in compendium redactorum ſyllabus confectus, & die 2. Nouembris propoſitus, vt vnico cernerentur obtutu.

Ex Clauſtro Tranſtiberino, quemadmodum ex tota Vrbe, ad Inſulæ Lœmocomium transferebantur morbidi, & mortui, vt ibi ſepelirentur iſti, & illi curarentur. Aliquantulùm verò in eo Clauſtro, infirmorum, & mortuorum decreſcente numero, inualuit
16 inter † incolas opinio, ſe bene valere, & ſanitate frui, vt in alijs Regionibus Vrbis. Verùm id eſse perſuaſi, cœperunt ægrotos ſuos intrà Clauſtrum curare, & mortuos in quibuſdam hortis tumulare. Ac vt omnia meliùs procederent, extruxerunt quoddam Expurgatorium rerum ſuſpectarum, & locum ad quadragenam peragendam conſtituerunt, tanta fiducia, vt locum illum pro ſano ducerent. Permiſit hoc eis Sacra Congregatio, quòd exiſtimauit homines ibi commorantes, & Miniſtros, & Commiſsarios prudenter ſe gerere, nec temerè de Sanitate iudicare. Itaque imperaui, vt quæ opus eſſent miniſtrarentur, ac eò miſsus Pater Iacobus Caprioli, è Conuentu Sanctæ Mariæ Campitelli, Congregationis Matris Dei, cuius erat in expurgatione rerum infectarum magnus vſus, & certa experientia, ac propterea in Lœmocomio Inſulæ commorabatur. At conceptam ſalutis ſpem, euentus immaturam probauit: eò enim crudelius exarſit Contagium, vt neque ijs, qui peragebant quadragenam pepercerit. Gliſcente itaque malo, neceſse iterum fuit ad Lœmocomium Inſulæ confugere, vt eius loci infirmos, & mor-
17 tuos reciperet. † Cumque maior eſset mortuorum, & ægrotorum copia, quàm contineri intrà ambitum Lœmocomij poſset, decretum, ne Cadauera ibi ſepelirentur, ſed in Pratum vicinum Eccleſiæ Sancti Pauli ſepelienda deducerentur, non terra, ſed aqua in cymbis deuecta, quæ ad id munus fuerant comparatæ, cum magna calcis viuæ copia, qua ſuprà, & infrà Cadauera ſpargebantur. Hæc tumulabantur in foſſis, vti aliàs diximus, ingentibus, altis, & profundis, adiecta Cruce lignea, ad deſignandam ſepulturam Chriſtianorum. Cymbas comitabantur de more Commiſsarij, & Satellites, pari paſsu per ripam fluminis, quo Cymbæ nauigabant. Interdum tamen eueniebat, vt flumen ſupercreſceret alluuionibus, & cymbarum curſum, vi aquarum immodica, impediret: quo in euentu ca-

tu cadauera imposita magnis curribus terra deferebantur, comitantibus itidem Commissario, & Satellitum cohorte. Supra cymbam, & currum imponi solitum stragulum nigrum, & Crux lignea, & hoc modo efferebantur, & tumulabantur. Postea, comperto illud Pratum ad Sancti Pauli Basilicam nimis vicinum esse viæ publicæ, consultiùs visum condi cadauera in alio Prato remotiori vltrà Ecclesiam Sancti Pauli, quod erat flumini propinquius:
18 Ita deinceps sepulta Cadauera. Aliò postea curæ conuersæ. † Fama erat, quasdam res è Ghetto Hebræorum fuisse ablatas, & absconditas. Pronunciatum ergo Edictum die 15. Nouembris, vt quicumque sciret, vbi forent, & quis, & quomodo rapuisset, is de eo Sacram Congregationem commonefaceret. Præmia pro-
19 missa, & supplicia proposita. Rumor item fuit, eos, † qui sub Præfectura Montecatini Prælati expurgandis rebus infectis operam dabant, pro labore mercedem exigere, deque eo conqueri dominos rerum; quo audito, iussum die 17. eiusdem, ne quis quidquam acciperet, cum è publico stipendium illis solueretur, omniaque ritè expurgata dominis suis redderentur. Nec corporum tantùm sanitati, sed animarum etiam, consultum. Itaque indultum a Ponti-
20 fice Alexandro, vt pro eorum Animabus, quorum † corpora sepulta essent extrà locum Sacrum, eadem suffragia applicarentur, quæ pro alijs intrà Ecclesias tumulatis fieri solebant; hortatis insuper Capitulis, & Communitatibus Ecclesiarum cuiusque generis, vt ad exemplum Pontificis, qui primus in suo Pontificio Sacello pro iisdem Sacrum fecit, singulis hebdomadis Anniuersarium celebrarent pro Animabus ex Contagio defunctorum. Præterea imperatum, vt in Basilicis Sancti Ioannis in Laterano, & Sancti Petri in Vaticano, & Sanctæ Mariæ Maioris, & alijs Ecclesijs nobilioribus, quotidie sub noctem post horam fermè secundam, pulsa-
21 rentur Campanæ per semiquadrantem horæ, & concessum, † vt quicumque ad earum sonitum, flexis genibus, ter Pater noster, & Aue Maria recitaret, vel quid simile, pro cessatione Contagij deuotè impenderet, lucraretur pro singulis vicibus annum Indulgentiæ. Si quis verò orationibus suprà memoratis adiungeret Sacram Communionem intrà octauam dierum, is plenariam Indulgentiam, & remissionem omnium peccatorum consequeretur. Dies Indulti fuit 18. eiusdem Mensis Nouembris.
22 Et quoniam è † Domo Parochi Ecclesiæ Sanctorum Simonis, & Iudæ, mortui vnà cum sorore, & alijs intrà eandem domum ad Montem Iordanum habitantibus, supellex ablata fuerat, & raptor adhuc ignorabatur, curatum est enixè, vt exploraretur, &

seue-

ſeuerißimè puniretur, de qua re die 23. exijt Edictum.

Paucis poſt diebus renouatum, & amplificatum eſt Edictum,
23 publicatum die 20. Auguſti, vetans, ne cui † Confeſſario, Medico, Chirurgo, quidquam de rebus defunctorum liceret attingere, vel extrahere. Præterea, ne poſſent ingredi aliquam domum integram, & non ſuſpectam, nec vagari liceret per Vrbem, ſed ſe continerent intrà ſuos limites, & nunquam abijcerent, vel dimitterent virgas Cruce præfixas, pro ſigno eorum ſingulis aſſignatas. Hæc omnia, Menſe Decembri, edita, & palàm facta.

Interim, quoniam ex rectè adminiſtrata infectarum, & ſuſpectarum rerum expurgatione, maximum publicæ incolumitati ſperabatur præſidium, eò omnis, & diligentia, & cura conuerſa eſt. Hinc, cum tanta, breui, comperta fuiſſet rerum copia, vt ad id munus delecti loci non ſuffecturi viderentur, opus fuit aliud ſtrui, & in-
24 ſtrui † Expurgatorium ad Thermas Antonianas, qui locus maximè commodus iudicatus. Eò cum ſe mecum contuliſſet idem Prælatus Montecatinus, expurgationis Præfectus, nihil tardarum in eo aptando, & inſtruendo, exemplo aliorum, quæ certis iam erant normis, & regulis conformata, quorum ſitum, figuram, capacitatem, proportionem, & indicant Icones, & nos obiter deſcribimus. Ea diuiſio vtilis admodùm apparuit, & minori labore fieri cœpta purgario. Sed in tanta multitudine Miniſtrorum, & copia rerum, ſeruari leges minimè potuere. Erant, qui confunderenr, ac permiſcerent collecta: erant qui raptim accepta amitterent: nec deerant, qui raperenr, & alijs diſtribuerent, qui euerrerenr, & diſſiparenr. Permiſcebantur itaque ſuſpecta infectis, & infecta ſanis, & propterea communicabatur Contagium, & gliſcebat, & graſſabatur. Et quamquàm multi in delicto comprehenſi capitali pœna fuerinr affecti, non tamen idcircò illud malum auerti potuit, nec coerceri; tanta erat trepidatio Miniſtrorum, & affluentia rerum, vt nec illi ſe poſſent expedire, nec iſtæ explicari. Accedebat, quòd nullus erar modus reſtituendi Dominis ſua; imò & quædam ſubtrahebantur, quædam commutabantur: vndè queſtus, & comploratio oriebatur. Nec iſtud maximum erat malum, ſed illud, quòd multi, ne res ſuæ ad Expurgatorium deferrentur, eas domi in locis ſecretioribus abſcondebanr, ac detegere nolebanr, & elatis cadaueribus mortuorum, reſeruabant lectos, & culcitras, & lodices eorum; vnde fiebar, vt Contagium hæreret tractantibus, & ab ijs ad reliquos tranſiret. Ità Peſtilentia creſcebar, apparebatque in ijs domibus, quæ abundabant ſupellectili, ſemper hærere Contagium. Quarè viſum eſt, vt alij


modi excogitarentur, ad huiusmodi expurgationes perficiendas, res expediendas, dominis restituendas, auferendasque occasiones, eas in domibus occultandi eo prætextu, ne raperentur. Occurrit, & quidem opportunè, vt, quoad fieri posset, eæ in ordines distribui deberent, & ad celeriorem expurgationem delectis Ministris assignatæ, mitterentur ad eas Pilas arte fabricatas, vbi aqua decurrens excipitur (Valcas vulgò appellant) suprà quas lignei mallei satis graues imminent ad pulsandas res subiectas accomodati, quæ inuentæ ad vsum pannorum tundendorum, ac eorum expurgationem ab oleo contracto, quod omninò vi pulsuum identidem cadentium exprimitur, remanente mundo, & nitido panno. Nihil dubitatum, quin is locus esset ad res certò, & rectè purgandas aptissimus. Itaque statim eæ Pilæ, siuè Valchæ, conductæ, & in vsum redactæ ea, quam suo loco describemus, figura. Iuuit hoc aliquantùm; sed ob ministrorum ineptiam, & malitiam, non satis ad votum respondit. Ac proindè iussum eorum Præfecto Montecatino, vt illarum dumtaxat rerum, quas ipsi receperant in eisdem Expurgatorijs, antea sibi commissis, expurgationem perfici, ac de eis rationem
25 reddi curaret; a colligenda verò noua supellectili abstinerent. † Ac ne in posterùm tàm necessario operi remedium deesset, ventum est ad me, qui omnia tenebam, & explorabam causa Reipublicæ. Fabricari curaueram initio Contagij quoddam Expurgatorium pro sericis, quæ Neapoli paulò antè Romam venerant, vt a Mercatoribus venderentur, quorum expedita purgatione, illud ad infectas, & suspectas supellectiles Regionis Burgi expurgandas suffeceram; erat quippè situm extrà Portam Angelicam loco opportuno, clausum vndique muro, & obseptum; intus lacunæ aliquot è cauato saxo, idoneæ ad recipiendos, & tundendos iniectos pannos. Habebat curam, & administrationem loci inter cæteros, qui eò missi fuerant, Ministros, Frater quidam Aracœlitanus, eorum, quos vocant ex Obseruantia, homo diligens, cautus, industrius, qui magna accuratione negotium expurgandi agebat; discernere pannos a pannis, dignoscere, ac seiungere vestes a vestibus, separatim seruare, ac custodire, singulis sua reddere, nulla permixtione, nulla confusione; adeò vt sæpè mecum Princeps Marius Chisius, qui communi saluti summoperè incumbebat, eò se, videndi gratia, conferret, ac illum in secernendis, tundendis, purgandisque vestibus, & fidem in reddendis laudaret admirans, & commendaret. Igitur a me iniunctum, vt nouissimè colligenda supellex, in hunc locum deinceps conferretur; adiunctis duabus Fullonicis, seu Valchis, quarum vna erat ad Portam Sancti Pauli,

altera ad Deiparam Solis: & quamuis ille locus Sancti Pauli remotior eſſet (nempè ad Turrim Vallis, propè acidam aquam, vocant acetoſam) omnes hi tres ad tantam multitudinem rerum requirebantur. Hac ratione multò meliùs expurgari cœpti ſunt Panni, qui meo iuſſu ex domibus ſuſpectis, & infectis extrahebantur, præſente, ac ſcribente Notario ad id deſtinato. Mox Miniſtris diſtinctè ad tundendum tradebantur, ac bona, & certa poſtea fide reſtituebantur. Priùſquam tamen redderentur Dominis, monebantur ij, vel eorum vice, cognati, aut vicini, vt mitterent aliquos, qui reciperent, idque pridie fieri ſolebat.

Atque, vt huiuſmodi Expurgatio accuratiùs, & celeriùs fieret, non modò illa omnia peculiari Edicto die 16. Decembris ſunt renouata, quæ menſe Auguſto, pro rebus itidem expurgandis, fuerant, præſcripta; verùm etiam die 19. eiuſdem, vt omnes, ad res alacriùs, & tutiùs exhibendas allicerentur, arctioribus, & opportunioribus Regulis plena, quæ ad inſtar Magiſtralis normæ eſſet, perfectiſſima Inſtructio ſuo loco recenſenda, fuit publicata, pro extrahenda è domibus infectis, & ſuſpectis ſupellectili expurganda, cuius beneficio, omnis aut rerum iacturæ, aut fraudis ſuſpicio remoueretur. Hæc, mirum dictu, quantùm in comprimenda Lue præſtiterit; vix enim poſt eam publicatam excitatis ad res ſuas promptiùs manifeſtandas, vt ad Expurgatoria transferrentur, renitentibus antea Ciuium animis, viſum eſt non modicè decreſcere Contagium; adeò vt res fuerit in vulgus acceptiſſima, & magnis vbique Ciuium acclamationibus, & præconijs commendata.

26 Inſtabant † Natalitia Chriſti Solemnia, quæ maxima vbique Ciuium frequentia, & concurſu, noctutno tempore ſolent celebrari. Maximum hinc poterat publicæ ſaluti detrimentum emergere. Igitur, ne Populum, incautæ pietatis cauſa, Contagium crudeliùs adoriretur, iniunctum, vt ea nocte a cunctis ſolemnitabus abſtineretur, & in ſolis Patriarchalibus, Collegiatis, & Regularium Eccleſijs priuatìm ſacra fierent, Ianuis clauſis, illiſque feſtiuis diebus Præſepia vetita fuere. Quòd decretum, ne quempiam lateret, peculiari Edicto die 22. Decembris eſt publicatum. Sub finem verò anni, cum quædam Oppida circa Vrbis diſtrictum, ab omni ſuſpicione Contagij libera eſſe conſtiterit, ijs die 30. reſti-
27 tutum † Commercium. Ea tamen lege, vt nemo niſi ad vſum proprium, vel ad Annonam pertinentia, aut ex Metallo fabricata ſecum inferret. Ex quo ſingularis, in tam valido, & clandeſtino hoſte obſeruando, Sacræ Congregationis enituit vigilantia.

CAP.



CAP. X.

ARGVMENTVM.

SAlutis spe in dies resurgente, integræ rerum expurgationi totis animis incumbitur, oblata pluries supellectilem occultam reuelantibus impunitate. Auctor, Commissarius Generalis Sanitatis, cum eadem Sacræ Congregationis facultate renunciatur; Et ne quispiam infectorum, aut suspectorum deinceps in domibus clausis remaneret, infectos omnes ad Lœmocomium Insulæ amandari statuitur, & pro eorum causa suspectis, nouum Sancti Eusebij instituitur, dein alterum Sancti Iuliani, mox tertium Sancti Viti. Contagio tandem iam ferè cessante, Insulæ Lœmocomium dimittitur, paucis, qui supererant infirmis ad illud Consolationis reductis; Ad præseruationem, quibusdam diebus à cibis Quadragesimalibus dispensatio conceditur. Septem Ecclesiarum Stationes in vnius tantum visitationem commutantur, & demum Tribunalia restituuntur.

SVMMARIVM.

1 *Expurgatio rerum vt meliùs procederet, supellectilia occulta reuelantibus impunitas concessa, & n. 12. 15. 17. & 22. renouata.*

2 *Auctor, Commissarius Generalis Sanitatis, cum eadem Sacra Congregationis potestate, renunciatur.*

3 *Infectos, & suspectos cuiuscumque conditionis essent, non permitti, vt deinceps in domibus suis curarentur, ac remanerent, sed ad Lœmocomia transferri, decretum, & quarè.*

4 *Lœmo-*



Neunte anno 1657. Ianuario se aperiente mense, declinabat quotidie morbus, & spes non vana quàm citò assequendæ salutis augebatur: quæ, cum rectæ rerum expurgationi non immeritò tribueretur, ea vt meliùs procederet, quoniam rerum infectarum, & suspectarum nullam prorsùs latere oportebat, ne postmomodum ex illius vsu Pestis resurgeret, duo fuere proposita Edicta, vtrumque intrà paucos Ianuarij dies, primum videlicet, & quin-
1 tum, vt † impunitas concederetur ei, qui detegeret, ac reuelaret occultum aliquod, idque patefactum ad Officium Gubernatoris Vrbis deferret. Hac ratione, comperta, & expurgata sunt plura, quæ aliter minimè detecta fuissent, & damnum maximum Reipublicæ attulissent. Mirum scitu, & dictu est, quanta vis rerum quotidie appareret, & quantùm earum expurgatio saluti communi proficeret; nihil enim euidentiùs ad imminutionem mali profuisse constat. Hoc comperto ad profligandam Pestilentiam, vehementer animi sunt confirmati.

Quoniam verò ad me deuenerat tota fermè cura Sanitatis, nec ea conseruari poterat sinè plena, & vniuersa iurisdictione, ac potestate præueniendi, & puniendi delicta, quæ intercurrebant ob causam Contagij; & occurrentes Criminales causæ vix à Sacra Congregatione propter multas, & varias occupationes quotidie emergentes decidi, ac expediri poterant, cum præsertim multa crimina contingerent, quæ statim punienda erant, nec moram patiebantur, ac necesse erat satisfieri Populo, & terrere plebem, quæ difficulter sinè metu coercetur; Visum est Pontifici, conuenire, vt sicuti salutis cura mihi erat commissa, ità &, quæ contrà illius administrationem committebantur crimina, eorum ad me, & iudicium, & vindicta Iustitiæ pertineret. Atque, vt id cum
2 maiori auctoritate præstare possem, † Commissarium me Generalem Sanitatis renunciauit, cum integra, & plena, qualis erat in Sacra Congregatione, ad Iustitiam administrandam potestate; vt qui casus occurrerent, etiam supplicio digni, ijs in omnibus mihi liceret delinquentes punire, & iustas, arbitratu meo, pœnas repetere, quemadmodum constat ex Diplomate in eam rem expedit.

Interim, sicut ex diligentijs pro integra rerum expurgatione adhibitis, morbus in dies magis coarctari videbatur; ita ne inter suspectos, vel domibus clausos foueretur Contagium, è Republica
3 visum, vt nemo † Ægrotorum, vel Suspectorum domi suæ deinceps remaneret, sed, incipiente morbo ad Insulæ Lœmocomium transferren-

sferrentur ægri, & omnis eorum supellex ad Expurgatorium deferretur, & pro suspectis aliud de nouo Lœmocomium excitaretur.
4 Electum ad id † Monasterium Sancti Eusebij ex Ordine Cœlestinorum, haud procul a Sancta Maria Maiore in Exquilijs, vltrà Arcum Sancti Viti; Iisque Religiosis Patribus alter assignatus Cœnobij locus in Platea, quam Vrsi appellant, vbi commodè interim haberent. Igitur in nouum istud Lœmocomium missi suspecti è domibus infectis extracti, qui admissi statim expoliabantur, & vestibus recentibus, si ad manus erant, induebantur; sin minùs, expectabant, donec lauarentur, & suffirentur. Cuicumque familiæ attribuebatur statio integra separata, vti angustiæ loci permittebant, ibique alebantur Cameræ Apostolicæ expensis, viginti diebus, dimidia scilicet Quadragena; & his expletis educebantur, &
5 ad aliud perpolitum, ac † mundum Lœmocomium deferebantur, apud Carceres Nouos in Via Iulia, vbi confestim in Hypocaustis lauari, ac mundari compellebantur. Deindè in separatas mittebantur stationes, ibique per alios viginti dies, pro integra Quadragena complenda, morabantur, quibus absolutis exirent, & ad domos suas reuerterentur.

Magna fuit noui huius Lœmocomij apud Sanctum Eusebium
6 vtilitas; † nam, cum anteà ægroti domi remanebant suæ, & suspecti habebantur, clausi ibidem identidem inficiebantur, & gliscebat Contagium, nec terminabat, quousque habitabant Incolæ. At postquam cœperunt deferri ad Lœmocomium Sancti Eusebij, pauci pro numero ægrotabant, adeò vt è centum, vix quinque inficerentur: ac hi subitò deprehendebantur; quia bis quotidie,
7 manè, & vesperi à Medicis visitabantur, & sinè vlla mora ad † Insulæ Lœmocomium deportabantur, ibique, propter diligentem curam, paucissimi moriebantur. Qui autem erant apud Sancti Eusebij, mutare vestimenta, & stationes solebant: & quamuis aliqui Contagium contraherent, statim cognoscebantur, & adhibitis remedijs præsentibus, velociùs sanabantur, quàm antea, cum domibus se quisque suis curabat. Quarè perspecta huiusmodi vtili-
8 tate, duo † alia aperiri placuit Lœmocomia pro hominibus suspectis: alterum in Monasterio Sancti Iuliani, Patrum Ordinis Carmelitani; alterum in Cœnobio Sancti Viti, quod est Patrum Ordinis Cistercienfis, vtrumque in eadem Via, & Foro Sancti Eusebij. Ne tamen ij Patres sinè Monasterio, & habitatione congrua remanerent, Carmelitanis assignatum est Cœnobium eiusdem sui Ordinis, quòd est ad Sanctum Martinum de Montibus. Cistercienses verò, ad aliud sui item Ordinis Monasterium ad Quatuor Fontes

Fontes traducti. Deinceps ergo mitti cœperunt personæ omnes de Lue suspectæ ad illa noua, & commoda Lœmocomia, nec permissũ fuit amplius, Domibus suis quemquam curari. Cumque famulus quidam ex pedissequis correptus Lue in domo Chiliarchæ Gentilis, Viri opulenti, quique in magna, & copiosa Domo ad Viam Iuliam in Foro S. Ioannis, vt vocant, habitabat, essetque ea Domus instar Palatij, quam idcircò Prælati solebant conducere, deprehensus fo-
9 ret,† coactus fuit idem Chiliarca cum tota sua familia ad Lœmocomium migrare. Similiter Angelus Picchiettus Curialis haud vulgaris noræ, cum eius seruus Contagio infectus appareret, & illa domus satis ampla esset in Via, quæ Coronariorum dicitur, nihilominus compulsus fuit domo exire cum omnibus suis, & Lœmocomium adire. Et quidem plurimùm ij institerunt, ne cogerentur domos suas deserere, & illò amandari: Ac in primis Gentilis, qui & Vxorem, & filiam nubilem, & magnum mulierum comitatum domi habebat. Verùm nihil profecerunt, quò minus exirent, & ad Lœmocomia deducerentur. Illud tamen ambobus pro sua conditione concessum, vt quisque in proprio curru, cum vno tantùm Custode Commissario, absque vllo satellitio veheretur. Gentili assignata fuit habitatio in Lœmocomio Sancti Viti in statione satis commoda ad commorandum, atque deambulandum. Picchiettus ad alteram S. Iuliani missus fuit, non sinè æqua commoditate habitandi. Et quàmuis initio illi plurimùm conquesti fuerint, quòd domibus suis exire coacti, & in Lœmocomia coniecti essent, cum antea solerent ægroti opulenti, ac nobiles apud proprios lares curari, & ambo clari in primis, & diuites haberentur; procedente tamen tempore, cùm se vidissent tam benè, & lautè tractari, & neminem eius, quam secum duxerant, familiæ ægrotare, sed omnes valere meliùs, magisque confirmari; ex supellectili autem domestica nihil omninò extractum ad expurgandum, nisi quod proprium seruorum infectorum fuerat, & ab ijsdem inter inseruiendum manibus tactum, adeò vt ipsimet Currus mundati essent accuratissimè, ac omnia, quæ sinè suspicione erant integra, & intacta mansissent; non modò deposuere mæstitiam, sed etiam hilares, & iucundi, mihi, cuius iussu eò fuerant translati, ingentes gratiarum actiones persoluerunt. Ac eò magis, quòd se viderant insigni honore affectos a Principe Mario Chisio, qui captata occasione inuisendi, vti assolebat Lœmocomia, vtrumque ad portas vocauerat, vrbanè exceperat, ac magnoperè confirmauerat, excusans actum, quòd è Republica esset, ac necessarium duceretur incipere a viris, quales ipsi erant, ad cæteros obscuros consolandos,

quibus

quibus eo tàm claro exemplo animus addebatur, & ſupercreſcebat fiducia. Itaque præire debuiſse illos, vt cœteri ſequerentur. His verbis, & rationibus a Principe Mario perhumaniter excepri, hilariter in Lœmocomio egerunt; ac poſteà ex eo dimiſſi eundem Principem gratulabundi viſitarunt, ſequè illi maximè deuinctos fore polliciti ſunt.

Aliud hinc orrum vtilitatis genus, quòd Ciues, qui videtant nemini permitti Domi ſuæ curari, diligentiſsimè cauebant a quacumque vmbra Contagij, ſummè metuentes ad Lœmocomium deferri, ſi quid ſuſpicionis contraherent. Quòd ſi qui inficiebantur, ij continuò è domo ad Lœmocomium mittebantur, hoc ordine, vt qui erant infecti, ad Inſulam transferrentur, qui verò ſolùm ſuſpecti ad ſuſpecta Lœmocomia: habebantut autem ſuſpecti cohabitantes cum infectis; ſupellex verò deportabatut ad Expur-
10 gatorium commodius. Vndè occaſio nata eſt expurgandi † domos ſingulorum, magna Ciuium vtilitate. Ad id munus electi ſunt Commiſſarij viginti octo, diſtriburi eo modo, vt bini ſingulis Vrbis Regionibus aſſignatentur; quorum alter ſecum duceret opportunum expurgantium hominum numerum pro infectis rebus deſignatorum, qui exibant è Lœmocomio Inſulæ cum pararo Curru, & Inſtrumentis, & Suffimentorum copia, vt primam expurgationem facerent; alter cum alia turma expurgantium res tantum ſuſpectas, qui continebantur intrà domum quamdam incluſam in ſpatio Lœmocomij Inſulæ, ſinè vllo cum ægrotantibus, & iiſdem aſſidentibus Commercio: Hi mittebantur ad ſecundam expurgationem peragendam. Prædicti Commiſſarij præ manibus habebant librum, in quo notabant domos, quæ ſubindè mundabantur iuxtà præſcriptum inſtructionis acceptæ, quæ ſuis in locis referretur. Tenebantur autem ad me quotidie ſub noctem venire, & rationem reddere eorum, quæ illa die præſtiterant: & accipiebant à me inſtructionem rerum præſtandarum; & ſi qua occurriſſet in expurgando difficultas, ea coram me proponebatur, ac decidebatur. Interdum enim contingebat, vt non ſatis eſſet communis inſtructio, & opus eſſet noua conſultatione pro varietate, & grauitate caſuum emergentium.

Comprobatum tandem fuit ex vtilitate orta, ab huiuſmodi rerum infectarum, & ſuſpectarum expurgatione, malum magna ex parte, ea ommiſſa oriri: cumque accuratè obſeruaretur coniectura
11 iſta, omninò † conſtitit, Contagium ex vſu, & translatione ſupellectilis infectæ naſci; præcipuè fatentibus ægrotis, ſe Luem contraxiſſe, eò quòd penès ſe pannos ſuſpectos retinuiſſent; quod in pri-

mis confirmarunt ij, qui ad Insulam deferebantur. Quarè die 15.
12 Ianuarij Edictum fuit propositum circà † reuelationem eorum, qui
occultassent, aut occultatas scirent res vllas suspectas, vel infe-
ctas, condonata culpa, & remissa pœna cuicumque, qui vel dete-
geret occulta, vel occultata fideliter denunciaret, non obstantibus
anterioribus in contrarium publicatis Edictis. Difficile credere,
13 difficilius dictu est, quanta † rerum occultatarum copia, & denun-
ciata fuerit, ac producta. Proposita quippè impunitate, nemo con-
tinere se poterat, quin abscondita reuelaret, atquè expurgationi
offerret; adeò vt, cùm denunciationes ad Notarium Gubernato-
14 ris adducerentur, † non suffecerit ille vnus, sed plures minores
Notarios necesse fuerit adhibere, & fabricari vlteriùs magnum nu-
merum Plaustrorum, & Curruum ad exportandam supellectilem
denunciatam ad locos Expurgationi assignatos.

Perspecta verò, & explorata a Republica recta, & integra eius
rei administratione, & quanta fide panni restituerentur, nihil-
que amitteretur, adeò vt vix dum loti, & purgati Dominis
suis ad siccandum redderentur, & expedirentur citiùs, quotidie
veniebant singulis horis ad denunciandum multi, & petendum,
vt impunè esset reuelare: tanta fuit vis concurrentium, vt visum
15 fuerit conuenire, vt † ego totam Vrbem lustrarem, & in singulis
Regionibus declararem, datam omnibus penitùs reuelandi impu-
nitatem. Postmodum supercreuerunt denunciationes vsque ad
admirationem. Hac ratione, denunciando, expurgando, resti-
tuendo, quæ erant infecta, vel suspecta, quàm maximè imminu-
ta fuit Pestilentia, & salus aucta, facta spe in posterùm sanitatis.
16 Itaque declinante iam Contagio, dimissum fuit † Lœmocomium
Insulæ, paucis, qui supererant infirmis reductis ad Nosocomium
suspectum Consolationis, continuato nihilominus vsu expur-
gandi pannos per eosdem expurgantes primos, qui dicebantur
immundi, seque transtulerant ab Insula ad Consolationem, ac
17 in Domo separata seorsim habitabant. Recèns promulgata † im-
punitatis Edicta ad terminandam denunciationem, necnon expur-
18 gationem superiùs expressa. Immò & † supellex Transtiberina,
quàmuis esset semel ex præscripto Patris Iacobi Caprioli expurga-
ta, quia ambigebatur, an foret satis munda, iterùm fuit expur-
ganda: Tanti æstimabatur huiusmodi expurgatio, postquam com-
pertum fuerat, plurimùm ex ea Reipublicæ salutem pendere. Et
19 quidem † Ghettum, & res Hebræorum, natura, & gentis vsu
sordidiores, diligentissimè sunt expurgatæ, ne quid ex ea parte
communi saluti officeret. Nec mirum sanè tantundem diligentiæ,
& curæ

& curæ inſumptum in huiuſmodi pannorum expurgatione; quia cum origo peſtis ex eis incœperit, neceſſe fuit, vnde Lues initium duxerat, indè illius finem, exitumque ſperare.


Et vt ſemper magis, ac magis ſalutis ſpes confirmaretur, quoniam ciborum qualitas multum in vtramque partem momenti habet, indulſit Pontifex Vicarij ſui opera, vt tempore, quod immi-
20 nebat † Quadrageſimæ, quatuor diebus in hebdomada, videlicet die Dominico, die Lunæ, die Martis, ac die Iouis, carnes manducarentur; ea lege, vt ieiunium de cœtero ſeruaretur, eoque Priuilegio, qui regula propria carnibus abſtinerent, ne fruerentur; Liceret tamen his oua, & lacticinia comedere hac conditione, vt qui vellent conceſſa facultate edendi carne vti, ij quinquies orationem Pater noſter, & Aue Maria recitarent. Idque Edicto die 3. Februarij pronunciatum.

Spirabat vndique felix ſanitatis aura, magno plauſu, & expectatione Ciuium Suæ Sanctitati gratulantium de publica incolumitate, quam omnes ei acceptam referebant. Atquè vt ea feliciùs pro-
21 cederet, die 4. conſtitutum, † vt omnes Confeſſarij, Medici, & Chirurgi, qui fuerant in Lœmocomijs, & locis infectis, congregarentur ſimul in Monaſterio Sancti Euſebij, vel alio opportuno magis deſignato, ad Quadragenam peragendam. Ac ne deeſſent, ſi neceſſitas occurreret, Medici ſpirituales, & corporales, eſſent præſtò de die quàmplures ad Conſolationis Eccleſiam ad id paratam. De nocte autem, ego, tamquam Commiſſarius Generalis, apud quem erant Lœmocomiorum claues, prouiderem.

22 Eadem die quarta publicatum alterum, quo renouata † impunitas ijs, qui eodem die intrà triduum reuelarent res ablatas, vel abſconditas in Ghetto, quod poſtmodum die quinta extenſum fuit ad omnes ædes Vrbis, ac Lœmocomia, iubendo, vt ad me de eo reuelatio ferretur; nec non etiam ſi quiſpiam eas res haberet, intrà triduum omninò traderet, vt meo iuſſu expurgaren-
23 tur. Die 10. indultum eſt a Pontifice, vt loco † viſitationis ſeptem Eccleſiarum, quæ Stationes dicuntur, vna tantum, priuata electione deſignata deuotè viſitata, eædem Fidelibus, quæ in ſeptem conceduntur Eccleſijs, Indulgentiæ donaren-
24 tur. Die 20. renouata Iudicia, & aperta † Tribunalia, monitis tamen cauſarum Actoribus, ne turbas facerent, ac nimios concurſus vitarent.



CAP.



CAP. XI.

ARGVMENTVM.

Expugnatis Contagij viribus, in Vrbe, ac Territorio extensum commercium; acriùs tamen vetitum Genuæ, mox Neapoli, alijsque locis adhuc infectis, vel suspectis; & ad placandum Deum, pro animarum, & corporum salute preces indictæ, & Indulgentiæ concessæ. Pro suspectis personis, & rebus è Regno Neapolitano venientibus Lœmocomium, & Expurgatorium ad Mallianam, deinde aliud ad Montem Testaceum institutum, & renouatis ad Ostia Tiberina custodijs, quorundam Edictorum rigor remissus. Nonnullis emergentibus morbis Contagij suspicionem ferentibus illicò cautiones reassumptæ; & Oppidis quibusdam suspectis suspensum Commercium, alijsque minimè suspectis restitutum, aliaque plura pro Sanitate decreta. Omnimoda demum Vrbis salute confirmata, liberum Commercium cum Legationibus Bononiæ, Ferrariæ, & Romandiolæ apertum, & iteratis cautionibus, ne quidquam, Exteri præsertim ab oris maritimis, vel etiam à Lœmocomio, & Expurgatorio Mallianæ, mali inferrent; fides publica salutis facta est, & communis tranquillitas ab omni suspicione vindicata.

SVMMARIVM.

1 *Contagio Romæ expugnato, Commercium in Vrbe, ac Territorio ad viginti milliaria extensum.*

2 Conta-

2 *Contagio nondum penitùs in Dominio Genuenſi extincto, vetitum, ne venientibus illinc aditus in ditionem Eccleſiaſticam permitteretur; & quarè.*

3 *Contagij initio ab Vrbe profectis reditus in eandem permiſsus, dumodo à ſuſpectis Oppidis non venirent.*

4 *Indulgentia conceſſa preces ſolemnes recitantibus, & intrà octauam Paſcha ſacro Euchariſtia Sacramento ſe reficientibus.*

5 *Infectionis ſuſpicione in quibuſdam Oppidis Status Eccleſiaſtici purgata, Commercium reſtitutum.*

6 *Infectarum, vel ſuſpectarum rerum reliquias reuelantibus impunitas iterùm conceſſa.*

7 *Contagij ſuſpecto adhuc Regno Neapolis, Expurgatorium ad Mallianam pro rebus Neapoli venientibus conſtitutum; ibique etiam Nautis, & Conuectoribus locus Quadragena aſſignatus.*

8 *Suſpectis perſonis Neapoli venientibus, Quadragena locus quoque propè Terracinam deſtinatus, & quarè.*

9 *Expurgatorium aliud propè Montem Teſtaceum inſtituitur, & quarè.*

10 *Contagij periculis à Nautis, & Nauibus ad Oſtia Tiberina validiores cuſtodia praſcripta.*

11 *A Lue immunia declarata Oppida quadam, priùs ob timorem ſuſpenſa.*

12 *Interdictum, ne venientes è Regno Neapolitano in ditionem Eccleſiaſticam admitterentur, & quarè.*

13 *Edicta quadam pro Sanitate, qua ampliùs non opus erat obſeruari, reuocata.*

14 *Contagij ſuſpectis caſibus in Vrbe emergentibus, iuſſum, vt minùs liberum eſſet cum Oppidis Status Eccleſiaſtici Commercium.*

15 *Meſſoribus conceſſa facultas ſuum munus exercendi in agris Roma vicinis, ni tamen à ſuſpectis locis veniſſent.*

16 *Infirmorum vt opportuna notitia haberetur, Officiales per ſingulas Vrbis Regiones iterùm deſtinati.*

17 *Supellectilis domeſtica vſu, & vetuſtate attrita emptio, & venditio cuicumque vetita.*

18 *Infirmorum officioſa viſitationes prohibita.*

19 *Ægrorum denunciationes, vt ritè fierent, varia prouiſiones indicta.*

20 *Supellectilis ne quid è domo agroti, vel defuncti, extraheretur cautum.*

21 *Infirmos recipere Tabernarijs, & Cauponibus vetitum.*

22 *Sanitatis ſyngrapha à quibus expedienda.*

23 *Ægrotorum supellectilia, licèt iam diu expurgata, aeri, & Soli exponi iussum.*

24 *Impunitas ad potiorem cautelam Hebræis concessa, vt res occultatas, ablatas, haud expurgatas expurgationi resignarent.*

25 *Commercium cum Ciuitate Viterbij, alijsque locis suspectis interdictum.*

26 *Vuarum venditio; immò & in Vrbem introductio, vetita, & quare.*

27 *Commercium Oppidis quibusdam Vrbi vicinis adimitur, alijs minimè suspectis restituitur.*

28 *Vindemiarum tempore, ne quis præter Operas necessarias, & vnum ex Domesticis, in Vineis commoraretur, prouisum, & quarè.*

29 *Commercium cum nonnullis Prouincijs Status Ecclesiastici apertum, debitis tamen cautionibus.*

30 *Gregibus in agro Romano pascua habere solitis, liber aditus permissus.*

31 *Edictis nonnullis de vitanda libera communicatione intrà Vrbem derogari cœptum, & quibus.*

32 *Infirmorum denunciationes continuari iussum.*

33 *Læmocomio Insulæ S. Bartholomæi penitùs expurgato, iussum domus in ea existentes suis dominis liberè relaxari.*

34 *Commercium cum Legationibus Bononiæ, Ferrariæ, & Romandiolæ apertum, alijsque Oppidis, & locis restitutum.*

35 *Pestilentiæ periculo ad Oras maritimas, acrioribus remedijs, quomodo occursum.*

36 *Quadragenarijs, ne communicatio cum alijs minimè suspectis permitteretur, & ne quis Ministrorum ab eis quidquam mercedis acciperet, cautum.*

37 *Vrbs omnimodè à suspicione, & metu liberata, & communis tranquillitas restituta.*


Essauerat tandem Contagium post biennale ferè
bellum in Vrbe, ac Territorio; propterea Edi-
cto declaratum 16. Martij 1657. licere Ciui-
1 bus † intrà Vrbem & Oppidanis extrà Vrbem
ad viginti milliaria circiter liberum inter se
commercium. Postridie, eo commercio He-
bræos quoque gaudere, & Ghettum sanum esse,
2 nouo Edicto publicatum. Vetitum † tamen, ne quis è Genuensi Re-
publica, quæ non omninò a Pestilentia libera, Commercium suis

per-

permiſerat;in Eccleſiaſticam ditionem admitteretur 21. Martij id
3 cautum. Eiuſdem diei fuit aliud,quo permiſſum,vt qui † Roma poſt
diem 25. Maij anni 1656.exijſſent,iјſque interdictus eſſet reditus in
eandem, poſſent deinceps remeare, modò ne è ſuſpectis locis veni-
rent. Comitabatur ſalus animi ſanitatem Corporis,& vtrique pro
4 ſua pietate Pontifex conſulebat. Itaque die 2. Aprilis † Indulgen-
tiam conceſsit ijs, qui horis ſolitis ad pulſum Campanæ preces ſo-
lemnes recitarent, ac ijs,qui intrà octauam Paſchæ purgatis animæ
ſordibus Sacroſancto Euchariſtiæ Sacramento reficerentur. Pau-
5 latim deindè † recipiebantur in ſocietatem Oppida Status Eccle-
ſiaſtici à Contagio ſubindè liberata, idque publicis Edictis. Il-
lud notabile Edictum,.vt ad eradicandam prorsùs peſtiferam
6 Luem, concederetur † impunitas ijs, qui intrà triduum denun-
ciarent mihi, ſi quæ eſſent rerum non expurgatarum reliquiæ,
quæ vel abſconditæ eſſent a Dominis, vel ab alienis ereptæ, ne
quid latens Contagij ſupereſſet; hæc diebus 4. & 5. eiuſdem.

Paulò poſt,cum iam Peſtilentia ex Vrbe, ac circumuicinis Op-
pidis deceſsiſſet, metus tamen à Neapoli, vndè venerat malum,
adhuc eſset, neceſſe fuit ab ea parte caueri. Itaque die 18. reno-
uatum de Commercio cum eo Regno vitando Interdictum, & no-
7 ua ratio, impoſterum † expurgandi res ſuſpectas a Mari per Ti-
berim aduenientes excogitata,in Caſali, quod vocant, Mallianæ,
quod olim fuit prædium S. Cæciliæ, & modò à Monialibus Mo-
naſterij eiuſdem nominis poſſidetur, quinque ab Vrbe milliari-
bus diſsitum propè Tiberim, vbi eſt Palatium amplum, & magni-
ficum, cum hortis adiunctis, aqua circumdatum, & commodum,
atque adeò illuc, ſuo tempore Leo X. Pontifex Maximus conſue-
uerat,ruſticandi cauſa, ſe conferre; quin etiam ſæpè ibi Cardinales
ad Conciſtorium conuocabat, ac in vno eorum legitur creaſſe
vnum, & triginta Cardinales: quod argumenrum eſt amplitudi-
nis, & commoditatis loci. Ibi ergò conſtitutum Expurgatorium
ad eas res deſtinatum; & quoniam inerat opportunitas, Nautis, &
Conuectoribus, ad quadragenam ſtatio eſt aſſignata. Vtrumque
è conſilio accidit; nam & homines ab omni ſuſpicione exibant im-
munes, & res commodè,ac celeriter expurgabantur præſertim ſe-
rici generis, & ſuis Dominis mundiſſimæ, ſinè vllo prorsùs detri-
mento, ſumma cum fide reddebantur: ex quo & vtilitas magna
recipientibus,laus dantibus, & mihi iubenti plauſus redditus ſum-
ma omnium admiratione,& voluptate. Deinde, vt quodcumque
morbi periculum, quod a venientibus Neapoli adhuc ſuſpecta
oriri poterat longiùs arceretur, & quia plerùmque perſonæ non

Mari

8 Mari veniebant, sed terra, † locus eis propè Terracinam ad Regni confinia, pro Quadragena, fuit destinatus. Et quoniam ex Nauicularijs plerique ad Mallianam suspectas merces exponere, & tàm procul ab Vrbe morari ægrè ferebant, decretum fuit, vt
9 aliud † Expurgatorium adderetur ad Villam Caralonij propè Montem Testaceum, quòd tùm maximè opportunus erat locus, tùm multò vicinior Vibi, & ibi quoque cœptum, & continuatum expurgandi munus, donec Neapolitano Regno Commercium restitutum; ijs verò Nauicularijs quadragena in nauibus concessa sub Militum custodia, vel reditus absque Commercio permissus.

Ad Ostia item Tiberina, apud Flumicinum, res optimè administrabantur, vt nullum ab ea parte damnum timeri posset, siue
10 ab ingredientibus, siue ab egredientibus. Huic ego rei † diligenter vacabam; nam cura, & administratio eius non tantùm loci, sed etiam plagæ maritimæ mihi fuerat demandata. Mortuo quippe Prælato Laurentio Corso, & substituto ei Præsule Annibale Bentiuolo, ad quorum Commissariatum tota illa spectabat maritima Regio ab Antio Palum vsque, vacanre illa Præfectura, Ponrifex eam quoque mihi commisit. Igitur nauaui operam, vt omnia, quæ ante præscripta fuerant pro Flumicini custodia, & administratione ad vnguem seruarentur, vt ab ea parte nihil salus publica detrimenti caperet, immò liberè indè ad Vrbem, & tutus hominum, & rerum foret commeatus.

Quamquam verò salus constare videretur, nihil cautionis remissum; eo quòd insidiosa est maximè natura Contagij: Dormire videtur, & serpit; latet, ac emergit, & incautos occupat, & opprimit: quamobrem paulatim eundum, tentando magis, quàm
11 incedendo. Primùm Edicto declarata † quædam Oppida priùs suspensa, nunc a Lue immunia, & cum ijs communicatio permissa; id mense Aprilis, die 28. inchoatum: ac eodem die, cum certissimi peruenissent nuncij in quibusdam Oppidis Regni Neapolita-
12 ni Morbos contagiosos debacchari, cautum † ne ex eo Regno venientes in Statum Ecclesiasticum admitterentur. Deinde, cum
13 mense Maio incolumitas vulgata fuisset, † reuocata sunt quædam in prioribus Edictis vetita, quæ in posterum haud opus erat obseruari. Constitit prudentem admodum esse modum istum cautè, ac
14 lentè procedēdi, eueniebant quippè interdum inopinati casus † Contagij extrà Vrbem, & si minùs comperti, tamen ambigui, quorum causa publicatum Edictum 6. Iunij mensis, vt minùs liberum esset Commercium cum omnibus Oppidis Status Ecclesiastici, quòd suspicio erat ab eorum nonnullis morbos illos ambiguos,

qui

qui deprehendebantur ptoueniſſe, & ad eadem Oppida ſcriptum,
vt ſibi proſpicerent, ſeruarentque regulas curandi, & auerrendi
Contagium, quæ Romæ fuerant publicatæ. Eodem die Indultum
15 Meſſoribus, † vt ſuum munus exercerent in agris Romæ vici-
nis, modò ne venirent è locis ſuſpectis. At quàmuis ſpes eſſet ne-
ceſſitatem regulas ad auerrendum morbum ante præſcriptas vl-
teriùs ſeruandi, breui deſituram eſſe; attamen donec ſalus in tu-
to poneretur, & certiùs omnes diligentias ſuperuacaneas fore ap-
16 pareret, ſtatutum fuit die 14. Iunij, vt iterùm fieret † inquiſitio de
Infirmis, quorum ad me, tamquam Lœmocomiorum, & Sani-
tatis Generalem Commiſſarium, deferretur notitia, vt opportu-
nè conſulere poſſem. Quod vt feliciorem exitum obtineret, reno-
uata eſt deſtinatio Prælatorum, Nobilium, Medicorum, Chi-
rurgorum, & Notatiorum, cuilibet Vrbis Regioni, quorum eſſet
noſcere, & notare perſonas, & morbos, qui reperirentur. Quod
munus æquè, ac ab ijs per Vrbem, a Prælato Riualdo in Monaſte-
rijs, & locis pijs, a Negronio verò Prælato intrà Ghettum præ-
ſtandum eſset. Quæ res diligenter adminiſtrata plurimùm ad ſa-
lutis ſummam conduxit.

Prætereà, vrgentibus quibuſdam caſibus Contagioſi morbi ſu-
ſpicionem ferentibus, die 16. Iunij imperatum, vt cautè ſeruaren-
tur per menſem integrum omnia Edicta antè pro Sanitate promul-
17 gata: præſertim † ne quis, aut emeret, aut venderer pannos,
reſuè alias domeſticæ ſupellectilis iam vſu, & vetuſtate attritas,
de quibus ſuſpicio eſset adhærentis Contagij. Hebræis verò, & or-
dinarijs Opificibus ſpeciatim iniunctum, ne quid huiuſmodi
18 venderent. Cautum eodem Edicto, ne ægrotantes † inuiſerenrur
niſi a Domeſticis familiæ, Parocho, & Confeſsario, & Medico, &
Chirurgo, & alijs ad ipſorum curationem neceſsatijs. Eiuſdem
diei eſt aliud Edictum, quo præceptum, vt iuxtà Statutum proximè
19 commemoratum de Infirmis Regionum denunciandis † vbicumq;
inuentus fuiſset Ægrotus, de eo moneretur Prælatus illius Regionis,
ſatiſque eſset, ſi vnus ex cohabitantibus denunciaret. Quòd ſi ſolus
habitaret, is per ſeruum, aut amicum, aut vicinum moneret. Idem
circa Mortuos decretum. Iuſsum inſuper, vt Parochi, ſiuè Vicarij,
idem omninò peragere tenerentur, quàmuis alij de eadem re No-
tarios, ac Superiores commonefacerent. Idem Medicis præce-
ptum, qui eadem die, qua ægrotantem quempiam deprehendiſ-
ſent, ſub noctem denunciare debetent, niſi fortè in mora eſset
20 periculum. Item cautum, ne quid † ſupellectilis Ægrori, aut De-
functi inde extraheretur, aut aliò transferretur, niſi præuia obrenta

21 facultate. Prohibitum præterea † Cauponibus, Venditoribus, Tabernarijs, ne quem reciperent ægrotantem: quòd ſi quis ibidem poſt aduentum ægrotaret, eum quàmprimum denunciare tenerentur. Cautum quoque, ne quis vllo modo in narratione falſum quicquam intruderet, ſed omnia nuda, & iuxtà veritatem referrentur; contrà agentes, pœna afficerentur.

Quoniam verò aperto Commercio magna opus erat ſyngrapharum copia, in quibus, vt omnis auferretur ſuſpicio eas adul-
22 terandi, ac labor concedendi leuior redderetur, † deſignati ſunt ad id munus, Fiſcalis Capitolij, & duo Scribæ Senatus Romani. Cuſtodibus autem Portarum iuſſum, ne alias ſyngraphas, niſi ab his expeditas permitterent. Scriptus eſt etiam Catalogus eorum, quorum erat ſcribere propria manu ſyngraphas illas ſanitatis, qui omnes ex munere Capitolio ſeruiebant. Die 10. hoc præſcriptum.

Poſtmodum, cum per dies vndecim continuos nullum Contagij ſignum appareret, ad maiorem tamen ſecuritatem, iuſſum die 7.
23 Auguſti, vt quicumque haberet † rem ægroti, quàmuis iam diù expurgatam, eam per triduum aeri, & Soli exponeret, indulta etiam impunitate ijs, qui in ſupellectili tradenda, pro illius expurgatione negligenter antea ſe geſſiſsent, dummodò tamen conſtitutum in præſens exactè obſeruarent. Quò autem id ſaluberrimum eſset, hortati fuerunt omnes, quorum erat expurgata ſupellex, vt idem domi ſuæ præſtarent. Nec vanum fore metum, cum ſemper ab occulto, & inſidioſo hoſte timendum; nec nouum inuentum, cum Panormi in Sicilia, & alijs in Oppidis, ac Prouincijs vſitatum fuiſset. Poſtquam per dierum 28. ſpatium nihil contagioſi in Vrbe acciderat, viſum ſecuritatis cauſa experiri, an in Hebræorum Ghetto, cuius ſemper ſuſpicio erat propter ſordes, ac mores Gentis illius, lateret occultum aliquid, ac
24 minimè prolatum expurgationi. Quamobrem conceſſa † impunitas, & venia cuicumque Hebræorum, qui ad Expurgatorium mitteret, quindecim dierum ſpatio, res cuiuſcumque generis occultatas, ablatas, non expurgatas. Et ne timor ab expurgatione deterreret quempiam, quòd crederet, deteriorem fieri ſupellectilem, iuſsum ante, & poſt expurgationem rerum, pretia æſtimari, & damna, ſi quæ eſſent, rerum Dominis ab Vniuerſitate numerata pecunia refici; cui autem placeret illas vendere, Hebræorum factores emi a Communitate curarent; quas ſi mihi Commiſſario generali Lœmocomiorum, & Sanitatis denunciarent, pro expurgatione, & emptione foret prouidendum; aliter,

qui

qui neglecta impunitate deprehenſus eſſet reus, pœnas Edictorum Auguſti 18. publicatorum irremiſſibiliter incurreret, quod plurimùm ad omnem Contagij ſuſpicionem tollendam conrulit.

Iam Roma libera erat Peſtilentia, nec ramen idcircò dimiſerat curam, & vigilantiam, eo quòd Viterbium claram, & vicinam
25 Vrbem, & quædam circumiecta Oppida Lues infecerat. † Igitur his Commercium omninò interdictum die 22. eiuſdem. Illud proinde vetitum, vt quoniam eſus Vuarum immodicus, præſertim vulgo, perniciem afferre poterat, ne per certum tempus
26 (quindecim fermè dies erant) † vuæ publicè venderentur; immò nec eas in Vrbem introducere liceret. Id a Conſeruatoribus Ciuitatis procuratum, & præceptum 6. Septembris. Imperatum
27 deindè Edicto, vt quædam † Oppida vicina Vrbi ſuſpenderentur, eo quòd ſuſpecta habebantur, ſub datum 12 Septembris, eaque ſuſpenſio renouata ad ſecuriorem cautionem 15. eiuſdem, quo die reſtitutum alijs Oppidis Peſtilentia liberis Commercium. At, ne perfectæ ſanitatis obtenta in Vrbe confirmatio vllam pateretur commorionem a morbis, qui occaſione Vindemiarum in agros euntes, vel ad laborandum, vel animi graria, nulla habita qualitatis aeris, cœteriſque, a quibus praui effectus exoriri poſſent ratione, aggredi conſueuere, die 19. prouiſum, ne per Vindemias, quæ inſtabant, quiſpiam quocumque gradu, fortuna, & conditione
28 foret, in Vineis † eo prætexru pernoctaret, ac degeret, ſed tantùm permiſſum, vt Operæ ad Vindemias neceſsariæ cum vno domeſtico Vineæ ibi agerent, & commorarentur.

Bimeſtris iam erar Romæ ſinè vllo intercurſu ſalus, cum iudi-
29 catum eſt expedire † aperiri Commercium cum magna parte Status Eccleſiaſtici, nimirum Prouincijs Maritimæ, Campaniæ, Sabinæ, Patrimonij, Vmbriæ, Marchiæ, & Legationis Vrbini, exceptis tamen nonnullis Oppidis ſuſpectis, ac in eam rem Edictum propoſitum. Verùm, ne quid periculi ſerperet, præceptum, vt ſyngraphæ a commeantibus offerrenrur, & exhiberentur, quæ tranſeuntium, & aduenientium fidem facerent ſanitatis. 25. Septembris Edictum promulgatum. Permitti prætereà viſum, vt
30 quorum Oppidorum † greges ſine ſuſpicione in campis vagarentur, & admitti ad paſcua in circumiectis Romæ agris ſolerent, ijs aditus liber foret. Et iam confirmata exiſtimatione ſa-
31 lutis, cœptum derogari † nonnullis Edictis, de vitanda libera communicatione intrà Vrbem; videlicet, ne Caupones, ac Tabernarij exciperent in hoſpitium, neuè ad victum admitterent hoſpites ſinè cautionibus tunc temporis neceſſarijs, & ne quiſ-

piam


piam ex domibus, vbi quis esset ægrotus, supellectilis aliquid auferret, quòd causa iam metus sublata abrogandum erat Edi-
32 ctum. Cætera nihilominus integra, illæsa manserunt. Item † continuari iussum denunciationem Infirmorum, quæ in posterùm apud Officium Lucarelli Notarij Cameræ fieri deberet, qui omnia deferre teneretur ad me Generalem Sanitatis Commissarium; & hæc die 6. Octobris duobus Edictis statuta. Id verò a me præscriptum, qua eram ad præcipiendum auctoritate, vt quoniam
33 domus † Insulæ Sancti Bartholomæi egregiè mundatæ fuissent, ac tutò habitari posśent, liberæ dominis relaxarentur, ne vlteriùs in Æratij publici damnum cederent. Edicti dies vigesima octaua Octobris.

Restituebatur in dies Oppidis, & locis, vbi ea suspicione Luis carere constabant, Commercium; immò, ineunte anno 1658. cum
34 Legationibus † Ferrariæ, Bononiæ, & Romandiolæ apertum, quibus ne inficerentur, ipso ineunte Contagio, imperatum fuerat, vt Vrbe, cæterisque infectis, & suspectis Ciuitatibus, & locis Ecclesiasticæ ditionis abstinerent. Atque vt omninò, & periculum, & me-
35 tus Pestilentiæ abigeretur, iteratò iussum est, vt † acriùs ad Flumicinum nauiculæ recognoscerentur, quæ è locis tutis, ac minimè suspectis soluissent, & ijs aditus in Portum, ac Fluuium pateret: quarum verò erat suspectus ob locorum, vndè venerant, infamiam appulsus, ijs ingressus interdiceretur, donec facta inquisitione constaret, excludi ne, an admitti deberent: suspectis certa statio assignata, quam mutare, aut relinquere, nefas esset non habita facultate: vetitum, ne introducerentur homines, & merces quomodolibet suspectæ, ac ne aduenientibus, nisi legitimas syngraphas secum Sanitatis deferrent, easque a Custodibus approbandas exhiberent, nullatenus permitteretur aditus. Cæterùm Edicta iam anteà emissa accuratè obseruarentur. Hæc ad Oram maritimam.

Quod attinet ad Mediterranea, iniunctum, vt in Expurgatorio Mallianæ nihil curæ, & operis remitteretur, ne quà com-
36 municatio daretur † Quadragenam peragentibus, cum alijs minimè suspectis, ac sancita super expurgatione toties repetita seuerè custodirentur. Præceptum insuper, vt Quadragenatijs vbicumque forent, omninò abstineretur, ac prohibitum, ne quis Ministrorum, quidquam, vel mercedis, vel muneris loco a quoquam acciperet, quod sæpè alias vetitum serìò fuerat. Hoc Edictum, tamquam finis, & terminus grassan-
37 tis Luis extitit. Post illum diem, † qui in trigesimum Ianuarij incidit

37 incidit, & † Vrbe Roma iam a ſuſpectione, & metu liberata, & Oppidis finitimis Interdicto ſolutis, aliud ſalutare exijt Edictum, die ſecunda Martij eiuſdem Anni, vt fides publica Sanitati haberetur, & in poſterùm nullus timor, aut cautio, pacem, & tranquillitatem communem perturbauit.





CAP. XII.

ARGVMENTVM.

PRistina salute Vrbi restituta gratiæ Deo redditæ. Romanam Vrbem minùs, ac alias longè infrequentiores, ac remotiores a Pestilentia passam fuisse, & prouidentiæ Pontificis Alexandri referendum, comprobatur. Eiusdem Pontificis, Sacræ Sanitatis Congregationis, Cardinalium, & Prælatorum merita de vendicata a Contagio Vrbe, recensentur. Lœmocomium pro Hispanis, & alterum pro Lusitanis permissa, & quomodo, & vbi ab eorum Nationibus insigni pietate instructa, magna earum laude, & gloria.

SVMMARIVM.

1 *Saluti Vrbe restituta, acta Deo Optimo Maximo gratia.*

2 *Pestilentia multò minus Romam, quàm alias Vrbes longè remotiores, & infrequentiores afflixit, & intrà terminos mediocris mali se continuit.*

3 *Pontificis Alexandri virtutes, & quàm optimè meritus de vendicata a Contagio Vrbe.*

4 *Congregatio Sacra Sanitatis, qua solertia, vigilantia, industria, prudentia, incolumitati Vrbis, & Ditionis Ecclesiastica incubuerit.*

5 *Cardinalis Iulius Sacchettus, Sacra Congregationis Prafectus, omnium virtutum exemplar.*

6 *Cardinalis Barberini Sacri Collegij Decani charitas, & studium, prasertim ergà Claustrum Transtiberinum.*

7 Car-

7 *Cardinales, Otthobonus, Imperialis, Borromeus, & Azzolinus in promouenda publica ſalute nulli labori pepercerunt, rebus quantumuis arduis longè maiores.*

8 *Reſpublicæ numquam beatiores ſunt, quàm cum Principes amantes Populi, & ſimiles Miniſtros nanciſcuntur.*

9 *Læmocomiorum mos, & quæ prouiſiones adhibitæ in recipiendis infectis.*

10 *Alexandri Septimi pietatis exemplar, Cardinalium officia, Prælatorum, & Nobilium ſolicitudo, admirationem in Exteris, ac Peregrinis excitauit.*

11 *Læmocomia duo, alterum pro Hiſpanis, & alterum pro Luſitanis ab eorum Nationibus quàm lautè inſtructa, vbi, & quomodo permiſſa.*

12 *Hiſpanorum, & Luſitanorum charitas, & pietas liberalis in proprijs Læmocomijs, vtrique Nationi ſummam ceſſit in gloriam.*

1 Ctæ Deo Optimo Maximo ſolemnes † gratiæ, cui æquum erat tantum beneficium acceptum referre; Reſpirare, ac reflorere viſa eſt Ciuitas, quaſi de Peſtilentia triumpharet. Et quidem vicina, & finitima, immò, & longiùs poſita eo tempore Contagij Oppida conſideranti, & cum Romana Vrbe conferenti, il-
2 lud omninò mirum videbitur, hanc † multò copioſiorem, ac frequentiorem, & Commercio multarum Gentium opportuniorem, minùs, quàm alias longè infrequentiores, ac remotiores Vrbes, à Peſtilentia pati potuiſſe: & cum eam Contagium inuaſiſſet, adeò comprimi, & cohiberi valuerit, vt minimè latè pateret, ſed intrà terminos mediocris mali ſe contineret. Ac inquirenti cauſam manifeſtè occurret, præter Diuini ergà nos Numinis auxilium, ſingularis Pontificis Alexandri prouidentia, cum optimorum Miniſtrorum, quibus vſus eſt, opera. Qui enim ab initio ad finem vſque Peſtilentiæ progreſſum expendet, comperiet eum nullum officium Paſtoris optimi, pijque Parentis prætermiſiſſe, adeò vt in hoc diſcrimine Pater Patriæ videretur. Eius ſiquidem
3 tanta fuit in pauperes † munificentia, in morbo affectos cura, in ſalutis compotes vigilantia, in legum tranſgreſſores iuſtitia, & præcipuè ad Annonæ vbertatem conſeruandam ſumma induſtria, vt nemo ſit, qui non agnouerit eius Vicaria Prouidentia Romam a peſtilenti Lue vendicatam. Vrbis Regionibus Præ-
latos,

latos, atque Patritios spectatæ virtutis viros, qui Cameræ Apostolicæ Ærarium quotidianis eleemosinis in egenos effunderent, & peculiares Medicos ad curandos Animarum, & Corporum languores admouit, vt pestilenti Lue correptis illicò præstò forent, eiusque incomparabili prouidentia, feliciter instituta pro infectis valetudinarijs, immò & suspectis, Lœmocomia, ac omnium munda purgatione sedulo famulitij obsequio, Religiosorum, ac Matronarum probatæ disciplinæ clauo, Xenodochiorum instar, moderata; Medicæ Artis professores, Pharmacopolas, Phlebotomos, præsertim exoticos Chirurgos, in alijs pestilentijs expertos, magnis propositis stipendijs ad ægrorum curationem aduocatos, Medicamina quantumcumque pretiosa singulis oblata, selecti victus copiam omnibus factam, lectos in Lœmocomijs stratos, mensas ornatas, cellas perpolitas, penuque refertas, culinas plenas, vestium è lana, & lino ingentem copiam præparatam, infectorum neminem sinè Sacramentis defunctum, parentibus orbatos, siuè mares, siuè fœminas, non ante Vrbi restitutos, quàm sui Eleemosinarij ope, & consilio, locis opportunis collocatos, singulorum supellectiles, atquè domos, suæ profusæ charitatis beneficio expurgatas, Roma vidit, Mundus audiuit, & eorum testimonio, qui ex Lœmocomijs euaserunt, vbique decantatur. At quis eius eximiam liberalitatem admiratus non fuit, præcipuum auertendæ, & profligandæ Pestis remedium? Quòd vbi priùs ægrorum plerique ad Lœmocomia, ipso nomine horrida, ægrè ferebant adduci, postmodum eiusdem Pontificis beneficentiæ conscij vltrò accedebant, eosque sibi expetendam sortem habuisse, probauit euentus, adeò vt facti iam penè salutis compotes tot commoda pigeret breui amissuros. Oh quoties pro ouibus suis vitam ponere exoptauit! Optimè nouit Sacra Congregatio Sanitatis, cuius precibus ob Christianæ Reipublicæ bonum non semel a conceptis piè votis abstinuit, verùm supplicationibus palam indictis, suis quotidianis sacrificijs, a Diuinæ misericordiæ ope imploranda, & a Charitatis officijs exhibendis non destitit. Roma sanè, Mundus immò totus illi plurimùm debet, ab eius quandoquidem prudentissimo, & optimo regimine in similibus Pestilentiæ motibus veram conseruandarum Vrbium methodum, quascumque Orbis Prouincias non ambigitur accepturas, dum in ea fides cum prudentia, spes cum Religione, charitas cum iustitia, lenitas cum strenuitate, temperantia cum liberalitate indissolubili concordia colitur. Ecquis non admiretur Principem Marium Chisium Suæ Sanctitatis meritissimum fratrem, qui in Sacram

cram

cram Congregationem Sanitatis cooptatus, non modò prudentia, conſilio, atque experientia plurimùm profuit, ſed in Regionibus Vrbis, inter calamitoſas Ciuium ærumnas, domibus ob morbi ſuſpicionem mancipatos præcautionum regulis imbuit, ipſiſque Lœmocomijs, Hebræorum etiam, diu, noctuque inuita morte mihi adfuit, & præfuit. Et quid de Cardinali Flauio Chiſio eius filio, qui vix ad Cardinalitiam dignitatem promotus Sacræ Sanitatis Congregationi, repullulante Peſte, Præfectus loco Cardinalis Sacchetti, cui meritò concedenda fuit cum magna laude a tot curis, & laboribus quies, vicit ætatem prudentia, omnium & ſanorum, & ægrorum votis ſatisfecit? Magna quoque fuit pietas Principis Auguſtini Suæ Sanctitatis ex altero fratre Nepotis, quem ſolicitudo, multa cum commiſeratione, & vigilantia coniuncta, amabilem, iuxtà, & mirabilem reddidit.

4 At quis dignè valeat commendare † Sacram Sanitatis Congregationem ſelectiſſimorum Virorum a tanto Pontifice inſtitutam, cuius mirum dictu quàm enituerit in præuidendo ſolertia, in præcauendo vigilantia, in prouidendo induſtria, in iubendo prudentia. Vbique tota, vnanimi, & inextricabili ſocietate aduerſus malignum hoſtem intenta, Vrbis, ac totius Eccleſiaſticæ ditionis incolumitati, & Annonæ vbertati incubuit, vt nunquam aliàs Ciues magis abundarint. Vicit illa non modò opinionem, ſed expectationem quoque, vt in tanto rerum diſcrimine, a quouis Principe optari non poſſent Viri, qui meliora præſtarent, vel feliciori euentu omnibus proſpicerent. In primis enituit

5 † Cardinalis Sacchettus eiuſdem Congregationis Præfectus, ergà omnes maximè pius, & omnium virtutum exemplar, omnibus omnia factus, cuius memoria ab hominum mentibus nunquam excidet. Cardinalis Barberinus, Sacri Collegij Decanus, ob

6 eximiam charitatem, vigilantia, † ſtudio, & aſſiduitate ità ſe geſſit, vt nemo ſperare auderet, quæ ipſe præſtitit. Incumbebat Tranſtiberinæ Regioni, & ad illius Clauſtrum res curabat: Flagrabat deſiderio eò commeandi, nec contentus neceſſaria egenis ſuppeditare, accedebat propè, & in omnium conſpectu ſe collocabat. Salutabatur voce publica, Pater ingentibus clamoribus appellabatur, quod ei nomen pia in eos opera exercita pepererant: hoc ipſo magis inflammari, æſtuare deſiderio iuuandi, appropinquare laborantibus, adeò vt ſemel charitatis ardore pauperem infirmum ad Lœmocomium Inſulæ comitatus, in medium vſque Pontem iter arripuerit, vlteriùs iturus, ni Comites obſtitiſſent, ea ratione, quòd ſi in illud diſcrimen ſe conijceret

Ee cerct

ceret, suspectus Contagij redderetur, atque adeò ad Sacrám Congregationem accedere non permitteretur, & Commercio interdictus, domi clausus nulli postmodum vsui foret. Eo se continuit, cumque Sacræ Congregationi perspectus esset hic illius vitæ contemptus, obuiam ire decreuit, sumpta occasione cuiusdam, qui in eius Palatio morbi suspicione laborabat, eum domi se claudere iuxta morem imperauit, vt propriæ saluti consuleret, & alienæ non officeret.

Optima fuit ratio salutem publicam promouendi Cardinali-
7 bus † Otthobono, Imperiali, Borromeo, & Azzolino. Erant experti, primus Venetæ, tertius Mediolanensis Pestilentiæ, & omnes summa prudentia præditi, rebusque quantumuis arduis longè maiores. Inuigilabant ad omnem Contagij motum, noua semper remedia excogitabant, quæ tùm ad curandum, tùm ad arcendum malum maximè prodessent. Componendis Edictis cum Cardinali Sacchetto operam dabant, quidquid opus erat consilio perficientes.

At si omnes, & singulos, commemoratem eiusdem Sacræ Congregationis, siue Cardinales, siue Prælatos, quorum præclara extiterunt de Romana Ciuitate merita, hoc me copiosiùs oporteret volumen conficere, nimisque ab instituto deflecterem. Magna quidem felicitas fuit, reperiri præter Cardinales, tot Prælatos, ac nobiles Viros, nedum Sacræ Congregationi adscriptos, sed & in Vrbis Regiones distributos, Vigilantissimo Pontifici similes, quorum summa extitit, & industria, & pietas in auertendo Contagio, & communi procuranda salute. Nunquam bea-
8 tiores sunt † Respublicæ, quàm cum Principes amantes Populi, & similes Ministros nanciscuntur.


Hoc quasi charitatis certamine Viros inter Principes, animus supercrescebat, tùm ægrotis ad morbos perferendos, tùm sanis ad curandos. Præcipua in Lœmocomijs cura fuit. Ex his Ciuium
9 salus magna ex parte pendebat. † Mos erat, cum primùm infecti deprehenderentur, deferri eos in proprijs lectis, in quibus decubuerant, ne si domi remanerent, cœteros domesticos inficerent. Id verò, & periucundum erat ægrotis, suis assidere lodicibus, & culcitris, & stragulis assuetis, ac percommodum in Lœmocomium delatis, vbi nec poterat tanta lectorum copia inueniri. Quod si idonei parati fuerant, ij remanebant, si secus, è publico exhibebantur. Ac mirum, plurimque videre erat, pauperes homines, ac misellas fœminas sæpè sæpiùs deferri pannosis, ac stramineis stratis, vbi vix cubare commodè poterant, ac illis momento

mento ſuppeditari culcitras, & cætera, quæ ad molliter iacendum fuerant comparata: nec ea tantum, ſed & interulas, & femoralia, & tibialia, & calceos, ac thoraces inueniebant, quibus ſeminudi operiebantur: Quin, & cum melius a Lue ſe ſe haberent, atque ad Valetudinarium Sancti Pancratij remitterentur, tunicam cera inductam accipiebant. Ità Contagio, ac inopiæ conſultum.

10 Hæc pietatis, ac liberalitatis † exempla, externos, ac peregrinos aliarum Nationum, quarum fermè nulla Europæ totius non habet Romæ, aut domicilium, aut hoſpitium, ſumma admiratione affecerunt. Mirabantur Summi Pontificis prouidentiam, Cardinalium officia, Prælatorum, & Nobilium Virorum ſollicitudinem, Miniſtrorum obſequia, mutuam omnium inter ſe conſenſionem, & charitatem, vt omnes perindè eſſent inter ſe cognati, ità prorſus, & vocarentur, & haberentur. Cumque tantum intereſſet dominos inter, ac ſubditos, nobilitatem, vulguſque, generis, ac fortunatum diſcrimen, omne illud auferret pietas Chriſtiana. Mouit hoc, tùm alios, tùm præcipuè Hiſpa-
11 nos, † ac Luſitanos, vt ſtatuerent Romanos imitari, ſuæque Gentis ægrotos curandos ſuſcipere, & quæ opus eſſent de ſuo in commune conferre. Conuenerunt me igitur Hiſpani primùm, mox Luſitani rogantes, vt opportunos locos impetrarent ad ſua Lœmocomia conſtituenda, vbi ægrotos colligerent; cætera ſuis eſſe ſumptibus comparanda. Laudaui propoſitum, ac pollicitus fui, me tam pijs, iuſtiſque votis ſatisfacturum. Certiorem de eo feci Sacram Congregationem, quæ ipſorum precibus annuendum duxit, vt ea quæ optabant, præſtarem, cautelis meo arbitrio præſcribendis. Igitur, exploratis diligenter opportunis locis, Vinea Cæſia ad Arcum Sancti Viti, Sancti Iuliani, ac Sancti Euſebij, Hiſpanis fuit attributa. Luſitanis verò Vinea dicta Granuela, olim eius nominis Cardinalis, in Via S. Mariæ Maioris ad Sanctum Ioannem Lateranum aſſignata, hiſque in Lœmocomia redactis, & Corſorum cuſtodia Militum munitis, duo Commiſſarij præpoſiti, qui ſua munera, vt à me imperatum eſſet, obirent, & minoribus alijs Commiſſarijs, ac militibus præeſſent. Hæc duo Lœmocomia, hæ duæ Nationes, quaſi de pietate, ac ſplendore certantes, ambæ per ſe ità texere, vt nullam prorsùs rem prætermitterent, quæ vſui ægrotantibus eſſe potuiſſet, & vtraque ex ſua quæque Gente, Confeſſarios, & Miniſtros idoneos elegit. Infirmorum Cellas, lectis, menſis, vtenſilibus inſtruxit, Medicos, Chirurgos, ac cœteros ad medicamenta, ac fomenta

applican-

applicanda necessarios introduxit, viuos aluit, sustentauit, curauit, mortuos ritè tumulauit. Nihil de publico ad huiusmodi expensas, aut petijt, aut insumpsit. Tam nitida, tam lauta, tam copiosa erant omnia, vt mihi quotidie, officij mei causa, ad ea Lœmocomia accedenti magni solatij esset insignis ea cha-
12 ritas, ac † pietas liberalis: & quidem vtrique Nationi res illa summam cessit in gloriam.



CAP.



C A P. XIII.

ARGVMENTVM.

PEſtis morbum non tàm ex inſalubritate Cœli, aut corruptione Aeris, quàm ex Commercio, & infectione aliena exiſtere oſtenditur, & præcipua Peſtis politica remedia recenſentur. De origine Romanæ Peſtilentiæ ex infectis mercibus, & veſtibus agitur, & quàm maximè proſit præſentia Principis ad arcendum Contagium. Certus Mortuorum, tempore Peſtis, in Vrbe numerus refertur, & quæ fuerit occaſio Contagij accuratè deſcribitur. Monaſteria, & Clauſtra a Commercio ſecretiora ab infectione præſeruata, & peculiares cautiones ad euitandum Contagium in Vrbe præſcriptæ, enarrantur. Quantùm verò profuerint, ex comparatione Peſtis Neapolis, & Genuæ ob neglectum Contagium, ex longè maiori Mortuorum numero vtriuſque Ciuitatis fit manifeſtum.

SVMMARIVM.

1 *Ad Peſtem comprimendam nullum præſentius remedium, quàm ab infectis cauere, ab effectu oſtenditur.*

2 *Peſtem non tàm ex Aeris corruptione, quàm perſonarum, & rerum infectarum Commercio prouenire, ex Peſtilentia Vrbis comprobatur.*

3 *Peſtis politica remedia in Vrbe adhibita, & multùm opportuna, recenſentur.*

4 *Peſtilentiæ Romanæ origo ex mercibus, & veſtibus infectis Nea-*

poli extractis extitit, & quomodo Contagioni obuiam itum.

5 *Pestis tempore præsentia Principis plurimùm Populis prodest, absentia verò nocet, & quarè.*

6 *In Pestilentia Vrbis Mortuorum numerus refertur.*

7 *Infectæ merces, & vestes, quibus Contagio Roma fuit affecta, quomodo in eam importata.*

8 *Castrum Gandulphi licèt Oppido Marino Peste correpto finitimum, ob adhibitas tamen diligentias intactum.*

9 *Contagium Romæ ex infecto vnico indusio, in domum cuiusdam pauperis fœminæ delato, ad viginti duas personas propagatum.*

10 *Contagium in Monasterijs, & Claustris a Commercio secretioribus rarissimum.*

11 *Ad euitandum Contagium, quæ cautiones, & in Vrbe adhibitæ quantum profuerint.*

12 *Contagij tempore plus amicitijs inimicitiæ prosunt, ac meliùs est in vinculis esse, quàm liberè diuagari.*

13 *Pestilentia Neapoli potissimùm inualuit ob non vitatum Commercium, & quàm magnus in ea fuerit Mortuorum numerus.*

14 *In Pestilentia Genuæ, ob neglectum Contagium, quantus Mortuorum numerus extiterit.*



1 E Narratis præcautionibus, non tantùm Romæ, verùm etiam alijs in Vrbibus, Oppidisque vicinis Lue laborantibus, comprimi Pestilentiam compertum est: Constititque, † nullum tàm præsens esse remedium, quàm ab infectis cauere, seque vnumquemque colligere, ac separare a suspectorum consortio, Pe-
2 stemque † non tàm ex Cœli insalubritate, aut aeris proprij corruptione (quàmuis non denegem, eam interdum Pestilentiæ causam esse) quàm ex commercio, & infectione aliena existere; quandò Peste Romæ contracta, cum iam aer corruptus esse deberet, præcisa tamen personarum communicatione, cauendo maximè ab vsu, & contactu rerum infectarum, adhibitaque diligenti, domorum, vestium, atque aliorum vtensilium expurgatione, Lues primùm compressa, deindè submo-
3 ta, demùm extincta est. Itaque † remedium, vbi malum domi inuenitur, consilio, prouidentia, industria, charitate, ordine agendum. Timendum est omninò perniciosum, & pertinax malum, sed non negligendum, minusuè desperandum. Animo

mo opus eſt, fiducia primùm diuinæ miſericordiæ, quæ ſtatim imploranda, mox vigilandum, excubandum, incumbendum, ac totis viribus malo occurrendum; quod eius eſt naturæ, vt ſi negligas, vires capiat ex contemptu, ſi deſperes, inualeſcat magis, ac graſſetur impunè. Arcendum eſt, non fugiendum: Cauendus hic hoſtis, non relinquendus. Reueretur Principes Ciuitatis, ſi ſolicitos Reipublicæ videt, nec audet contrà illos ſæuire: Iis præſentibus cedit, iiſdem abſentibus procedit.

Documentum harum omnium rerum in hac, quam ſcribimus, Romanæ Peſtilentiæ hiſtoria, perſpicuè internoſcitur. Siquidem
4 origo Contagij † in Vrbe ex Mercium, & Veſtium Neapoli extractarum commutatione, & vſu extitit: pacato Romano Cœlo, ac aere quieſcente, per manus, ac domos Lues irrepſit. Cui obuiam itum, prouidentia, cautione, obſtando, ne ſerperet, præcidendo vias, & tramites commercij, ac ſocietatis ſanorum cum infectis, claudendo portas, excludendo ſuſpectos, inſtituendo diuerſa Lœmocomia, partìm ad vitandos infectos, partìm ad purgandos ſuſpectos, partìm quoque ad examinandos, & continendos externos, ac domeſticos, nondum ex integro ſuſpicione liberos. Præterea ſumendo, aliiſque dando animos, alacriter, & ſinè
5 timore, viribus Contagij occurrendo. In quo equidem † Pontifici Alexandro perſoluendæ potiſſimùm grates, qui ad primum Neapolitanæ Peſtilentiæ rumorem, quàmuis in Caſtro Gandulpho commoraretur in tuto poſitus, continuò locum deſeruit, ſeque Romam contulit, vt vicini inſidiis Contagij præcauendo occurreret. Vbi verò Lues Vrbem penetrauit, communi quoque periculo interfuit, quo tempore Principes alij, ex Regiis, quas incolunt, Vrbibus, fugiunt, ac in loca tuta ſecedunt. Hinc extitit, vt & Principes Conſanguinei eum inſequentes, & alij, qui extrà erant, Romam venirent; & qui in ea habitabant, omnes manerent, quod plurimùm ad omnium ſalutem, ac miſerorum præſertim profecit; tùm quia præſentia, & amor Principis confirmabat, & exhilarabat omnes; tùm quia multò meliùs iis conſulebatur, annuentibus cunctis, nè Contagium è vulgo aſcenderet ad Principes, atque adeò timore periculi communis, Reipublicæ remediis ſummoperè incumbebatur. Quod ſecùs eueniſſet, ſi vulgus deſertum relictum foret. Ecquis enim Principe fugiente non exanimatur? Quis eo abſente non periclitatur? Deſunt remedia, medicamenta, cibi, omnia ſusdeque habentur: perit capite deſtitutum vulgus miſerabile, quod Peſtilentia impunè depaſcitur; ſubtrahunt ſe Medici, ſubducunt ſe Chirurgi, Phlebotomi

botomi non apparent, Pharmacopolæ, vel occludunt tabernas, & sibi consulunt, vel si recludunt, cariùs remedia vendendo, alios extinguunt. Perit prouidentia, perturbatur ordo, cuncta tumultu, discordia, lamentarionibus permiscentur. Misera Reipublicæ Nauis, sinè gubernaculo in medijs Pestilentiæ fluctibus iactatur. Ac si quis velit quantùm Romanæ Ciuitati profecerit Pontificis Alexandri, suorumque Consanguineorum, & aliorum Cardinalium, Principumque præsentia dignoscere, referat quæso mentis oculos ad ea, quæ hucusque narrauimus, & comperiet hanc prouidentiæ, solicitudinis, ac diligentiæ in cauendo, auertendoque malo, causam vnicam extitisse. Apparet autem abundantissimè ab effectu, recensendo numerum mortuorum, qui si cum hominum multitudine, & frequentia Vrbis comparetur, satis exiguus iudicabitur a prudentibus, habita ratione grassantis iam apertè Contagij. Inito a me di-
6 ligenter † numero eorum, qui toto eo Pestilentiæ tempore obierunt, comperi in Vrbe, & Lœmocomijs vndecim millia, ac trecentos septuaginta tres vita functos. In Transtiberina Regione intrà Claustrum mille quingentos desideratos. In Ghetto autem, ac Hebræorum Lœmocomio, non plus, quàm mille sexcentos perijsse. Itaque omnium syllabus non excedit numerum quatuordecim millium quingentorum, vno plus. Neque hi omnes Lue absumpti, cum plerique alijs morbis vulgaribus, ac ordinarijs decesserint, Constat prætereà eo tempore, quo viguit Contagium, disseminatum fuisse genus quoddam aquarum veneno infectarum, quarum auctores fœminas fuisse, ex quæstione postmodum habita compertum est. Ea potione, quàmplures dedita opera interfecti, & Coniugati præcipuè, quorum Vxores, aut eos è medio tollebant, aut in causa erant, vt tollerentur. De his tamen omnibus supplicium sumptum. Igitur, subductis calculis, & computata summa, collataque cum numero viuorum, & spectata Ciuium, & Externorum Romæ frequentia, nec non considerata sæuitia Contagij, mirum sanè videbitur tàm paucos interijsse.

7 Quòd si quispiam certiùs, ac exactiùs nosse velit vnde Pestis initium traxerit, is sciat ex Vrbe Neapoli, vestes nonnullas, ac pannos Neptunium Mari importatos fuisse, qui ad vicinam Turrim S. Laurentij missi, ibi aliquandiù fuerunt detenti, ac postmodum indè extracti, & Romam transuecti, Contagium intulerunt.

8 Quantùm autem † valeat cura in malo vitando, & præcidenda communicationis via, tùm alijs argumentis, tùm ex eo in primis probatur, quòd, cum tàm propè sit Marino Op-

pido

pido, Caſtrum Gandulphum, cum in illo Peſtis fuerit, magnamque ediderit ſtragem, hoc minimè attigit, ob diligentiam, & cautelam adhibitam in præcidendo Commercio perſonarum, ac rerum Oppidi Marini. Vnde magis, magiſque confirmatur ſuperior illa, ac prorsùs neceſſaria animaduerſio, ſæpè nullo Aeris, aut Cœli vitio (cum eadem ferè ſit Marini, & Caſtri Gandulphi plaga ætherea) ſed ex rerum infectarum communicatione, Peſtilentiam exiſtere. Præter allata, documento ſit, quòd
9 hic Romæ † in ea regione, quæ Regula dicitur, ad Monticellum, vnius Induſij infecti interuentu, quod in pauperis cuiuſdam fœminæ domum delatum fuit, non ea ſolum, ſed multæ aliæ fœminæ Contagio correptæ, vt ad viginti duas perſonas malum propagatum fuerit, quemadmodum ex rerum actis diligenter conquiſitis conſtitit.

10 Eandem confirmat experientiam eorum ſalus, qui † remotis, & clauſis in locis habitare ſolent, quales ſunt Monachi, & Religioſi Viri, & Alumni Scholares, qui in Monaſterijs, & Cœnobijs, Seminarijs, & Collegijs degunt: ac Moniales præcipuè, quæ & ſecretiores a conſuetudine, & cæterorum commercio viuunt, in quibus rari contraxere Luem; ſi quos autem ea corripuit, ij, quod erant meliùs, ac nitidiùs habiti, minimè vulgarunt morbum. Idque obſeruatum eſt a me diligenter circà Sanctimonialium Monaſteria, ac Puellarum Orphanotrophia, & alia Gynæcea, aût nullos ibidem, aut quidem rariſſimos ſuſpectos morbos extitiſſe. Quod ſanè non alteri cauſæ videtur tribui poſſe, niſi ſolitudini, ac communicationis cum externa gente defectui, & naturali, quæ inter fœminas eſſe ſolet, munditiei, ac nitori, immò id obſeruatione dignum, quòd nullus in carceribus Peſtilentiæ caſus euenerit. Idcircò magnoperè ſemper inſtiti, vt ſeuerè commercia omnia interdicerentur, quoniam experientia in dies me magis edocebat, quanti momenti eſſet iſta ſeparatio
11 ad publicam ſalutem tuendam. Hinc † artes illæ cauendi, muniendi domos vndequaque cancellis, eoſque venientibus obijciendi, & continendi intrà eos ſtatutos homines, qui neceſſaria ad vſus domeſticos cautè exciperent: E' feneſtris funes cum ciſtis, in quas cibaria, medicamenta, atque vtenſilia ponerentur, ac poſita in altum traherentur, & inde iterùm remitterentur, nulla appropinquatione perſonarum, nullo manuum contactu, nulla periculi ſuſpicione. In Palatijs turbæ, ac tumultus nulli. Suo ſe quiſque Nobilis continebat. Eccleſiæ item diuiſæ, ac ſectæ, ſuis vijs, ac interuallis diſcretæ. Sacella pro Sacerdotibus clauſa in-

terdum, & obsepta cratibus. Stationes Confessarijs destinatæ vallatæ erant, ac fenestellæ, ad quas ora admouent Pœnitentes, obductæ membranis, vt vox penetraret, halitus verò non pertingeret. Hæc, & alia similia alijs in locis, quibus fieri concursus consueuit, salubriter excogitata, plurimùm ad incolumitatem profuerunt. Illud documento esto. † Tempore Contagij amicitias nocere, prodesse inimicitias. Non laudo odium, sed exaggero cautionem, circunspectionem, prouidentiam: quemadmodum & aliud vendico, grassante Luæ præstare in vinculis esse, quàm liberè diuagari, quod vagos contingat ligari, vinctos exolui.

12

Quoniam verò ex collatione Pestium inter se, ac Vrbium ea laborantium mutua comparatione, euidentiùs hæc, quam expendimus, Romanæ Vrbis prouidentia ad commune Reipublicæ bonum apparebit, operæ pretium erit hùc duas illas afferre eodem fermè tempore, quo Romana, in duabus nobilissimis Vrbibus sæuientes,

13 Neapolitanam, ac Genuensem. † Neapolis Ciuitas maxima, ac opulentissima vehementer Contagio vexata fuit; quandoquidem, cum ex Sardinia aduenientes infectos milites cum eorum supellectili in Portum, sinumque suum excepisset, periculum haud præuidit, cumque paulatim ingrueret, serperetque malum, sibi persuasum noluit Luem inesse; atque in ea tùm explotanda, tùm auertenda, admodum negligenter se gessit. Ex quo accidit, vt cum liberè omnes, ac vagè tota Vrbe versarentur, nemoque caueret, aut euitaret, quanquam plurimi inficerentur, atque ab his alij corriperentur subindè, qui cum in dies numero supercrescerent, vulgatum est malum, neque a sanis minori numero extantibus compesci valuit, aut sanari. Itaque plusquam ducenta incolarum millia ex omni hominum genere, horrenda strage absumpta fuere, quæ equidem dimidia Ciuitatis pars numeratur. Illudque obseruatum, nè ipsis quidem Monasterijs Luem pepercisse: quoniam neglecta Contagij opinione, minùs se Religiosi viri ab externorum consuetudine secreuerunt. Quanquam verò Magistratus, ac Reipublicæ Præfecti remedia adhibere conarentur, cum iam Pestis sæuiret, ac instar incendij grassaretur, quæcumque adhibebantur, vel elusit Lues, vel euertit. Adeò perniciosum initia malorum negligere, ac nutrire incuria morbos, qui mora inualescunt, ac roborantur. Neapolitanæ ergo Ciuitati florentissimæ minùs dixerim obfuit Pestilentia, quàm negligentia.


Eadem fermè extitit Genuensis Clarissimæ Vrbis, alteriùs Ita-
14 liæ oculi, fortuna. † In eam enim aliundè ex commercio importatum Contagium; adeò vt, cum iam penè libera Roma esset, ac Mar-

Marchio Benedictus frater meus vnà cum Vxore sua domum Genuam rediret, oblata occasione Triremis eiusdem Reipublicæ, Genuam appulsus, solicitam de Pestilentia Ciuitatem inuenerit, ac proindè coactus fuerit Quadragenam extrà eandem, in quodam Palatio ad Sanctum Petrum de Arena peragere. Et quidem iam erat Contagij suspecta illa Ciuitas, quemadmodum paulò post apparuit; cœpitque sibi consulere; sed non ea, qua opus erat diligentia, nolebant enim satis se persuasos esse, morbos, qui deprehendebantur, Luem abscondere, nec Medici, initio Pestem credebant inesse,ac proindè tardiùs, quàm pro necessitate consultum; quandò iam violentiùs grassabatur Contagium, nec facilè poterat expelli. Et quàmuis frater meus recens è Romana Lue multa indicasset, egissetque pro inhibendis, maturandisque remedijs, minor fuit eidem tanti mali fides adhibita: & cum postmodum, morbo inualescente institutus esset Sanitatis Commissarius apud Sanctum Petrum de Arena, suumque diligenter munus obiret, haud multùm tamen profecit; etenim Contagij vires omnem euincebant industriam. Itaque tumultuari in Vrbe, vicinisque Oppidis, ac omnia perturbari, nec satis patere consilia, nec remedia expediri, ac longè aliter, quàm in Romana Vrbe, rem publicæ Sanitatis procedere. Vt in eodem malo tam diuersa fuerit Vrbium fortuna, ob diuersam prouidentiæ, ac circunspectionis rationem. Nec mirum sanè, tanto maiorem extitisse Mortuorum numerum Genuæ suprà Romam. Summa quippè subducta, ad sexaginta millia hominum ascendit, & fortè etiam maior consumptorum numerus extitit, qui equidem ingens est, etiam attenta magnitudine, ac frequentia Genuensis Vrbis, quæ populosissima floret. Quam sanè ingentem stragem moderati poterat humana diligentia, si citiùs Contagium sensisset, & vt primùm sensit, seriò de remedio prouidisset.





CAP.



CAP. XIV.

ARGVMENTVM.

GRaphicè exhibenda proponuntur Molimina, & Arte facta, nec non Instrumenta in varios rerum vsus, tùm pro incolumitate tuenda, tùm pro arcenda, & comprimenda Lue, ab initio vsque ad vltimam Contagij periodum, diuersis in locis, ac temporibus constructa, & de Iconibus quædam, Historicè, & Topographicè explicanda indicantur.

SVMMARIVM.

1 *Portarum Vrbis, & Ædificiorum status, & numerus qualis fuerit durante Contagio.*
2 *Schemata a quo, & quare primùm delineata.*
3 *Schemata Tabulis Æneis, vt habeantur in promptu, & ob bonum publicum sculpta.*
4 *Schematum series, & ordo, ac alia quædam historicè, & graphicè explicanda proponuntur.*




Mnia quidem Roma præstitit, quæ ad tuendam incolumitatem, & arcendam, comprimendamque Pestem poterant excogitari. Id vt manifestiùs appareat optimum factu duxi, si quæ Molimina, & Instrumenta in varios rerum vsus, ab initio vsque ad finem Contagij, diuersis in locis, ac temporibus fabricata describerem, non Historicè tantùm, prout hucusque factum.

ctum, sed Topographicè, & Ichnographicè simul. Cum igitur die
1 21. Maij, cæteris muro obstructis, octo tantùm † Vrbis Portæ publico vsui, & commodo paterent, superadditis excubijs, cancellis, repagulis, ædiculis ad incolatum simul, & præsidium; circum extructis etiam Lœmocomijs, Cœmeterijs, Claustris, Foris, Fullonicis, Expurgatorijs, Lacubus, & alijs, prout exigen-
2 te historia Cap. 3. 4. & 5. enarratum: † horum omnium Schemata quædam Pontifici exhibenda fuere delineata, ac obumbrata lapillo Dominici Castelli, pro Populo Romano celebris Architecti, eaquè operæ pretium me facturum excogitaui, ac op-
3 portunum fore, si ad eorundem normã † Ichnographicæ Tabulæ Æneis laminis inciderentur. Hinc totum subindè animum rei impensè adijciens, & optatas Iconas accuratissimè incisas, tandem adeptus, in hoc opere imprimendas censui, easque ad commune beneficium, cunctorum sub oculis ponendas, vt in pari hominum calamitate (quam Deus auertat) figurato in promptuario ad manus expeditissimè habeantur, quæ profuerint contrà sæuissimum inimicum machinamenta. Illo itaque ordine Tabulas, & proponam, & disponam, quem experientia rerum naturæ coniuncta docuit postulari. Quemadmodum enim circumeunte morbo, ab Exteris suspectis primò cauendum est, ne cum eis Lues obrepat, vel si obrepserit, inuigilandum, vt Infecti seorsim curentur, ne communicantibus infectio ipsa communicetur; Dein curandum, vt suspecta Infectorum supellex segregatim custodiatur, ac sedulò expurgetur: Denique studendum, ne funerum causa, viuis Cadauera noceant: Ita
4 primo loco proferenda videntur, quæ ad † Portarum Vrbis custodiam pertinent, adnexis pro Annonæ Mercimonio Foris; subindè Lœmocomia pro Infectis, & Suspectis, necnon alia pro Aduenarum Quadragena ad suspicionem purgãdam destinata; consequenter varij generis Expurgatoria, Lacus, Fullonicæ, Suffimenta. Postremò ea, quæ spectant ad Vespillones, Cœnotaphia, ac sepeliendorum è Peste Mortuorum, Cœmeteria. Et quoniam in historica narratione multa fuerunt, aut obiter dicta, aut leuiter indicata, eo quòd locus, ibi, nec cuperet digressiones, nec frequẽtes interiectiones admitteret: ideò satiùs graphicis Tabulis expetenda, & exponenda duxi, quibus singulatim propria explicatio adijcietur, breuis quidem, sed dilucida, qua ad historiam, aut redundabit satietas, aut nulla saltem dubietas remanebit. Tabulæ siquidem res ipsas, qua mente excogitatas, Molimina, qua arte locata, Machinamenta, & Instrumenta, quo ingenio con-

structa oculis exhibentes, eloquij funguntur officio, & verbis potentiores ad persuadendum non requirunt eloquentiam, nec strictioribus ad insinuandum indigent argumentis. Cedit oculis lingua, dum materia sua simplicitate loquitur, & veritate patens, non fucum, nec pigmenta optat, vt ait Euripides. Idque priuilegij delineata materies habebit, vt graphicis explicata signis euidentiùs appareat, vt expresso ad vnguem systemate certiùs edoceat. Ad institutam igitur methodum assequēdam, a Portis Vrbis, & earumdem tempore Pestis munitionibus, ac primò a Porta Flumentana, vtpotè primaria, & nobiliori, vt in sequenti capite innuitur, incipiendum videtur.



CAP.



CAP. XV.

ARGVMENTVM.

PORta Flumentana cur etiam Flaminia, & frequentiùs Porta Populi appelletur, & quæ præsidia occasione Luis eidem Portæ ab arte excogitata fuerint interiùs, & exteriùs superaddita ostenditur.

SVMMARIVM.

1 *Porta Flumentana dignitatis ordine prima, & quarè.*
2 *Flumentana cur dicatur.*
3 *Flaminia etiam appellata, & a quibus restaurata.*
4 *Porta etiam Populi cur vulgò dicta.*
5 *Porta hæc quibus præsidijs interiùs, & exteriùs tempore Pestis fuerit munita.*



1 Orta Flumentana, † vtpotè Triumphalis, Senatoria, Consularis, non immeritò hic primum obtinet locum, haud sinè causa pluri-
2 bus nominibus nũcupata; † Flumentana scilicet a Tiberino Flumine secus eam decurrente, quod proprium exuperans Alueum, non semel, nec raro ipsum Antonini Forum,
3 ac Vrbis Septa exundatione alluebat. † Dicitur etiam Flaminia a Flaminio Consule, qui, Boiorum Gente deuicta, amplissimam sui nominis Viam a Capitolio Spoletum primò, ac postea Ariminum vsque strauit, & Portam suo elatam triumpho


pho inimicorum ſpolijs perornauit: quam deindè, vel irruentibus obrutam hoſtibus, vel influentibus dirutam aquis, vel tempore omnia corrodēte conſumptam, Summi Pontifices, Pius Quartus, Sixius Quartus, & Alexander Septimus, nunc regnans, direxerunt, reſtaurarunt, ornauerunt. † Frequentiùs verò Porta Populi
4 appellatur, vel ab omnigeno Populorum tranſitu, vel a Templo Sanctæ Mariæ Populi ad latus eiuſdem Portæ a Populo Romano ædificato, vbi fertur Populorum olim arboretum fuiſſe, a quibus, & Templum, & Porta fortaſſe nomen accepere. Templum hoc, quod Populo Romano præſtò eſt in refugium, Portæ Populi adeſt & in ornatum, nam præter nomen, quod præbet, præbet & venuſtatem: cum enim proſpectus exterior Templi ſit finitimus eidem Portæ Vrbis interiori, eius læuam non leuiter leuat, vel intrinſecùs exornat. Cumque hinc è veſtigio Forum reſpondeat amplum, intermedio Obeliſco, nunc Soli, nunc Cæſari, nunc Deiparæ ſacro, fit vt Atrium primæ Por-
5 tæ coaptetur. Et ne † quidquam, vel infecti halitus, vel minimæ noxæ ſuſpectum, per hanc frequentiſſimam Populi Portam, Luis occaſione, penetraret, præter naturæ, ac Religionis munimenta, ſuperaddita ſunt etiam interiùs, & exteriùs, quæ neceſſaria excogitabantur ab Arte præſidia. In parte enim interiori, quæ Vrbem reſpicit, erat Porta clauſa cancellis verſatilibus ad claudendum, & aperiendum; cœterum lignis rectà, & decuſſim poſitis, & inter ſe commiſsis occludebatur. In exteriori facie cancelli, & duo ſepta è ſudibus articulata fuerant conſtituta; ad dextrum latus ædicula Prælato aſſiſtenti deſtinata; ad læuam duæ aliæ, altera pro Commiſſario, pro militaribus Cuſtodijs altera, vt ex ſequentibus huius Portæ orthographicis Tabulis apparet.






CAP.


Interior Portæ flumentanæ siuè flaminiæ, Populi nuncupatæ facies
A
B
C
A. Cancelli, et Obices
B. Ædicula ex Asseribus pro Commiuario
C. Ædicula similis pro Militibus.


Facies Portæ Populi Exterior
Ædicula pro Commissario
Ædicula pro Præsule
Ædicula pro Militibus
Obices
Cancelli
Obices



C A P. XVI.

A R G V M E N T V M.

FOrum extrà Portam Populi ad Pontem Miluium prò Annonæ vbertate inſtitutum, vt eò mercimonij cauſa cautè conuenire poſſent Vrbani, & Exteri abſque inter ipſos commercio, & quibus præſidijs fuerit munitum, ſequenti ſchemate aperitur.

S V M M A R I V M.

1 *Forum extrà Portam Populi quomodo, & quarè inſtitutum.*
2 *Pons Miluius ab Æmilio Scauro ædificatus.*
3 *Ad Pontem Miluium Conſtantinus Magnus, obruto in Tiberim Maxentio Tyranno, Diuino monitu, ſigno Crucis triumphum reportauit.*
4 *Fori ad Pontem Miluium munitiones, figura, & alia deſcribuntur.*




1 TErtium, quod ſequitur Schema, † Forum indicat prò Mercatu inter Exteros, & Vrbanos ad Annonæ vbertatem conſtitutum extrà Portam Populi, inter Tiberim, & viam Flaminiam citrà Pontem Miluium (corrupto vocabulo Mollem) ſolidiſsimum † quidem, ab
2 Æmilio Scauro ædificatum, ſed à Fluminis impetu adeò deuolutum, vt eius vix reliqua ſint fundamenta:
3 vbi † Conſtantinus Magnus, Maxentio in Tiberim obruto, Magni Tyranni triumphum reportauit; Crucis ſigno, ac voce ro-

boratus è Cœlo: IN HOC SIGNO VINCES. Ibi ergò Clathris † circumquàque defixis conclusus fuit locus totius Fori, quod interposita linea subdiuidebatur pro Vrbanis, ac Exteris Grascias vehentibus bipartitum, ità vt contrahere inuicem possent, ac merces transmittere, seiunctis tamen hinc indè Personis. Erant autem vtrinque contabulatæ Domus, Cellæ, Stabula, quæ Homines, & Pecora ab aeris intemperie tuerentur. Forum itidem pro Vrbanis assignatum fuit, vbi absquè Personarum commercio, Grasciarum fieret Mercatus, ad cuius ingressum Ædicula erat pro Commissario, & ex aduerso Diuersorium. Cuncta habentur expressiùs in sequenti figura, in qua simul etiam describitur Expurgatorium positum in Villa Cardinalis Columnæ, eo quòd, sola interposita via Flaminia esset è Regione, penè contiguum; sed de hoc iterùm, cum de Expurgatorijs seiunctim specialiùs agemus.

4

†



CAP.

TYBERIS
Ichnographia loci in quo Mercatus pro Grascijs extra Portam Populi habebatur
A. Locus conclusus pro Externis Grascias ad Vrbem uehentibus
B. Septum diuidens commercium Externorum ab Vrbanis
C. Mercatus Vrbanorum. D. Stabula pro Bobus, Equis, et coeteris Animalibus
E. Ædicula ex Asseribus pro Commissario. F. Diuersorium
G. Seps circumcludens locum pro aduehentibus Grascias
Via extra Portam Populi ad Pontem Miluium ducens. Via Flaminia nuncupata
Rus, et Viridarium Ducis Cere
H. Ostium Expurgatory, et Palaty Dñorum Columnensium
I. Ambulacra, et Porticus L. Peristylium Palaty
M. Vasa pro colluendis rebus. N. Caldaria ad res feruefaciendas
O. Statio pro extendendis Pannis. P. Locus subscalaris ad Res suffiendas
Graphis Expurgatorij Mundi in Vinea Columnensium
50 100 200 300 Palmi



C A P. XVII.

A R G V M E N T V M.

POrta Viminalis multipliciter nuncupata exhibetur; & obiter vicini Templi Sanctæ Agnetis prima inſtitutio recenſetur. Cautelæ, & munitiones ad eius cuſtodiam adhibitæ, Forumque pecuarium extrinſecùs deſcribitur.

S V M M A R I V M.

1 *Porta Viminalis, Nomentana, Ficulenſis, vel Figulenſis cur nuncupata.*
2 *Porta Sancta Agnetis dicta a Sepulcro, Temploque ipſius a Conſtantia, Conſtantini Magni filia, ædificato.*
3 *Porta Pia nunc frequentiùs appellata a Pio Quarto, cuius iuſſu aliò translata, & erecta eſt.*
4 *Cautelæ, & munitiones ibi ad arcendam Luem præparatæ recenſentur.*
5 *Forum extrà inſtitutum pro pecudum mercatu deſcribitur, & appoſito Schemate demonſtratur.*

1 POrta Viminalis, † Nomentana, Ficulenſis, aut Figulenſis, Sanctæ Agnetis, & Pia, licèt diuerſa ſint vocabula, re vera tamen vnam, eandemque Portam deſignant, quam hoc Capite deſcribendam ſuſcipimus. Viminalis enim dicta eſt ab aſſurgente in vicinia eiuſdem nominis Colle, in quo celebris olim viminum ſyluula conſpiciebatur. Nomentana item (& corrupto

vulgi vocabulo, Lamentana) dicta est, quod per eam in Agrum Nomentanum iter esset. Ficulensis autem ab antiqua Sabinorum Ficulnea nomen traxit, seu potiùs Figulensis a Figulorum multitudine, extrà eam fictilium vasorum artificio operam dan-
2 tium. Consueuit aliquandò Porta † Sanctæ Agnetis nuncupari a vicino, celebrique Templo, & Monasterio, quod dudum Constantia Constantini Magni filia † ab incurabili plaga Diuinæ Martyris ope sanata, gratæ deuotionis obsequio a fundamenris excitari iussit, se ipsam cum alijs Virginibus ibi Deo penitùs deditura, vbi S. Virginis, vel Viraginis Agnetis, & collactaneæ eius sororis Emetentianæ Thaumaturgum colebatur Sepul-
3 crum. Nunc autem communiùs † Portæ Piæ venit agnomine, a Pio Quarto Pontifice, qui deserta, ac penè collapsa antiquiore (cuius adhuc extantes reliquiæ secundo ab Vrbe lapide conspiciuntur) hanc nouam iuxtà exemplar Michaelis Angeli Bonarotæ fundauit, erexit, communemque eius viam ad Sanctam vs-
4 que Susannam restaurauit. Fuit hæc Porta † diligentissimè custodita, nam Clathris defixis, & Cancellis fuit circumsepta ductilibus. Tres habuit superadditas Casulas, pro Commissario scilicet ad Sanitatis officium deputato, pro Militibus excubias agentibus, & pro Aduenis, Vehiculis, Rhedis, Curribus pluuio tempore aptè colligendis. Inter Portam pariter interiorem, & exteriorem, Cauponæ, & Militum stationi locus erat. Extrinse-
5 cùs verò † Forum Sudibus, & Cancellis circumseptum fuit, vbi Pecudum mercatus institueretur. Quocircà receptacula multa erant ex lignis opportunè parata, nec non Bubilia, Porticus, Aquaria; cœteraque tùm Animalium, tùm Custodum curæ necessaria, pro loci, ac temporis conditione ordinatè disposita, & adaptata; quod magis perspicuè videre est in hac sequenti figura.

†




CAP.

Prospectus Exterior Portæ Viminalis uulgo Portæ Piæ, nec non S. Agnetis nuncupatæ



Portæ Piæ Ichnographia





CAP. XVIII.

ARGVMENTVM.

PORtæ Cœlimontanæ, siuè Sancti Ioannis nomina vndè deducta; ad eius custodiam quænam cautelæ excogitatæ, & adhibitæ. Forum pro Commeatibus extrà eandem constitutum, eiusque situs, & opportuna dispositio exponuntur.

SVMMARIVM.

1 *Porta Cœlimontana quarè antiquitùs sic dicta.*
2 *Eadem Sancti Ioannis Porta a proxima Lateranensi Basilica appellata.*
3 *Ad Portam Cœlimontanam Cancelli, & Casulæ apposita, adiectis Commissario, Nobilibus assistentibus, & Excubijs.*
4 *Fori extrà hanc Portam situs, distributio, & cautelæ enumerantur.*



1 Orta Cœlimontana † nomen a Cœlio Monte, ad cuius radices sita est, mutuatur, quam Lucio Cornelio, & Q. Minutio Consulibus, de Cœlo tactam Liuius commemorat. Varia, præter hoc, nomina sortita est, quæ, vt debili quorundam Authorum fundamento innixa, præstat reticere. Recentiores † Sancti
2 Ioannis Portam a proxima Laterani Basilica Omnium Ecclesiarum Matre fœcundissima, ac Summorum Pontificum Titulari primæua, passim denominant. Hæc consuetis tenebatur cautelis.


3 telis. Interiùs † Casulæ pro Commissario, & Nobilibus assistentibus; Exteriùs Cancelli, & Excubiarum Stationes, quæ in prima duarum sequentium Figurarum dilucidè exhibentur. Extrà, nec procul, à sinistris, inter Aquas Crabras, vulgò Maranam, &
4 Vrbis Mœnia † Forum pro Commeatibus fuit designatum, quod Cancellis fixis, & ex parte ductilibus, quà Vrbem respicit septum, & clausum fuit, vt Ciues seiungerentur ab Exteris. Ex contextis lignis amplum ibi erectum Receptaculum, quò Mercatores, ductumque Pecus imbre vrgente se colligerent, ac tuerentur. Simile aliud, & quidem amplius in Rure contiguo ædificatum, per duas bipartiebatur Cellas, vbi segetes, ac frumenta, turbato Cœlo, seruarentur. Domuncula etiam pro Commissario parata, & iuxtà Fluminis Ripam commune Aquarium, ac Lauacrum, & ex parte dextra viæ publicæ, Stabula, amplissimaque Fœnilia. Omnia tùm ad Portæ, tùm ad Fori huius custodiam opportunè disposita, ex duarum sequentium Tabularum inspectione clariùs apparebunt.


†



CAP.


Frons Exterior Portæ Coelimontanæ, uulgò S. Ioannis.
Casula Militum
Casula Militum


Ichnographia Portæ S. Ioannis, et fori pro Grascijs.
Marana
Lauatrum
pro Aduenis
Ædes lignea pro tegendis Aduenis et Animalibus
Pons
Cancelli
Via publica
Locus septus, et diuisus pro commeatus in Vrbem ducentibus
Pons
Via
Molendinum
Marana
Stabulū et Fenile
Vinea Alexandri de.......
Septum diuidens ciues ab Exteris
Ædicula Commissary
Cancelli
Moenia
Roma
Porta S. Ioannis
Casula pro Commissario
Casula pro Custode
50
100
200
300
400
500



C A P. XIX.

ARGVMENTVM.

POrtæ Capenæ varia apud antiquos denominatio, & quarè recentiùs Sancti Sebaſtiani Porta appelletur. Aquarum propè eam exuberantia, illius ſitus, & quomodò clauſa, & cuſtodita fuerit, cum Ichnographica eiuſdem Figura, recenſetur.

SVMMARIVM.

1 *Porta Capenæ nomina varia, & propria eorum etymologia.*
2 *Porta Capenæ ſitus, & Aquarum exuberantia.*
3 *Porta Sancti Sebaſtiani recentiùs appellata, & eiuſdem Diui Martyris contra Peſtem patrocinium.*
4 *Porta Capenæ tranſitus pro expurgationibus ſolis Miniſtris tantummodò permiſſus.*
5 *Munitiones, & Cancelli quarè hic omiſsi.*



1 Eptimum, quod ſequitur Schema exteriorem faciem Capenæ exhibet Portæ, † nomen vel à Capenate Fluuio, vel à Capenatibus Latinis Populis, vel a Capena Vrbe propè Albam ab Italo Rege conditam deriuantis. A via interdum Appia, quæ ab ipſa incipit, Appiæ quoquè nomenclationem adepta eſt. Quidam Triumphalem, quòd triumphantes, vt plurimùm Duces per eandem ad Capitolium tenderent, dictam maluerunt. Nec deſunt, qui

qui cum Seruio, eius etymologiam a Camenis deductam esse contendant, ob lucum, & ædem, quæ Camenis sacra extrà hanc Portam cernebantur. Alij etiam non immeritò Capenam Por-
2 tam † ob Fontium vbertatem, Fontinalem nuncupatam voluerunt, Martiali Epigrammatum quarto inhærentes:

Capena grandi Porta, quà pluit gutta.

Quemadmodum, & Iuuenalis testimonio Sat. 3.

Substitit ad veteres Arcus, madidamque Capenam.

Idquè potissimùm, vel ob Aquæductum super eam deriuatum, vel quòd depressiore inter cæteras Portas sita sit loco, vndè, & Cicero ad Q. Fratrem, quòd ibidem mira Proluuies, Horti, Tabernæ plurimæ, ac magna vis aquæ vsque ad Piscinam publi-
3 cam inessent, testatus est. † Nunc Sancti Sebastiani communiùs appellatur, ab illius Ecclesia, ad quam viam aperit, vna ex Septem præcipuis Vrbis, eidem Martyri dicata, qui in Monte Palatino gloriosè Martyrium subiuit, quique Pestilentiæ præsertim tempore inuocatur, & colitur. Atquè hoc maximè, quia sub Agathone Pontifice, Peste Vrbem deuastante, Diuino monitu reuelatum tradunt, Luem illicò cessaturam, si in eiusdem Diui Martyris honorem ad Basilicam Sancti Petri in Vincula, erectum quamprimùm Altare fuisset.


Porta ista ab initio Contagij, licèt Muro non obstructa, clausa tamen fuit. At quia eius aditus visus est subindè necessarius Mi-
4 nistris ad ædificia † pro expurgatione super Almonem Fluuium ædificata; ideò Clauis eiusdem Montecatino Prælato data est, & per eum Commissario, vt infecti Panni ad Almonis Fullonicas expurgandi, & post expurgationem ad Thermas Antonianas expandendi, & exsiccandi, faciliùs indè transueherentur. Solus autem Commissarius ad hoc officium deputatus, necessitate vrgente, Portam hanc reserabat. Hoc indicto, nè alteri, quàm sibi,
5 & Ministris transitus quomodocumque liceret; † hac de causa nullum ibi munitionum opus, nulli Cancelli, Excubiæ nullæ, quibus consultò omissis, solus exterioris Portæ prospectus, hac vnica Ichnographica Tabula proponitur.

†



CAP.

Exterior facies Portæ Capenæ, alias S. Sebastiani.




Via Secus Moenia

Ichnographia eiusdem Portæ

Porta S. Sebastiani

10 20 30 40 50 60 70 80 90 100



C A P. XX.

A R G V M E N T V M.

TRigeminæ Portæ nomina, eiuſque antiquitas, & fama apud Hiſtoricos, Munitiones, ſitus, ichnographiphicè deſignantur.

S V M M A R I V M.

1 *Portæ Trigeminæ antiquitas ab Hiſtoricis, & Poetis celebrata.*
2 *Porta Trigemina vocabulis multis appellata.*
3 *Portæ Trigeminæ ſitus, & reiterata translatio.*
4 *Cautelæ, & Munitiones tempore Peſtis adhibitæ.*

1 Ctaua Tabula † Portam Trigeminam Typis expreſſam oculis ſubijcit, præ cœteris antiquitate celeberrimam apud Liuium Decade 4. Libro 5. qui extrà Portam Trigeminam in Auentinum Ædiles ex pecunia Pecuariorum, quos damnarunt, Porticum vnam perduxiſſe affirmat, Emporio ad Tiberim adiecto: innuitque Panuinus, ex eodem Liuio, ibidem Fabros Lignarios extitiſſe ob Hylerni fortaſsè Luci propinquitatem, de quo Ouid. Faſtor. lib. 6.

Adiacet antiquus Tiberinæ Lucus Hylernæ.

Et Frontinus lib. 1. de Vrbanis Aquæductibus ait, ibi Cacum Latronem ſpeluncam habuiſſe, de qua Virgilius 8. Æneid.

Stabat acuta ſilex præciſis vndique ſaxis
Spelunca dorſo inſurgens, altiſsima viſu,

Dirarum

Dirarum nidis domus opportuna volucrum.

Et infrà:

At specus, & Caci detecta apparuit ingens
Regia, & vmbrosæ penitus patuere cauernæ.

Plinius, extrà eam, a Romano Populo Statuam Minutio Augurino erectam commemorat, eo quòd farris pretium in trinis nundinis ad assem redegerit.

2 A tergeminis † Fratribus Horatijs, qui ad pugnam indè profecti sunt, pro Patriæ libertate cum tergeminis Albanis Curiatijs dimicaturi, Tergeminæ nomen adepta est. Ostiensis quoque ab Ammiano Marcellino, Procopio, & cœteris ætatis eius Scriptoribus dicitur, eo quòd ad Ostia Tiberina gressum aperiret.

3 Sita olim erat inter † Collem Auentinum, ac Tiberim Fluuium, vbi nunc Salinarum extant Officinæ: deindè sub Claudio Imperatore, Auentino intrà Pomœrium recepto, ad Testacei Montis radices translata est, quousque nouis a Belisario mœnibus excitatis, nouam iterùm in eum, quem hodiè obtinet, locum, translationem sortita est.


Hic extat ad nostra vsque tempora Cestij Septemuiri Epulonum Pyramis saxis ingentibus, candidis, & quadratis, trecentum triginta dierum spatio, vt ex eius inscriptione percipitur, extructa.

Communiùs tamen Porta Sancti Pauli vulgò nuncupatur, ab eius ter celebri Basilica ad mille circiter passus extrà eam erecta.
4 Ad hanc quoquè † Portam, Peste inuadente, solitæ Munitiones, Cancelli ductiles, & Clathri circumquàque vallantes additi sunt, erectis pro Commissario, & Excubijs, opportunè Domunculis, vt sequens indicabit inspicienti Figura.

†



CAP.


Prospectus Exterior Portæ Trigeminæ alias S. Pauli.
A
B
Can
celli
A Domuncula Commissary
B. Attegiæ Militum.



CAP. XXI.

ARGVMENTVM.

NAualis Portæ nomina varia, eorumque ſignificationes referuntur. Alia incidenter adnectuntur. Opportunæ eiuſdem tempore Peſtis munitiones, & ſubſequenter graphica deſcriptio proponitur.

SVMMARIVM.

1 *Portæ Naualis reſtauratio, & cur Naualis dicta.*
2 *Porta Portuenſis nuncupata a Portu Vrbe olim celeberrima, ad quam viam aperit.*
3 *Porta Sancti Felicis quondam dicta a Cœmeterio eiuſdem Martyris in vicinia ſito.*
4 *Porta eadem paſsim Ripæ nomen obtinet, ob Ripæ Tiberis viciniam.*
5 *Cautiones ad eam tempore Peſtis adhibitæ.*

1 TAbula nona † Naualem exhibet Portam, quæ antiquiſſima fuit, varijſquè temporibus, & præcipuè Honorio, & Arcadio Imperantibus, reſtaurata. Hanc nouiſſimè Vrbanus Octauus Summus Pontifex, Anno 1643. in præſentem, venuſtiori forma, ſtatum redegit, dum Mœnia Vrbis in Regione Tranſtiberina renouaret. Naualis fuit dicta a Nauium è Mari per Tiberim confluentium ingenti copia, quæ ad Ripam vſque in proximo
2 huius Portæ appellunt. † Portuenſis etiam, vt quæ ad antiquam Portum Vrbem quondam Latij non ignobilem, a qua non longè

longè celeberrimi olim Portus iam a Claudio exttucti, dein a Traiano reparati vix conspiciuntur vestigia, viam dirigeret.
3 Hanc itidem Portam aliqui † Sancti Felicis nomine appellarunt ex laudato eiusdem Martyris Cœmeterio in hac via sito, cuius tamen vix memoria penes Authores superest. Passim verò hæc Porta ob Ripæ Tiberis viciniam, quæ Nauibus stationem præ-
4 bet, † Ripæ nomen obtinuit; Et quoniam a Mari magna copia vndique confluunt merces, & præcipuè, quòd omnis generis Annonam onerariæ Naues appellentes ad hanc Ripam exponunt, & ad hanc Portam tùm Exterorum, tùm Indigenarum fit concursus; potior proindè ad eius custodiam cura fuit adhibenda. Curatum ideò, vt omni securitate, aut saltem quàm minimo periculo contrahentium hic loci conuentus fieret. Neuè appulsura nauigia, licèt ad Flumicinum sedulò antea recognita, & ab omni Commercio, illinc ad Ripam vsque, propè Portam, per iter inhibita, non disquisitis hic etiam diligenti inuestigatione, quod præcipuum est, & personis, & mercibus, quas veherent, reciperentur: tractoria Machina cum rudente ad vtramque Fluminis Ripam, vt cursus nauigijs interciperetur, apposita fuit, prout
5 in subsequentibus Capite, & Tabula. † Porta autem fixis de more Clathris, exteriùs munita est, & Cancelli versatiles sunt collocati. Interiùs binæ tantùm vna ex parte Casulæ: Primam, & maiorem militares Custodiæ, alteram minorem Commissarius tenebant. Ex altera parte, Domus consueta Custodis, quæ cum Viros Nobiles assidentes commodè excipere posset, pro his idonea, vt in alijs Portis, statio haud fuit extructa, prout in hac Tabula, qua & Prospectus exterior exprimitur, & eiusdem Ichnographia inferiùs subijcitur. †



CAP.

Externus Portæ Nauialis Prospectus.

Domus

Custodis

Ichnographia eiusdem Portæ

Casula Commis.

Casula Militum

Clathri

Clathri

Cancelli

5 10 20 30 40





CAP. XXII.

ARGVMENTVM.

CAutiones ad Ripam Tiberis extrà Portam Naualem pro diligenti Nauium, & Mercium recognitione adhibitæ recenſentur. Rudens Tiberi tranſuerſus, ad impediendum Nauigijs vlteriorem progreſsum, & Tractoria Machina in Ripa Fluminis ad eum opportunè intendendum, & relaxandum appoſita deſcribitur.

SVMMARIVM.

1 *Diligentia ad Ripam Tiberis extrà Naualem Portam præſcripta, & quarè.*

2 *Commiſſarius Aſsiſtens, & Excubitores pro ſcrutandis Nauibus ad Ripam diſpoſiti.*

3 *Rudens Tiberi tranſuerſus, vt Nauibus curſus interciperetur.*

4 *Ædes nonnullæ ad ſuſpicionem purgandam extrà Portam Aduenis deſtinata.*

5 *Machina tractoria, qua ductarius funis intenſus remittebatur, remiſſus intendebatur, deſcribitur.*




1 EXtrà Naualem, ſiuè, vt aiunt, Ripæ Portam maxima † fuit cura, ne incautè ad commercium admitterentur Nauigia, quæ ab Ora maritima ad hanc vſque Tiberis Ripam tendebant, & ad id variæ cautiones, & diligentiæ excogitatæ ſunt, & præſcriptæ, præter alias ſedulò ad Oſtia Tiberina, ac per totum Fluminis tractum, Romam vſque adhibitas, ex hac enim parte maxi-


mum

mum erat Vrbi periculum, tùm ab Exteris varij generis, & Nautis, & Conuectoribus, tùm ab importatis mercibus, quæ per Mare, & subindè Tiberim, aduerso flumine, Romam transmit-
2 tuntur. Idcircò præter Custodias ad Naualem Portam † Commissarius alter assistens ad hanc Ripam, & Excubitores destinati sunt. In vtraque igitur Fluminis Ripa ex opposito domunculæ ligneæ fabricatæ sunt pro excubantibus Militibus, quibus inuigilandum erat super transitu lintrium, ne aut abirent, aut venirent absque præuia hominum, & mercium recognitione, ne in Nauibus, vt sæpiùs assolet, infecti quid occultum lateret. Et ne Naues priùs ad commercium reciperentur, quàm debitum subijssent examen, rationemque reddidissent inquirentibus, vndè venirent, quò tenderent, quid inferrent, quid exportarent, & pro-
3 latis syngraphis propriæ sanitatis fidem fecissent; † erat ingens funis, siuè rudens ab vna ad alteram ripam protensus, qui pro occasione, modò remittebatur, modò rursus intendebatur, & mira facilitate in varios vsus versabatur. Huic disquisitioni incumbebat Minister nomine Commissarij, qui probata Nauigia suo itineri relinqueret, eisque commercium permitteret; & si aliquid suspicionis inuenisset prorsus adimeret, & ad quadragenos dies præfinitos addiceret. Ideòque extrà eandem
4 Portam Naualem, non procul a Ripa † ædes erant ab initio vsque Contagij destinatæ pro Aduenis ad suspicionem purgandam, ad quos inuisendos Medici aduocabantur: & si casus ferebat eos morbo aliquo suspecto detineri, ad Lœmocomia transmittebantur. Cæterùm ad intendendum, & remittendum prædictum rudentem, in Ripa ad Viam Vitelliam vltrà Flumen defixus fuit stipes, ad quem funis solidè religatus est; in altera autem citrà
5 Flumen ad Viam Portuensem locata est † Tractoria Machina, cylindro, & duabus trochleis superiùs, & inferiùs coagmentata, quibus superexcurrens funis ad aquæ superficiem vsque depressus continebatur. Defixa autem sucula, seu ergatone, in Excubitorum ædibus, laxatus interdum rudens, vt aditus Nauigijs permitteretur, & infrà aquæ superficiem dimissus, denuo intendebatur, vt Flumini transuersus Nauibus cursum interciperet. Loci ichnographia, & dispositio, nec non Machinarum Typi habentur sequenti decima Tabula graphicè descripti.

†

CAP.


Topographia Fluminis apud Vrbem,
Et Locus ubi Rudens erat Tybri transuersus
extra Portam naualem
A. Mansio Cammisarij Assistentis in superiori Ædium parte.
B. Casula pro Excubitoribus
C. Organum tractorium pro rudente.
D. Trochlea pro deprimendo rudente ad Aquæ superficiem.
E. Rudens transuersus Tybri prohibens transitum nauigijs.
F. Stipes qua religabatur Rudens.
G. Domus in fluminis Ripa pro Militum Custodijs
Ripa ad Viam Vitelliam
Ripa ad Viam Portuensem
Ichnographia Ædium Francisci Galli
extra Portam naualem
L. Machina cum Trochleis
et Cylindro ad deprimendum
rudentem ad Aquæ superficiem.
Rr



CAP. XXIII.

ARGVMENTVM.

POrta Ianiculenſis, Aurelia, Traiana, & poſtremò Sancti Pancratij; quarè nuncupata; a quo nouiter reſtaurata, & quibus munitionibus, Ichnographica Figurâ deſcriptis, cuſtodita fuerit.

SVMMARIVM.

1 *Porta Ianiculenſis a Ianiculo Monte dicta.*
2 *Porta eadem olim Aurelia nuncupata.*
3 *Traiana cur etiam appellata.*
4 *Porta Sancti Pancratij hodiè denominatur, & quarè.*
5 *Munitiones eiuſdem Portæ Ichnographica Figura explicantur.*



1 IAniculenſis Porta vndecimo Schemate exponitur, ſic dicta † a Ianiculo Monte, vbi olim ſedem primò, deindè ſepulcrum Iani extitiſſe fertur, eumque ibi regnaſſe, & indè in Etruriam felicem tranſitum Latinis conceſ-
2 ſiſse. Nonnulli hanc † Portam Aureliam nuncuparunt ab Aurelio Imperatore, eo quòd ipſam iuſſerit extrui: alij probabiliùs, a Marco Aurelio Viro Conſulari, qui & Tribunal Aurelium non procul ab ea Porta in Tranſtibetina Regione habuit, de quo plerique Romanarum Antiquitatum Scriptores, Ciceronis auctoritatem in Orat. pro Cluent.
3 ſequuti, meminerunt; nec deſunt, qui etiam † Traianam nuncupatam voluere a Traiano, quo imperante, fuerit reſtaurata. Verùm


rùm Martio poſtmodùm Campo intrà Pomœrium incluſo, ac Mœnibus ex hac parte ad Tiberis ora protenſis, Portam, & ipſa fortaſſe nomina innouari facilè fuit, & deſuetudine ſenſim abo-
4 leri: Hodiè enim communiùs † Sancti Pancratij nomine inſignita eſt, quòd per eam iter ſit ad inuictiſſimi huius Martyris Templum, qui anno ſuæ ætatis 14. ſub Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus conſtanter martyrium ſubiuit. Venuſtatem, quam Porta hæc nunc temporis præſefert, Vrbano VIII. Summo Pontifici debet; eo enim feliciter Eccleſiaſticæ Nauis gubernaculum moderante, ab antiqua, & rudi forma in præſentem inſigniorem erecta eſt, dum ſimul Leoninæ Vrbis mœnia reſtaurarentur.
5 Ad † hanc Portam defixis vtrinque Clathris, Cancelli ductiles collocati ſunt, & interiùs Ædicula Commiſſarij: Militaribus verò Cuſtodijs, hinc indè commoda, & ampla ſtatio aſſignata eſt. Sed in huius explicatione non ampliùs immorandum, cum præter conſuetas munitiones nihil a cœteris diuerſum, auctum fuerit, aut innouatum. Ideòque, vel ſimplex Figuræ inſpectio ſufficere poterit, in qua, & Proſpectus exterior Portæ, & eiuſdem Ichnographia elucefcet.

†



CAP.

Prospectus exterior Portæ Ianiculensis siue S. Pancratij




Ichnographia eiusdem Portæ

Statio Militum

5 10 15 20

Ædicula Commiss.

Cancelli



C A P. XXIV.

A R G V M E N T V M.

PОrta Poſterula diuerſimodè cognominata, Turrionis, Sancti Petri, Leoniana, & deindè Equıtum leuis Armaturæ; & eiuſdem Munimenta, & Ichnographica Figura ſubijciuntur.

S V M M A R I V M.

1 *Porta Poſterula vndè dicta.*
2 *Porta Turrıonis, Sancti Petri, & Leoniana quandoque nuncupata, & quarè.*
3 *Porta vulgò* Caualleggieri *cur appellata.*
4 *Munitiones eius, & Proſpectus exhibentur.*



1 TAbula duodecima externum indicat Proſpectum, nec non cautiones † Portæ Poſterulæ, a poſteriori Vrbis parte, in qua ſita eſt, nuncupatæ; vel ab eximio Viro Poſterulone de Saxonia, ad cuius fortè gymnaſia viciniam habebat, referente Gregorio Fabritio Chemnicenſi lib. 1. de Roma cap. 3. *Quod Porta Poſterula, vel Turrıonis illa erat, quæ ducebat ad Scholam Saxonum, & Longobardorum propè Campum Sanctum* Dicebatur autem
2 Porta † Turrionis propter validioris Turris tutamen, quod extrinſecùs inerat. Item & Sancti Petri, & Leoniana alio interdum vocabulo dicebatur; Sancti Petri à celebri Apoſtolorum Baſilica; Leoniana autem, eo quòd eſſet præcipua inter ſex Portas nouæ Romæ, ſeù nouæ Vrbis Leoninæ, quæ nomen, & ori-

ginem


ginem traxit a Sancto Leone IV. Summo Pontifice, qui anno Christi Domini 848. Basilicam Vaticanam, olim forinsecùs in Suburbijs existentem, & cum ea totam penè planitiem inter Tiberim, & Montem Vaticanum, vulgò Regionem Burgi, seù Vaticanum Suburbium nuncupatum, Saracenis, tunc vniuersam Italiam ab vtroque Mari infestantibus, munitam reddiderat, & contrà incursiones circumquàque sepserat Mœnibus.


Cum autem contigisset Portam istam, sicut & cæteras, murosque ipsos vetustate sua penè collapsos, quandoque mutari, aut restaurari; quod sub Alexandro VI. actum est, & postremò sub Vrbano VIII. anno salutis 1634. hinc & inscriptiones, & ipsa
3 Portarum nomina translata, vel mutata fuerunt, vt † Posterula vulgariter nunc appelletur Porta *Cauallegieri*, ob propinquum Equorum, ac Equitum leuis Armaturæ incolatum. Ideò satis
4 superque † cauta visa fuit, si consuetæ cæterarum munitiones adderentur, editis circumquàque Cancellis, & Ædiculis pro Commissario, ac Militibus, prout latiùs in subiecta Figura.





CAP.


Facies Exterior Portæ Posterulæ uulgò Porta Cavalliggieri
Can
celli
A. Ædicula Commisarij.
B. Ædicula Militum.
Tt



C A P. XXV.

ARGVMENTVM.

POrta Angelica quarè ſic nuncupata, & antiquitùs, quæ alia nomina habuerit, quibuſque cautelis tempore Peſtis fuerit munita, adiectis Orthographicis, & Ichnographicis Figuris, aperitur.

SVMMARIVM.

1 *Porta Angelica ſic denominata a Pio IV. cui proprium nomen erat Angelus, quique eam reſtaurauit, & Angelorum ſimulacris exornauit.*

2 *Porta eadem cur Sancti Petri, & etiam Viridaria, vulgò* Beluedere, *nuncupata, & quæ alia nomina habuiſſe feratur.*

3 *Porta hæc quibus cuſtodijs, & cautelis munita, duabus Orthographicis, & Ichnographicis Tabulis indicatur.*




1 Orta Angelica propè Vaticanum Collem Ianiculo Monti conterminum apud celeberrimam Principis Apoſtolorum Baſilicam † Angelicæ nomen vltimo loco ſortita eſt, eo quòd fuit reſtaurata a Pio IV., cui proprium nomen erat Angelus, quique antepagmentis eam ornauit, & ad latera, duo ex marmore Angelorum ſimulacra locauit, titulo ſuperſculpto: *Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis*. Varia anti-
2 quitùs huius Portæ fuere nomina, nimirum † Sancti Petri ab eiuſdem


eiusdem Basilica, cui proxima est, & Viridaria, seu vulgò *di Beluedere*, ab imminente Vaticani Viridario. Aliæ etiam huius Portæ fuerunt denominationes, inter quas præcipuæ, Aurelia, Iulia, & Sancti Peregrini; sed iam diù prorsus obsoletas, & † haud certam habentes originem, hic loci sufficit innuisse. † In huius Portæ custodia non minor, ac in cœteris cura adhibita est. Etenim a sinistro latere inter vtrumque Ostium vltrà consuetas Custodias, & Ianitoris Domunculas, & solitam Militum stationem, propè exteriorem Ianuam sita fuit Ædicula pro Commissario, & ex altera parte Cella pro Excubijs. Inerat indè Pons versatilis, post quem in vlteriori margine fossæ, Cancelli ductiles, defixis hinc indè lignis, vt totus clauderetur aditus, sunt collocati, quæ omnia euidentiùs exhibent tres appositæ Icones duabus Tabulis contentæ, in quarum prima Frons exterior huius Portæ cernitur, in altera ipsius Prospectus Horizontalis, & adnexorum Mœnium, & insuper eiusdem Ichnographia.





CAP.


Exterior frons
Porta Angelica
Pons.
Versatilis
Can
celli


Prospectus Horizontalis Portæ Angelicæ
Ichnographia eiusdem Portæ
A. Porta Angelica.
B. Pons ligneus uersatilis.
C. Ædicula Commissarij.
D. Ædicula Militum.
D. Cella Custodis.
E. Cella Ianitoris.
F. Moenia Ciuitatis.
G Moenium fossa
H. Via ad Prata.
I. Via S. Lazari.
300
200
100
50



CAP. XXVI.

ARGVMENTVM.

Tiberis in duos Alueos diuiſus quomodo ad Oſtia, & in vtroque Alueo cuſtoditus, & præcipuè Molimina, & repagula in altero minori, qui Flumicinus dicitur, & Naues excipit a Mari, referuntur iuxtà expreſsa in Topographico Schemate.

SVMMARIVM.

1 *Tiberis, decimoquinto ab Vrbe lapide, quomodo in duos Alueos diuiſus.*

2 *Per Tiberis maiorem Alueum tranſitus interdictus.*

3 *Cautiones in Alueo minori, qui Naues excipit à Mari, quæ fuerint, & penitiùs Topographico Schemate pateſiunt.*



AD Tiberis Oſtia irruentis Contagij periculo validioribus cautionibus fuit occurſum, ne Naues, Perſonæ, Merces, aut alia quæuis infecta, & ſuſpecta aliquid noxij Romam
1 importarent. Et quoniam † Tiberis, decimoquinto ferè ab Vrbe lapide, iuxtà locum vulgò nuncupatum *Capo di Ramo*, vbi reſident Datiariorum Officiales, & Miniſtri, in duos diuiditur Alueos, quorum vnus longè maior proprium Tiberis nomen retinet; ſed ob ingentem materiei copiam, quam ad Oſtia cumulat, & à Mari recipit, vix, & rarò paruas dumtaxat Cymbas admittit. Idcircò ex hac parte ſatis prouiſum, vt Fortalitium Sancti Mi-


2 chaelis in vlteriori Ripa, nulli † transitum per hunc Fluminis Alueum permitteret. In altero verò qui dicitur Flumici-
3 nus † ab ipso Flumine, instar Fluentis, artis ope deriuatus, vt Nauibus a Mari præbeat ingressum, & indè in Tiberim, & ad Vrbem iter aperiat, Molimina, & Repagula fuerunt adhibita, præsertim propè Portuensem Turrim; locus enim confertissimus est, tùm ob piscationem, tùm ob Nautarum transitum è Mari Merces Romam vehentium, & opportunè cautum, quòd extrà, Nauigia, & Piscatoriæ Cymbæ, ab Onerarijs Victualia Romam deferentibus, seiungerentur, catena ex segmentis ligneis ab vna in alteram ripam protensa, & constructum hinc indè vallum è sudibus contextum dirimens Commercium. In Insulæ ripa Mare versùs appositi fuerunt Cancelli, ex quibus Merces in Vrbem deferendæ debitis cautionibus recipiebantur, & in vtraque Ripa Excubiarum stationes. Intrà Insulam pro Nautis, & Piscatoribus suspectis secus ripam destinata fuere Tuguria, & domus lignea pro Militibus ædificata est, quibus ad Ostia Tiberina defixis vtrinque Palis munita, & roborata excubandum foret. At de his, & alijs præsidijs sequenti Topographico Schemate penitiùs patebit.





CAP.

Topographia Tyberini fluminis ad Portum Traiani





CAP. XXVII.

ARGVMENTVM.

VNico feruntur Schemate Transtiberina Regio, & Insula Sancti Bartholomæi; altera ob contractum morbum à commercio seiuncta, altera in Lœmocomium Infectorum instructa, & nonnulla præmittuntur, vt faciliùs in Topographico Schemate discerni valeant.

SVMMARIVM.

1 *Transtiberina Regio, & Insula Sancti Bartholomæi, quare vnico Schemate expressa.*
2 *Transtiberinæ Regionis pars infecta, ligneo vallo, deindè muro occlusa, & quo ordine in clausuram redacta.*
3 *Lœmocomio Insulæ Molendina adiacentia quibus cautelis ad commodum Vrbis relicta.*
4 *Transtiberino Claustro, & Insulæ Lœmocomio per Pontem Cæstium qua ratione ademptum Commercium.*
5 *Ad Lœmocomiũ Insulæ quibus custodijs ex Vrbe præclusus aditus.*
6 *Cymbis propè Lœmocomium Insulæ, ad vehendum Cadauera extrà Vrbem sepeliendæ, statio in Flumine è regione Ghetti Hebræorum assignata.*



1 EA est connexio inter Lœmocomium † Insulæ Sancti Bartholomæi nuncupatæ, & Transtiberinam Regionem, vt vnico Topographico Schemate vtraque fuerit delineata. At peculiaria quædam occurrunt præmittenda, vt in ipso Schemate faciliùs discerni valeant: nimirum, vbi primùm in ea Regione morbus de-
2 prehensus fuit, † pars infecta ligneo vallo a reliqua seiuncta est; mox etiam sublato ligneo septo, muris obstructa, relictis tantum-

modo Cancellis quibusdam cum Militari custodia, vt Cap. 4. narratum. Quo autem ordine, & vbi fabrica fuerit inchoata est obseruandum. † Primo ex muro factum fuit Septum A. propè Naualem Ripam vna tantùm Ianua peruium, per quam debitis cautelis extrahi possent merces intus depositæ, & præcipuè vini copia, quorum ibi mercimonium extare assolet adiectis Militibus, & Excubijs; deindè clausa est in B. via Sanctæ Cæciliæ, & obstructi sunt vici C. antè Xenodochium Beatæ Mariæ in Horto, ibique Excubitores remanserunt. Præterea longiori muro præclusus est aditus in D. vbi, propè locum, qui Mons Floris appellatur, duarum fit viarum concursus, mox Cancelli constructi sunt in E. qui ad Commeatus introducendos aperiebantur, Militaribus custodijs muniti. Muro etiam præcisa est via in F. quà iter est ad Plateam Romanam, & non dissimili ratione actum est in G. vbi statio erat Vexilliferi cum debita Militum custodia, & in H. quà a Platea Romana exitus est in Flumen. Item Platea I. ad Templum Diuæ Agathæ, & ora viarum K L. M. N. obstructa sunt, erectique muri in ripa Tiberis O. versus Insulam, ibique stationarij Milites, & Speculatores collocati Commercium impedientes inter Claustri incolas, & Lœmocomij Insulæ Ministros. Portæ insuper, ac Fenestræ multæ in ambitu Clausuræ obstructæ sunt, vt per eas cum Exteris nulla penitùs communicatio intercederet.

Cæterùm, quod spectat ad Insulæ Lœmocomium nonnulla pariter
3 in Icone videntur indigitanda. Erant iuxtà Insulam † Molendina duo, alterum ad ripam Insulæ, alterum in medio Fluminis Alueo; horum vsu ne Vrbs careret, permissus ad ea aditus, interdicto tamen ad Insulam accessu, & commercio. Ideoquè septa Ripa, vbi Scalæ inhærebant, mox coniunctis Scaphis, & ligneo Ponte superstructo è regione Transtibetina ad vltimum ex ijsdem Molendinis transitus parabatur; ad alterum verò, tabulato super Cymbas constructo, equi, & frumenta traijciebantur. Et quoniam Insula reliquæ Ciuitati per duos Pontes vnitur, quorum alter
4 Cæstius † appellatus Transtiberinam ducit in Regionem, alter verò, Fabritius nomine, ad Vrbis interiora vergit; ne per hos ab Insula morbus in Ciuitatem diffunderetur, Cæstius duobus Cancellis parum inter se distantibus fuit septus, Corsorum Militum cu-
5 stodia munitis: Fabritius † item tribus occlusus est Cancellis, quibus additi Commissarius, & Ministri, & opportunè disposita Mili-
6 tum statio. Et in ripa † Insulæ, quæ Ghetto Hebræorum è regione est, locus vbi Cymbæ deuehendis ad sepulturam Cadaueribus destinatæ consisterent, assignatus.

CAP.

TOPOGRAPHIA TRANSTYBERINÆ REGIONIS CIRCUMSEPTÆ, NEC NON TYBERINÆ Insulæ, ac Hebreorum Vici

1. Templum D. Grisogoni cum Coenobio.
2. S. Agathæ cum Monasterio.
3. S. Io. Baptistæ Genuensium cum xenodochio.
4. S. Cæciliæ cum Coenobio.
5. S. Mariæ, vulgo in Capella.
6. S. Salvatoris ad Pontem Senatorium.
7. S. Benedicti vulgo in Peschiola.
8. S. Venusiæ.
9. Platea Romana.
10. Platea Vlmi.
11. Vicus Mons flores nuncupat.
12. Arcus Ptolomei.
13. Viridarium Pamphilium.
14. Pons Senatorius.
15. Vicus, vulgo Pescivola.

A. Navalis Ripæ forum.
B. Via S. Cæciliæ ad Apothecas.
C. Via inter Ecclesiam S. Cæciliæ, et S. Io. Bapt.
D. Confluxus duarum Viarum penes Montem Floris.
E. Via penes Coenobium S. Grisogoni, ubi duo erant Cancelli per quos Commeatus introducebantur.
F. Via a D. Grisogoni ad Plateam Romanam.
G. Via S. Ruffinæ ad Plateam Romanam.
H. Terminus Plateæ Romanæ ad Tyberim.
I. Platea penes Templum S. Agathæ, et Via ad Molas.
K. Via a Templo D. Venusiæ ad Tyberim.
L. Primus Plateæ Vlmi Viculus.
M. Secundus eiusdem Plateæ Viculus.
N. Via inter Molas, et Vicum (Pesciuola) dictum.
O. Tyberis Ripa ad Molas.
P. Stationes Militum.
Q. Speculatorum Locus.

Templa, et loca Insulæ notabilia


A. Statio Commissarij Insulæ.
B. Pons Fabricius vulgo Ponte quattro Capi.
C. Pons Cestius vulgo Ponte Ferrato.
D. Templum, et Coenobium S. Bartholomei.
E. Xenodochium Fratrum B. Ioannis a Deo, vulgi Buonfratelli.
F. Domus pro Ministris, et Servis.
G. Locus Cymbarum Cadavera deferentium.
H. Mola segregata ab Insula ad quam transitus parabatur Ponte super scaphis constructo.
I. Mola Insulæ clausa qua transitus Equitum cohercebatur.

Templa, et loca Notabilia Transtyberinæ Regionis exclusa

a. Basilica B. Mariæ Transtyberim.
b. Templum, et Monasterium D. Calysti.
c. Divi Cosmæ Ecclesia.
d. Coenobium D. Francisci in Ripa.
e. Templum S. Mariæ in Horto.
f. D. Ruffinæ.
g. D. Apolloniæ.
h. D. Margaritæ.
i. Quadraginta Sanctorum.

1. Pons Ianiculensis vulgo Ponte Sisto.
2. Porta Navalis.
3. Nova Vrbis Moenia.
4. Locus Machinæ Tractoriæ Rudentis, Stationis Militum, et Commissary Navigiorum Exploratoris.
5. Horrea publica.
6. Excubitorum, et Speculatorum, Stationes in altera Fluminis Ripa.
7. Statio Militum prope Moenia Vrbis antiqua in extremo Angulo ad Tyberim, vulgo, alla Botte.





CAP. XXVIII.

ARGVMENTVM.

NOsocomium Sanctæ Mariæ Consolationis pro suspectis Infirmis selectum, eiusque origo, situs, commoditas, distributio, clausura, custodia, & munitiones superadditæ expenduntur, & Ichnographico Schemate dilucidantur.

SVMMARIVM.

1 *Templi, ac Nosocomij Sanctæ Mariæ Consolationis prima origo, & fundatio.*
2 *Nosocomium Consolationis pro suspectis infirmis selectum.*
3 *Nosocomij eiusdem Cancelli, Custodiæ, & Partitiones expenduntur.*
4 *Nosocomium, crescente Ægrorum multitudine, quomodo ampliatum.*




1 Osocomium † Consolationis situm, vbi antiquitùs extabant Fori Romani confinia, cum Imagine Deiparæ Virginis propè cliuum Montis Capitolini in pariete depicta, quæ Miraculorum subindè frequentia, & nomen, & causam dedit erectioni Ecclesiæ sub titulo Consolationis eidem Virgini Sacræ, Anno salutis nostræ 1471., & mox fundationi duorum Xenodochiorum, Viculo dumtaxat intercedente, quem antiquiores Iugarium appellabant, quorum alterum pro Viris, alterum pro Fœminis, vtrumque sedula cura nobilium personarum administratum, placuit


2 Sacræ Congregationi † seligere ad pauperes recipiendos Infirmos, vel leuiter pestilentis morbi suspectos, vt cœtera Xenodochia ab infectionis periculo districtiùs seruarentur, quemadmodum Cap. 7. & 9. enarratum: Quamobrem opportunum maximè iudicatum. Erat quippè necessarijs omnibus, tùm aquarum præcipuè copia affluens, tùm a locis frequentioribus seiunctum, ideòque om-
3 ninò in clausutam redactum, † Cancellis, Militum Excubijs, & Commissarijs munitum. Intus appositis etiam ad vtrumque Xenodochium Cancellis, & Custodibus, vt mutua hinc indè interciperetur Communio, fuerunt vtrique Expurgatoria, & Lauacra, & quæcumque opus esse videbantur seorsim destinata.
4 Numero † deindè morbo laborantium in dies supercrescente, cumque omnibus, capax alioquin, Nosocomij circuitus par esse non posse videretur, superadditæ sunt Ædes contiguæ, & Fœnilia in proximo vico, quò etiam, distinctis tamen, & separatis Cellis infectarum Ædium supellectilia deportabantur, donec ad Fullonicam Beatæ Virginis à Sole nuncupatam transmitterentur. Huius Nosocomij Ichnographia sequenti Schemate graphicè delineata, cuncta opportunè disposita, vberiùs repræsentat.





CAP.


Ichnographia Nosocomij S.tæ Mariæ Consolationis pro Infirmis suspectis
Cancelli
Horreum Nosocomij
Impluuium
Hortus
Cœmeterium
Sacellum B. Mariæ Gratiarum dictæ
Claustrum
Claustrum Cisternæ
Nosocomium pro Viris
Cancelli
Spatium Templi S.tæ Mariæ Consolationis
Platea ante Templum
Nosocomium Mulierum ubi Expurgatorium erat
Impluuium ubi lauacra erat
Cancelli
Scala centum palmorum



CAP. XXIX.

ARGVMENTVM.

CAſalettum Pij V. nuncupatum, ad varios Lœmocomiorum vſus, tùm pro Quadragenarijs, tùm pro Infectis, & rurſus pro Aduenis, & Externis ad Quadragenam agendam aſsignatum, quibus præſidijs, & cautionibus fuerit munitum explicatur, eiuſque ſtructura tribus Tabulis, vna Orthographica, & duabus Ichnographicis exhibetur.

SVMMARIVM.

1 *Caſaletti Lœmocomium primò pro Quadragenarijs quàm opportunè inſtitutum.*

2 *Lœmocomium Caſaletti pro Infectis mox inſtructum.*

3 *Lœmocomium Caſaletti pro Infectis ob diſtantiam ab Vrbe dimiſſum, & expurgatum, rurſus pro Quadragenarijs adhibitum.*

4 *Lœmocomium Caſaletti, quibus præſidijs intrà, & extrà munitum innuitur, eiuſque Proſpectus, & Ichnographia tribus Tabulis adducuntur.*



1 Aſalettum Pij V. nunc Prædium Equitis Ornani, ad primos Contagij rumores iam in Lœmocomium † deſtinatum pro ſuſpicione purganda perſonis, quæ Centumcellis venerant, vtpotè maximè commodum, propè quod illac venientibus in Vrbem tranſitus erat ſecus mœnia Vrbis, ſiuè per Portam Naualem, ſiuè per Ianiculenſem, ſiuè per Poſterulam ingreſſuris; Peſti-


lentibus deindè malis identidem intrà Vrbem apparentibus, in
2 Lœmocomium † pro infectis instructum, Quadragenarijs ibi commorantibus ad Cœnobium Sancti Pancratij translatis, vt eò loci Quadragenam peragerent; mox nouo, & amplo Lœmocomio ad infectorum totius Ciuitatis receptaculum in Insula Sancti Bartholomæi instructo, iam propter distantiam ab Vrbe vacuum,
3 & ab omni Contagij suspicione purgatum, rursus † pro aduenis, & externis minus suspectis ad quadragenam assignatum, prout Cap. 3. & 8. dictum, modò Orthographica Tabula, & duabus sequentibus Ichnographicis exhibetur. Quàm verò fuerit accuratè munitum innuitur, tùm vt ea, quæ in Tabulis sculpta sunt indicentur, tùm etiam vt, quæ ex Tabula peti non possunt, inno-
4 tescant. In eo enim intus † distributa sunt Conclauia pro Viris, & Fœminis, ac Religiosis interdistincta; Tabulata immissa, Triclinia strata, lecti compositi, Aquarum diuortia facta, omnia ad habitandum commodè comparata. Exteriùs defixis Clathris, obstructæ prorsus sunt minores Portæ, maiore tantumodò, quà patens in Viridarium erat aditus, relicta; Ædium verò Porta, adiectis Cancellis, & fixis, & ductilibus munita est, apposita iusta Militum custodia, & præpositi Commissarij. Cumque iam penè aquæ continuò haustu deficerent, iussum fuit, vt è Paulinis Aquæductibus, perfosso Canali, hucusque aquæ deriuarentur, quæ cunctis imposterum prestò essent ad omnem vsum abundanter.

Cunctæ Ædium distributiones tribus Tabulis exponuntur, quarum prima exteriorem indicat totiùs fabricæ Prospectum, secunda inferioris, tertia superioris soli Ichnographias.







CAP.




Prospectus Casaletti Pij V. ad usum Valetudinarij

Ichnographia Casaletti Pij V. ad usum Ioemocomij








Ichnographia Casaletti Pij V. ad usum loemocomij
Cisterna
Impluuium Palatij
Cancelli
Viridarium
1 10 20 30 40 50 60 70 80 90 100

Bbb

Pars Ædium Superior





CAP. XXX.

ARGVMENTVM.

LOEmocomium in Cœnobio Diui Pancratij primùm pro Suspectis Exteris, & Indigenis, deindè pro Conualescentibus Quadragenam acturis, qua ratione, & quomodo instructum, eiusque Ichnographia binis Tabulis exponitur.

SVMMARIVM.

1 *Cœnobium Sancti Pancratij aliàs in Lœmocomium pro Exteris suspectis instructum.*

2 *Idem Cœnobium in hac nouissima Pestilentia tùm pro Exteris, & Indigenis suspectis, tùm etiam conualescentibus in Lœmocomium erectum.*

3 *Lœmocomium Sancti Pancratij mirùm ad auertendam, & profligandam Pestem profuit, & quarè.*

4 *Lœmocomium Sancti Pancratij quomodò ampliatum, & Canalibus Plumbeis ex Aquaductu Paulino aquis refertum.*

5 *Lœmocomij Sancti Pancratij spatium Cancellis, Commissarijs, & Officialibus, ac Militum custodia munitum.*

6 *Ichnographia Lœmocomij D. Pancratij binis Tabulis exponitur.*




1 COEnobium † Sancti Pancratij super Calepodij Cœmeterio extructum extrà Ianiculensem Portam, nomen posteà ab eodem Sancto mutuatam, iam anno 1629. Pestilentia in Italiam grassante Lœmocomium pro Aduenis Romam
2 aduentantibus † in hac etiam Pestilentia summopere placuit, quod aliàs experientia comprobauerat. Itaque assumptum, & instructum, vt eò loci

Ccc ad


ad Quadragenam mitterentur Exteri, & Indigenæ suspecti, tùm etiam, qui in Lœmocomijs Casaletti Beati Pij V., & Insulæ San-
3 cti Bartholomæi à Pestilenti morbo conualescerent, † mirum sanè fuit quantùm ad auertendam, & profligandam Pestem profuerit, eo maximè ob aeris salubritatem, ædificij amplitudinem, situs elationem, & quod facilè à Populi commercio penitus se-
4 gregari potuit. De hoc autem † Lœmocomio præter enarrata Cap. 3. & 8. addendum occurrit, quòd ingenti Cubiculorum numero, suspectorum, & conualescentium multitudinem adhuc non ferente, ligneis parietibus interpositis multiplicatæ sunt, ac diuisæ stationes. Conclauia item suspectorum ab alijs seiuncta, aliæque habitationes ordine dispositæ in Ecclesia, Cœmeterio, alijsque cohærentibus Domunculis, & ad vberiorem aquarum affluentiam riuus ex Paulino Aquæductu per Plumbeos Canales, vineas quàmplures medias traijciens, deductus est, indeque perennes
5 riuuli distributi. Totum omninò † clausum est spatium Cancellis, Commissarijs, alijsque Officialibus, Militum custodia iniuncta munitum. Reliqua verò satiùs demonstrant duæ ob id Ta-
6 bulæ, quæ sequuntur, † in quarum altera Ichnographia inferioris Cœnobij, & Ecclesiæ, in altera verò superior pars eiusdem Ichnographicè pariter exhibetur.





CAP.

Ichnographia inferioris soli loemocomij Sancti Pancratij




Pars Superior

Aer Ecclesiæ

Aer Impluuij





CAP. XXXI.

ARGVMENTVM.

LOEmocomium pro Suſpectis, & Conualeſcentibus ad Carceres Nouos, horumque Proſpectus, & Ichnographiæ quatuor Tabulis afferuntur.

SVMMARIVM.

1 *Lœmocomium pro Suſpectis, & Conualeſcentibus in Carceribus Nouis quarè inſtructum.*

2 *Ædificium Nouorum Carcerum tempore Innocentij X. extructum, eiuſque amplitudo, & diſpoſitio.*

3 *Lœmocomium ad Carceres nouos Miniſtris, Commiſſarijs, Regulis, alijſque Cautelis quomodò munitum.*

4 *Lœmocomium Nouorum Carcerum à quouis Peſtilentiæ caſu immune.*



Arceres Noui propè Sanctorum Fauſtini, & Iouitæ Templum, inter Tiberim, & Viam Iuliam, tempore Innocentij X. ſalubri loco recèns ædificati, admodum idonei reperti, vt in
1 eis nouum † Lœmocomium pro Suſpectis, & Conualeſcentibus ijs pararetur, qui cum in eo S. Pancratij dies viginti tranſegiſſent, ad illud translati, reliquum Quadragenæ in eo politiori loco complerent, quatuor Ichnographicis Tabulis afferuntur. Et maximum qui-
2 dem fuit leuamen, quòd huiuſmodi † ædificium adeò comptum, partitum, & ordinatum, Cubiculis, Ambulacris, Fontibus, cœteriſque nedum neceſsitatibus, ſed & commoditatibus opportunè con-


nè confertum, vt non Reorum videretur locus, ſed talis, vt in Suſpectorum, & Conualeſcentium Hoſpitium aſſumendus foret. Quamobrem, vbi primùm in Lœmocomium electus eſt, non maiori cura opus fuit, quàm, vt adderentur duo Lauacra, & Hypocauſta, in quibus ſeiunctim Viri, ac Fœminæ mundarentur, &
Nel medeſimo modo ſi darà l'introduttione alli Boui, Vaccine, Caualli, e Somari, auuertendo però, che per queſti l'acqua, per la quale paſsano, ſia ſufficiente à lauarli intieramente, e che venganonudi, colle ſole capezze, corde, ò briglie, le quali però douranno lauarſi con la liſcia, ò ſapone.

La carne ſalata, preſciutti, & altri ſalami, pigliandoſi da i noſtri nudamente, ſenza corda, ò attacco, ò inuoglio, non hanno biſogno d'altra diligenza.

Le oua cauare dalle ceſte, e caneſtri, e poſte sù la nuda terra ſi prenderanno poi da' noſtri, con rimetterle in altre ceſte, ò caneſtri ſimili.


Dourà però auuertirſi, che tutte le ſudette diligenze ſi facciano da quelli, che porteranno le robbe, e Graſcie; & alli medeſimi non dourà permetterſi l'ingreſso dentro lo Stato Eccleſiaſtico, ſe non per quel trarto di paeſe, ch'è neceſsario per l'introduttione, e conſegna degli animali, e robbe alli noſtri, e per aſſicurarſi, che le genti, che vengono colle ſudette Graſcie, partano ſubito, ſenza prendere alcun commercio co' noſtri, douranno farſi ſcorrare dentro il confine dalle guardie, che vi ſi deſtineranno à tal effetto.

G. Card. Sacchetti.

Ceſare Raſponi Secr.



CAP.



CAP. CCXLV.

INSTRVTTIONE

PER IL DEPVTATO DELLA DOGANA.



Vesto, per quello, che concernerà l'interesse de' Doganieri, dourà hauere da loro particolare Instruttione: mà per quello, che concerne al Lazaretto, osseruerà le seguenti cose, cioè.


Che non ardisca dar fuora robba alcuna, se sia infetta, ò sospetta, che non sia stata diligentemente purgata, secondo la qualità sua, da' Purgatori à ciò deputati, secondo l'Instruttione, che di questo hanno: e fatto il douuto riscontro col Sopraintendente del Lazaretto di dentro, del tempo, che li saranno consegnare, col cui consenso si faranno l'estrattioni, tenendo detto riscontro in modo, che possano rimanere giustificate dette estrattioni appresso i Signori della Congregarione, come fatte con il tempo douuto, e le diligenze requisite.

Dourà procurare, che si tenghino più diligentemente custodite, che si potranno tutte le robbe, facendo nella camera deputata ripartimento, con segnare nel muro à lettere maiuscole, di che parti vi stanno le robbe, come per essempio in vna cantonata della stanza sarà scritto, *Lombardia*, in vn altra, *Toscana*, & in vn altra, *Stato Ecclesiastico, e sue Prouincie*, e nell' alrra, *di Napoli*, e ne' medemi spatij potrebbe rener nel muro vna tauola, nella quale si riponessero le scatole, inuolti, e fagottini piccoli.

Haurà eura, che i suoi Fachini siano solleciti, e diligenti, e si esso, come i medemi procureranno la politia, sì del luogo deputatoli per le robbe, come delle persone, per seruitio proprio del Lazaretto.

Cesare Rasponi Secr.

CAP.



CAP. CCXLVI.

ARGVMENTVM.

ABſoluta Romanæ Peſtilentiæ hiſtoria aduertitur quænam in communibus malis potiſsimè valeant ex parte Principis, ac Miniſtrorum, & apud Ciues: quantùm pariter proſit Peſtilentiæ tempore ad paranda Politico-Legalia remedia agnoſcere Peſtis eſsentiam, eiuſque cauſas, & Contagij vires, & ſigna, iuxta methodum, quam ſibi Auctor propoſuit, & quomodo de his agere intendat.

ARGVMENTVM.

1 *Principis vigilantia, & amor, fides, & induſtria Miniſtrorum, & apud Ciues cauſa Reipublicæ, in communibus malis potiſsimè proſunt.*

2 *Peſtis, & Contagij eſſentiæ, cauſarum, ac ſignorum cognitio peropportuna ad paranda Politico-Legalia remedia.*

3 *Remedium anceps, nonnullorum ſententia, in extremis morbis expedit potiùs, quàm nullum.*

4 *Auctoris intentio, qualis inter diſsidia ſcribentium de Peſtis, ac Contagij eſsentia, cauſis, & ſignis.*




Xpleta Romanæ Peſtilentiæ hiſtoria, recenſitis etiam, quæ in eiuſdem non modò additamentum, ſed & complementum, veniebant, quiſque facilè agnoſcet † quantùm valeat in communibus malis vigilantia, & amor Prin-
1 cipis, fides, & induſtria Miniſtrorum, multùmque poſse apud Ciues cauſam Reipublicæ, quæ ſtat, & ſtabit, vbi caput ſimile Domino Noſtro Alexan-

dro VII. habere, magna, quæ nobis contigit, felicitate contigerit. Reliquum verò est, vt generalia quædam de Peste non historica quidem, aut Politica, sed Philosophica, & Theoretica methodo prosequamur, ea ratione, quam Cap. 1. n. 4. & 5. adduximus. Licèt enim Artis Medicæ aduersùs pestilentem morbum
2 imbecillitas satis fuerit explorata, ea tamen † quæ à Medicis de essentia Pestis, & Contagij viribus, tùm etiam de externis, ac internis causis, signis, & prognosticis tradita fuere, quàm maximè ad paranda Politico-Legalia remedia conducunt, & à Medicis ad morbi curationem excogitata pro infectis remedia, felici euentu
3 quandoque experta, haud omittenda videntur, in eorum gratiam, qui in † extremis morbis expediens potiùs anceps remedium, quàm nullum existimant. Cæterùm quod opinionum attinet varietatem, quæ, vt in qualibet materia multiplices, ita in hac præsertim
4 innumeræ ferè occurrunt, in tam magno scribentium † dissidio nec Iudicem, nec partis alicuius fautorem agere profiteor: Sua cuique stet sententia; quisque pro placito hæc approbet, illa reprobet fundamenta; Etenim nonnisi selectiores sententias indiscriminatim congerere, tantummodò meus animus est, vt sicut mihi apud celebriores Auctores eas indaganti non mediocris fuere solatij, irà & legentium curiositati satisfiat, & publicæ, quantùm fieri potest, incolumitati opportuniùs consulatur.

†



CAP.



CAP CCXLVII.

ARGVMENTVM.

AGitur de Peſte, cæteriſque vulgaribus morbis; eorumque ethymologia, eſsentia, atque differentia refertur, & qui Peſtilentes ſint dilucidatur. Peſtis autem vnicam eſse ſpeciem eiuſdem ſemper efficaciæ comprobatur; Cauſas verò cur Peſtis aliquando magis, vel minùs graſsetur, aliunde procedere conuincitur, ac huius perniciosi morbi ſæuities, & horrendi effectus recenſentur.

SVMMARIVM.

1 *Peſtis nomen perniciosis rebus genericum.*
2 *Peſtis nomen propriè ſumptum Peſtis morbum ſignificat, eiuſque ethymologia aperitur.*
3 *Peſtis morbus varias ſub ſe morborum ſpecies complectitur.*
4 *Peſtis nomen nulli proprium morbo; vulgaris tamen morbus, & peſtilens eſt.*
5 *Morbi vno in loco multos inuadentes, non omnes peſtilentes; quinam dicantur, & quare.*
6 *Morbi endemij alicuius proprij ſunt loci.*
7 *Boccij morbi cauſa, & origo.*
8 *Morborum quibuſdam Regionibus familiarium ſeries.*
9 *Pandemij, ſeu Panceni morbi inter vulgares ſunt, eorumque denominatio.*
10 *Hi, non a propria, ſed a communi ſunt cauſa.*
11 *Morborum communium alij quoque communes, & magis vniuerſales cauſas habent.*
12 *Epidemia vniuerſalium morborum genus generaliſsimum eſt, vulgares continens, & peſtilentes.*
13 *Peſtis, vt ſpecies eſt, Epidemia, vt genus.*

14 *Epi-*

14 *Epidemia non semper exitialis.*
15 *Pestis morbus Popularis semper, & perniciosus.*
16 *Pestis omnis Epidemia est, sed non è conuerso.*
17 *Medicorum quorundam errata circà Pestem, & Epidemiam.*
18 *Aristotelis error confutatur.*
19 *Error vulgi, perniciosos morbos Pestem esse negantis.*
20 *Epidemia, & Pestis in quo differant.*
21 *Pestis definitiones ex Hippocrate, Galeno, & alijs examinantur.*
22 *Pestis triplex species ex quorundam opinione.*
23 *Pestis periculosior a magis vniuersali causa, & contagiosa, reliquis grauior.*
24 *Pestis, plura inficiens Loca salubria, perniciosior.*
25 *Pestis, eò grauior, quò plures inficit viuentium species statis locis, & temporibus.*
26 *Auctoris opinio, & ratio de vera Pestis natura.*
27 *Pestis, cur non omnia, sed certa quadam animalia inuadat.*
28 *Pestis non omnes inficit, qui se illi immiscent.*
29 *Venerea Lues non omnes contaminat, & quare?*
30 *Pestis, a maiori, vel minori hominum cautela, grassandi recipit modum.*
31 *Pestilens qualibet constitutio nomine Pestis insignitur, & quare?*
32 *Pestis mortifera est, & eius effectus.*
33 *Contagio, omnium acerrima, & periculosior labes est, nec non ardentissimus morbus.*
34 *Pestis immanitas historicis exemplis varijs comprobata.*
35 *Pestis nulli sexui, ætatiuè parcit, & Pestilentium cadauera contagiosa euadunt.*
36 *Pestilentia feritas a Brutis in cadaueribus agnita.*
37 *Pestis morbus maximus, & atrocissimus per antonomasiam dictus.*
38 *Pestis, ad instar veneni operatur, soloque timore homines necat, & quare?*
39 *Peste mortui, veneno perijsse creduntur.*
40 *Pestis genus est morbi, venenorum omnium pestiferrimum.*
41 *Pestis vera, non vltrà septimam diem ægros viuere patitur, quatriduo sæpe, triduo, biduo, & non rarò eadem die, qua inuadit, perimit.*
42 *Pestis nonnullos intrà horarum spatium perdidit.*
43 *Pestis sternutantes homines abstulit, loquentes interdum, aut stantes veluti fulmine perculit.*
44 *Pestis, vbi viget, habitatores in mortis articulo constituit, & quare?*

45 Pe-

45 *Peſte correpti ab omnibus euitantur, vt Diabolus.*
46 *Peſte graſſante Parentes, & conſanguineos auerſamur.*
47 *Peſtis, quare Bellum inter Deum, & homines dicatur.*
48 *Peſtis, quomodo antonomaſticè à Sacris Paginis, & Scriptoribus dicta.*

1 
Eſtis nomen † generale eſt, & pluribus commune, à plerіſque ad res perniciosas non ineptè accommodarum, cuius ſignificatione Plin. *peſtiferum taurum*. Terentius *peſtiferos lenones*. Horat. *peſtiferum ventum*. Cicer. *peſtiferam in amicitijs pecuniæ cupiditatem, peſtiferam luxuriam, peſtiferam auaritiam, peſtiferum Magiſtratum, peſtiferos Ciues frequenter appellat*. Ipſi quoque ſacri Canones, tum ſimoniacam labem, tum ambitionem in Religionibus, peſtem vocant, *cap. ſicut de ſimon. cap. quorundam §. volentes de elect. in 6.*, & omnia plena peſtiferæ curioſitatis exclamat D. Auguſt. *de Doctr. Chriſt. lib. 2. cap. 23.*, ac paſſim Peſtis nomen per metaphoram vſurpatur pro quacumque re exitiali ſignificanda. *Plin. lib. 2. cap. 7.* Immò, cum quid maximè noxium nominare volumus, quaſi per antonomaſiam, peſtis nomine illud inſignire ſolemus; ità Homer. Iliad. 1.

Iram cane Dea Pelidæ Achillis peſtiferam.

Virgil. lib. 3. Æneid. de Polyphemo.

Dij talem auertite peſtem.

Et lib. 4. Æneid. de Amore Didus.

Quam ſimul, ac tali præſentit peſte teneri
Cara Iouis Coniux.

Plaut. in Pſeud. act. 1. ſcen. 1. de Lenone Ballione loquens

Qui, ſi omnes vnà, peſte hac populum hunc liberant?

Torquat. Taſſ. in ſua Hieruſalem introducens Armidam ſe occidere volentem Cant. vlt. ſtanz. 126.

Felice me, ſe nel morir non reco
Queſta mia peſte ad infettar l'Inferno.

Sic etiam modernus Lyricus de nauis inuentore canit.

Argo, Tifi, ò chiunque
Traſſe dal Monte il Pino, e ſi compiacque
Confiar d'aura incoſtante i lini ſparſi,
Peſte fù de mortali.

2 Hoc autem peſtis nomen in proprio ſignificatu ſumptum † Peſtis morbum ſignificans, apud Græcos dicitur *limos* à verbo *limotto*,

V u u ideſt

idest deficio, quia gentes Peste deficiunt; Hebraicè verò appellatur *Debor*, *Psal.* 90. 6. *Osea* 13. 14. à verbo, *Dabar*, quod in tertia coniugatione habet *hiddebir*, videlicet subuertit; Pestis namque subuertit omnia. Verùm Latino nomine retento, descendit a verbo *pascor*, quia gentes depascitur. *Galen. de Theriac. ad Pison. c.* 16. *Guainer. de Pest. diff.* 1. *cap.* 1. *in princ. Anton. Port. de Pest. cap.* 2. *Celin. Pint. de Pest. cap.* 1. At etiam à pastu originem traxisse ait *Tostat.* 2. *Paralipom. cap.* 7. *vers. Pestilentia*, eò quia faciliùs propter saturitatem, quàm propter inediam corpora corrumpuntur; qua etiam de causa inquit *Marchin. de bell. Diuin. cap.* 1. *sub n.* 2. Pestem familiarem esse nationibus, quæ nimium gulæ indulgent.

3 Pestis autem morbus, † neque vna certa quædam species morbi est, *Galen. lib.* 3. *Epid. com.* 3. *Andr. Gall. de Pest. fascic.* 4. *Lidell. Scot. lib.* 3. *cap.* 1. *Hucher. de febr. lib.* 4. *cap.* 2., sed quoddam genus sub se plures morbos comprehendens, *Foresf. lib.* 3. *obseru.* 9. ad instar Protei tàm varias, ac sæpè numero contrarias induit formas, vt satis compertum sit Pestem insurgere sub qualibet specie morbi, & omnes morbos in vniuersum amplecti, vt apertè colligitur ex *Hippocr. lib.* 3. *Epid. sect.* 3. *à context.* 9. *vsque ad* 19. *Galen.* 3. *Epid. comment.* 21. *&* 28., *& benè notat Massar. de Pest. lib.* 1.
4 *fol.* 6. *col.* 2. Quarè hoc nomen Pestis † nullo morbo proprium est, sed vnus de vulgaribus morbis ipse pestilens est, & cuicumque conuenit morbo, qui vno in loco multos simul inuaserit, & horum plerosque perimat. *Galen. lib.* 3. *Epid. sect* 3. *comment.* 20., *&*
5 *rursus lib.* 4. *Epid. sect.* 7. *comment.* 1. Plures verò morbi † dantur, qui multos in vno loco simul inuadunt, verùm non omnes pestilentes sunt; Alij enim dicuntur sparsi, ac inter se dissimiles, & genere diuersi, quos Græci vocant *sporades* a verbo Græco *spiro*, Latinè, *semino*, seù *dispergo*, *Galen. lib.* 1. *Auct. comment.* 9. Ac dispersi appellantur, quia sparsim, priuatimque hunc, vel illum hominem aggrediuntur, non vna, eademquè affectione, sed vnumquodquè diuersa, veluti alium pleuritide, alium tertiana, alium verò quartana febri vexantes. Non enim ex communi quadam causa, sed ex proprio vniuscuiusque vitio, & errore propriaque causa procedunt; & quamuis multos interdum inuadant, non tamen ex communi causa, nec simul eodem tempore, & loco, nisi fortè quosdam per accidens prehendunt, at seorsim, separatimque discrepanter fatigant, de quibus agunt *Hippocrat. in lib. de regim. in morb. acut. & in lib. de morb. mulier. ac in lib. de salubr. diet. Galen. in proem.*, *& lib.* 2. *de nat. hum.*

6 Alij autem morbi † sunt alicuius Ciuitatis, vel loci proprij, ac verna-

vernaculi, apud Græcos *Endemij* nuncupati à præpoſitione *en*, Latinè *in*, & dictione *demos*, ideſt, Populus, quoniam in Populo alicuius Regionis familiariter excitantur, communem cauſam agnoſcentes ab ipſius loci proprietate, de quibus pariter agunt *Hippocr. lib. de aer. aqu., & loc., & Galen. lib. 2. de vict. acut.*, vbi
7 ait, Boccium morbum † ob peculiare loci aquarum vitium gigni, cui conſonat *Plin. lib. 1. cap. 37. poſt med.* aſſeuerans hominibus plerumque guttur intumeſcere ex vitio aquarum, quæ potantur, & idem innuit *Oribaſ. lib. 3. in fin.* vbi de aquis loquens, affirmat Gutturoſos nonnunquam fieri ab ipſis aquis; idemque teſtatur *Vitruuius lib. 8. in Architect. cap. 3. iuxta fin.* inquiens, in Alpibus genus adeſſe aquæ, quam bibentes turgidis gutturibus efficiuntur. Vnde *Iuuenal. ſat. 13.*

Quis tumidum guttur miratur in Alpibus?

ſatiſque exploratum habemus Indis familiarem eſſe Morbum Gal-
8 licum; † Melitenſibus Dyſſenterias; Tridentinis Pleuritidem; Populis Vallis Tellinæ Fatuitatem; Britannis Sudores; Hiſpanis Strumam; Luſitanis Phtiſim; Atticis Podagram; Romanis Hippocondriacas affectiones; aliiſque Regionibus alios morbos, cum nulla ferè ſit Natio, quæ ex peculiari ſitu, naturaliſque conſtitutionis temperamento, morbos non habeat patrios, de quibus itidem agunt *Hippocr. lib. de aer. aqu., & loc., & Galen. lib. de nat. hum. tex. 19.*, & huius rei cauſas ſequentibus verſibus eleganter enarrat *Lucr. lib. 6.*

Eſt elephas morbus, qui propter Flumina Nili
Gignitur Ægypto in media; neque præterea vſquam
Attide tentantur greſſus, oculique in Achais
Finibus; indè aliis alius locus eſt inimicus
Partibus, ac membris; varius concinnat id aer.

9 Alij vulgares, ſeu populares ſunt, † apud Græcos *Pandemij* à dictione *Pan*, Latinè, totum, ſiue omne, & *demos*, quæ Populum ſignificat; quia ſcilicet totum Populum eodem morbo, ex eadem cauſa inuadunt: qua ratione dicuntur etiam *Pancæni*, nimirum omnibus communes, *cenos* enim græcè, nobis communem ſigni-
10 ficat. Cauſam † autem non habent propriam, ſed communem, plerumque ob ærumnas paſſas, vel putrefactas aquas, aut ob corruptam alimoniam ex *Hippocr. lib. de aer. aqu. & loc. Galen. lib. 2. de nat. hum., & de differ. febr. c. 3. ac de cib. bon. & mal. ſucc. in princ.* atque etiam *lib. 2. Epid.*, ac præſertim *ſect. 4. in fin. text. 13. & lib. 6. comment. 4.* de quibus pariter nonnullas hiſtorias refert *Auenzoar. lib. 3. tit. 3. cap. 4. ante med.*

Com-

11 Communium morborum † alij communes quoquè causas, sed magis vniuersales adipiscuntur ex aeris coinquinamento, à calidis, & humidis, siccis, & frigidis tempestatibus simetriam nostri corporis ad intemperiem, cum humorum apparatu disponentes, qui *Epidemi*, seu *Epidemij* à Græcis dicti sunt, à dictione *epi*, scilicet *super*, & *demos*, quòd est *Populus*; quia in Populos ruunt. Vndè Epidemus idem præsefert, quod super Popularis; ideoque Populares, ac etiam vulgares morbi nuncupantur: liberque de Epidemijs, liber de vulgaribus appellatur, quorum naturam, effectus, & qualitatem explicat *Hippocrat. in lib. Epid. & lib. Aphorism.* 3. *Galen. de rat. vict. in morb. acut. comment.* 9. *ac* 3. *Epid. sect.* 3. *comment.* 20. Isti autem, aut adeò perniciosi existunt, vt plerosque interficiant: aut non sunt perniciosi, ità vt ab illis plerique euadant, & primo casu pestilentes sunt, secundo verò nequaquam, sed Epidemij, idest Populares simpliciter ex *Hippocr.* & *Galen.* vbi proximè.

12 Quarè Epidemia dicitur † genus generalissimum morborum procedentium ab vniuersali causa, continens in se duo genera subalterna, videlicet vulgares, & pestilentes morbos, vt benè ait
13 *Septal. de Pest. lib.* 3. *cap.* 3., & sic Pestis † ab Epidemia, pernicie differens est; Epidemia se habet tamquam genus, Pestis verò tamquam species, ex sententia eiusdem *Galen. de morb. vulg. lib.* 1. dicentis Pestem esse ex genere Epidemiorum, ab Epidemijs sola pernicie differentem, & idem tradunt *Guainer. de Pest. diff. d. cap.* 1. *Altimar. de febr. part.* 4. *cap.* 3. Cumque Epidemia sit nomen generis subalterni, dicitur quidem morbus à communi causa
14 originem habens, sed vt plurimùm salutaris est, † quales sunt raucedines, tertiana febris, similesque morbi, qui nec perniciosi, nec maligni existunt, & licèt pluribus communes, nequaquam pestilentes sunt; at è contrario Pestis morbus habens vtrumque, quod
15 sit popularis, & perniciosus, semper exitialis est, † quia plures inuadit, & ex his plurimos interficit ex doctrina *Hippocr. lib.* 3. *Epid.* quam explicat *Galen. eod. lib.* 3. *text.* 20., *& lib.* 1. *de rat. vict. in morb. acut. comment.* 9. Ex quibus manifestum est omnem Pestem
16 esse quidem Epidemiam, non tamen è conuerso † omnem Epidemiam esse pestem, vt animaduertunt *Philipp. de Grau. de pestifer. morb. part* 1 *cap.* 18. *Roderic. quæst. canon. tom.* 1. *quæst.* 49. *art.* 4. *Sanch. in summ. Decal. lib.* 7. *c.* 15. *n.* 33. *vers. cæterum. Marchin de bell. diuin. cap.* 1. *nu.* 3. *in fin.*

17 Errant propterea nonnulli Medici, † quos refert *Tiraquell. de legib. connub. part.* 15. *n.* 47. Epidemiam, & Pestem confundentes, & nullum

nullam inter vtramque conſtituentes differentiam; ac decipitur *Sauonarola de febr. cap. 9. rubr.* 1. qui omnem Epidemiam dicit eſſe peſtilentem: in quem errorem videtur quoque lapſus *Ariſtot.*
18 *problem. lib. 1. probl. 7.* dicens ex morbis † ſolam Peſtem eſſe pluribus communem; hoc enim modo confundit Peſtem, & Epidemiam, inter quas ex ſuperioribus conſtat magnam eſſe differentiam, alioſque dari morbos communes, non peſtilentes, prout obſeruat *Roderic. d. quaſt. 49. art. 4. verſ. ex his ſequitur*. Et licèt nonnulli Ariſtotelem tueri conentur, prætextu, quòd ille fuerit locutus ſecundum vulgi conſuetudinem Peſtem appellantis quoſcumque morbos non pernicioſos, dummodò communiter vagentur; attamen hic fuiſſet error peior priore, ſiquidem non ſubſiſtit ſuppoſitum, quòd vulgus ſoleat appellare Peſtem quoſcum-
19 que morbos communiter vagantes. Quinimmò vulgus † pernicioſos morbos contendit ſemper non eſſe Peſtem; Et maximus error eſt, immò cauſa, quod Peſtis ſuas dilatet fimbrias, & ſine fræno Ciuitates depopuletur, vt ſuo loco peculiariter dicetur. Verùm etiam adhuc defeciſſet Ariſtoteles, ſi ad inſtar vulgi, tàm inſignis Philoſophus locutus fuiſſet, quandoquidem erraſſet in terminis, dum ſpeciem nomine generis inſigniſſet, tùm quia morbi ſimpliciter Epidemici, à peſtilentialibus propriè dictis maximè differunt ſecundum conuenientiam, & naturam; in Epidemia enim
20 vagatur † morbi genus in omnibus, vel pluribus non pernicioſum, vt de raucedine, tertiana febre, ac ſimilibus ſupra diximus; at in Peſte fiunt ægritudines diuerſorum generum habentium ſociam quandam prauam, deleteriam, ſeu venenatam qualitatem, ex cuius pernicie plures ægrotant, & iſtorum plurimi interficiuntur, vt ex *Hippocr. d. lib. 3. Epid. explicat Galenus ibid. text. 20. & lib. 1. de rat. vict. in morb. acut. comment. 9.*

His præmiſſis, iuxtà ſaniorem ſcribentium ſententiam Peſtis ſic
21 definiri poteſt, quòd ſit Epidemia † pernicioſa plures afficiens, & iſtorum plurimos interficiens ex *Hippocr. d. lib. 3. Epid., & Galen. ibid. ſect. 3. comment. 20. ac 4. Epid. ſect. 7. comment. 1.*, vel reſpectu Contagij, quo ipſe morbus communicatur, non diſplicet definitio, quam tradunt aliqui, nempè, quod ſit Morbus exitialis, & communis, qui contagione ab vno ad alterum ad inſtar veneni ſerpit; Non tamen placet definitio, quam ex noſtris affert *Ripa de peſt. in prælud. n. 7.* nempe Peſtem eſſe morbum contagioſum à nutrimentorum, vel aeris infectione procedentem; hæc enim definitio non videtur perfecta, quia non conuenit omni, ſoli, & ſemper, cum Scabies, Lepra, & Phtiſis ſint morbi, & ipſi contagioſi, ac

à nutrimentorum, & aeris etiam infectione procedant, nullus tamen istorum morborum Pestis sit.

22 Affirmant nonnulli huius morbi tres dari species, † primam nempè esse intensæ, & effrænatæ feritatis, vt ferè omnes correptos perdat; secundam verò, ex qua multi euadunt, & multi æquè ferè pereunt; tertiam denique, ex qua maior pars correptorum euadit, sed nihilominùs multi intereunt; & quidem ratione causæ grauiorem, & periculosiorem esse illam, quæ magis vni-
23 uersalem habet causam. Sic ferociorem esse, † quæ ex aere corrupto, tamquam à causa communiori excitatur; quò verò ad Contagium grauiorem esse; eo quòd non semper Pestis actu contagiosa sit, vel in ipsa non sit semper eadem Contagij vis. Vlteriùs perniciosiorem esse Pestem si plura inficiantur loca, præsertim,
24 quæ vix, aut rarò Pestem † experiuntur, iuxtà illud, corruptio optimi pessima; respectu quoque longioris, vel breuioris temporis, quo durat Pestis, breuem, aut longiorem esse cladem. Propter verò differentiam specierum, & indiuiduorum, quæ Peste afficiuntur,
25 tanto grauiorem esse Pestem, † quanto plures species, & plura indiuidua corripiuntur; quandoque enim non nisi certum genus, aut certa animalium species inficitur: sed & ratione indifferentiæ temporum, in quibus viget Pestis, illam esse magis, & minùs vrgentem: aliquando enim esse remissiorem per hyemem, & ver, ac vt plurimùm crudeliorem in autumno; denique atrociorem fieri, quò plures occidit, atrocissimamquè nulli parcere, ac tamquam feram inexorabilem quæque animalia depasci.

26 Sed ego puto prauam, & venenatam perniciosæ Pestis † naturam semper esse eiusdem efficaciæ, magis verò, aut minùs debacchati secundùm magis, & minùs prauam dispositionem, ac intemperiem indiuiduorum, cum agens operari nequeat nisi in subiecto disposito, iuxta axiomata Aristotelis dicentis, nullum agens nisi in patienti accomodato, apto, & disposito suam exercere actionem: cui assentitur *Hippocr. lib. de flatib. in princ.* vbi per modum interrogationis inquit: sed dicat aliquis, cur ergo non omnibus ani-
27 mantibus, † sed generi cuidam ipsorum accidunt hi morbi? quia (respondet ille) differt corpus à corpore, natura à natura, nutrimentum à nutrimento; non enim omnibus generibus animantium hæc consentanea, aut non consentanea sunt; sed alia alijs congrua, & accomodata; Galenus verò quàm apertissimè hæc confirmat *lib. 1. de diff. febr. cap. 4.*, ideoquè non omnes necessariò
28 inficiuntur, qui Pesti † se immiscent, correptis assistunt, infecta supellectilia tractant, ac semina Pestis in aere dispersa attrahunt

hunt, vt inquit *Senert. de febr. lib.4.cap.2. ſ. neque etiam*; immò ex eiſdem Lœmocomijs nonnullos ſemper incolumes euaſiſſe experientia docet. Idque ſatis ſuperque conuincitur ex venerea lue, quæ, & ipſa contagioſa eſt, & tamen non contrahitur, niſi diſpoſitio patientis concurrat ad infectionem recipiendam; namque paſſim experimur ex pluribus vna, eademque nocte ſcorto alicui im-
29 puro ſe commiſcentibus, non neceſſariò omnes, ſed † vel aliquos tantùm, vel vnicum, vel quandoque etiam neminem promeritam reportare mercedem. Hoc autem adſcribi non poteſt fomiti, qui dumtaxat vnicus exiſtit, ſed ex diuerſitate diſpoſitionis ſubiectorum prouenit, quorum alij, vel naturæ robuſtioris, vel ob huiuſmodi exercitij nouitatem, minùs adhuc alijs à natiuo
30 vigore receſſerunt. Minùs etiam autem, aut magis graſſatur † Peſtis prout magis, & minùs ſe ſe præcauent indiuidua, ac prout magis, aut minùs Peſtis furor, atque impetus cohibetur, ſiuè laxioribus, aut anguſtioribus terminis coercetur, vt latiùs, vbi
31 de Peſte Vrbis egimus. Quid quid autem de hoc ſit, † ad rem ſufficit præfatas omnes quaſcumque peſtilentes conſtitutiones crudeliores, vel mitiores comprehendi ſub nomine Peſtis, quod negari non poteſt, quia iuxtà ipſorum Medicorum axiomata intenſio, & remiſſio non variant ſpeciem, & in iure noſtro, plus, & minùs non mutant ſubſtantiam rei, nec faciunt differre ſpecie *l.fin.ff. de fund. inſtr. l. generaliter 37.ff. de legat.3. l.is cui 11.ff. quèmad. ſeruit. amitt.*

32 Cæterùm Peſtis mortifera eſt, † ac vt inquit *Zacut. lib.4. de Medic. princ. hiſtor. in paraphr. quæſt.* 42. tamquam immanis Ciuitates deuaſtat, Prouincias ſolo æquat, omniaque animalia profligat, atque premit diu, & importunè. Hinc miſerandæ clades, citiſſimæ mortes non tam ex ſæuientis veneni malitia, quàm ex diuturnitate, & prolixitate huius mali ſubortæ, de cuius ingenti ſæuitie tàm veterum, quàm Patrum noſtrorum memoria, ſæpiſſimè in miſeros mortales concitata, varij horrenda, & planè inaudita referunt, de quibus *Ioann. Eutch. de Offic. Ma-*
33 *giſtr. cap.*10. Acerrima enim Contagio, † ac periculoſiſſima omnium labes exiſtit. *Rolan. conſ.*81. *num.*34. *& ſeq. lib.* 1., nam vtgraphicè canit *Lucret.*

Hæc ratio quondam morborum, lethifer æſtus
Finibus in Cecropis funeſtos reddidit Agros,
Vaſtauitque vias, exhauſit Ciuibus Vrbem.

Seuer. Rhetor. in carminibus de mortibus Boum to. 8. *Biblioth.*

Hæc tam dira lues ſerpere dicitur

Pridem

Pridem Pannonios, Illyricos quoque,
Et Belgas grauiter strauit,
Cursu nos quoquè nunc petit.

Enim verò ardentissimus morbus est, vndè *Arnob. lib. 1. cont. gent.* ait pestilentiæ contagia vrunt genus humanum *Martial. lib. 1. Epigr. 78.*

Indignas premeret Pestis cum tabida fauces,
Inquè ipsos vultus serperet atra lues.

At horribilia quidem de pestifera lue referunt Historici; siquidem imperante Iustiniano scribit *Procop. de bell. Persic. lib. 2.* tàm atro-
34 cem Byzantij viguisse Pestem, † vt quotidiè quinque millia, interdum etiam decem millia hominum sepulturæ traderentur. Romæ quoque Vespasiani temporibus decem millia hominum singulis diebus Pestis morbo perijsse tradit *Vntzerus in antid. pest. lib. 1. p. 1. dist. 2. n. 1.*, & addit, quod mirabilius est, tempore Caroli IV. Imp. trium annorum spatio inter ferè innumera hominum milliaria, centum viginti quatuor millia, & quatuor centum viginti quatuor Franciscanos decessisse. In Anglia pariter sæuissimam accidisse Pestem anno salutis 1486., quæ Angliam propè vniuersam depopulata fuit, vt ex centum hominibus vix vnus incolumis euasetit, testatur *Polydor. Virg. in suis cronol. Angl.* In Italia pariter, tàm sæuam debacchatam fuisse pestilentiam, quod ex millesimo vix decimus remanserit illæsus, referunt. *Plat. in vita Clem. VI. Michael. Sceuol in vita Feder. III. Imper.* In Campania verò tàm immaniter grassatam narrat *Tacit. lib. 16. annal.*, vt domus corporibus exanimis, itinera funeribus complerentur; seruitia perinde, ac ingenua plebs raptim extincti, nulloque ferè temporis intervallo inter Coniugum, & liberorum lamenta integras sæpè familias eodem rogo crematas constiterit. Verùm huiusmodi Pestis immanitatem non minùs hisce nostris temporibus conspeximus, quàm in veteribus annalibus legimus. Neapoli enim, breui spatio quatuor mensium plusquam ducenta quinquaginta millia hominum interfecit. Genuæ autem breuioris temporis cursu propè septuaginta millia deuorauit; & Neptuni, ac alijs maritimæ Prouinciæ locis, quibus statim occurrere impossibile fuit, duas ex tribus partibus hominum sustulit, ac ferè neminem intactum reliquit.

35 Tantaque est Pestis sæuities, † vt nulli sexui ætatiuè parcat, sed indiscriminatim in obuios grassetur, & ferociam suam exerceat; eiusque vis pestiferi veneni, & efficacia adeò insolescit, vt cadauera Peste emortua adhuc contagiosa dicantur *Forest. lib. 6. de febr. Schol. 28.* Vndè fit, vt quædam bruta de Mortuorum cadaueribus

36 ribus, † quibus anteà veſcebantur, abſtineant contagionis tempore, nimirum Canes, Lupi, atque Corui; ſiquidem quaſi à Natura admonita, huiuſmodi Cadauera, tamquam ſibi mortem comminantia refugiunt, & auerſantur, vt perbellè meminit *Ouid.*

Corpora fœda iacent, vitiantur odoribus auræ;
Mira loquor, non illa Canes, auidæque Volucres,
Non cani tetigere Lupi, dilapſa quieſcunt,
Afflatuque nocent, & agunt contagia latè.

Cui adſtipulatur *Lucret.*

Multaque humi cùm inhumata iacerent corpora ſuprà
Corporibus: tamen alituum genus, atque ferarum
Aut procul abſiliebat, vt acrem exiret odorem:
Aut vbi guſtarat, languebat morte propinqua.

37 Idcircò dicitur morbus atrociſſimus, † qui omnes alios ſuperat atrocitate. *Alex. Bened. de febr. peſtif. in præfat. Fumanell. de peſt. cap. 1. Hucher. de febr. lib. 4. cap. 2. Placent. de peſt. cap. 29. ac ex noſtris teſtantur Rip. de peſt. in prælud. ſub nu. 5. Neuiz. conſ. 51. per tot. præſertim n. 20. Parıſ. de reſignat. benef. lib. 12. quæſt. 6. nu. 14. Maſcard. de probat. concl. 20. n. 4.* Et per antonomaſiam maiorum morborum Maximus nuncupatur *Lang. lib. 1. epiſt. 18.*; ac inſtar vene-
38 ni operatur ſicut Arſenicum, Calx, & Napellus, † ſoloque timore homines necat, quia humores facilè corrumpuntur, vel quia excrementa facilè in venena conuertuntur. *Ficin. de peſt. ep. ant. cap. 1. Placent. de peſt. cap. 2.*; iamque venenum dicitur, ac Peſte mo-
39 rientes † veneno periſſe creduntur *Galen. 1. de aer. & ſign. acut. 7.*
40 immò genus eſt † morbi, venenorum omnium peſtiferrimum, medullis, & intimis hominum viſceribus inhærens, qui ſtatim hominem contaminat, & proſternit *Maſcard. de probat. concl. 248. n. 3. Gargiar. conſ. 47. nu. 21. lib. 1.*; Licèt enim vt plurimùm Peſtis vſ-
41 que ad ſeptimam diem † præſtet inducias, non tamen vlteriùs viuere patitur *Ioub. de Peſt. cap. 8.*; ſæpe verò quatriduo interimit, vt faciunt quidam morbi, de quibus *Cardan. lib. 3. prognoſt., prognoſt. 1.*; aliquandò etiam triduò, interdum biduo, & non ſemel eodem die, quo prehendit, occidit; atquè nonnullos intrà viginti, aut etiam intrà decem, immò, & intrà octo, & ſex horarum ſpa-
42 tium necare † viſa fuit. *Alex. de Bened. de febr. peſtilent. cap. 1. Ioub. vbi ſupra. Foreſt. lib. 6. obſeru. 9.* Pluriumque teſtimonio affirmat *Card. lib. 5. Aphoriſm.* Peſtem aliquando graſſatam ità ce-
43 leriter, vt cùm breui momento ſæpiùs homines ſternutaſſent, † ſtatim conciderent, animam exhalantes. Refertur quoque à *Valeriol. lib. 3. loc. commun. cap. 18.*, quod in Peſte, quæ anno 1534. in


44 Gallia Narbonensi vigebat, homines loquentes, ac sedentes de repente tamquam fulmine icti peribant. Hinc non immeritò vbi Pestis viget, † habitatores dicuntur esse in mortis periculo, *Corn. consf.* 131. *num.* 5. *vol.* 4. *Gargiar. d. consf.* 47. *n.* 22. immò in mortis articulo *Parisf. de resignat. benef. d. lib.* 12. *quæst.* 6. *num.* 15. *Rip. de priuileg. Iud. ex causf. pest. n.* 47. *ex Bart. & alijs*. Tempus enim Pestis est tempus mortis, non respiciens senectutem, nec iuuentutem. *Gayl. obseru. lib.* 1. *obseru.* 92. *num.* 7. *Sebast. Medic. in tract. mors omnia soluit part.* 1. *num.* 139., *& seq. Heringh. de fideiusf. cap.* 15. *num.* 81. *Gargiar. d. consf.* 47. *num.* 23. *Petr. Royt. decisf. Lituan.* 4.
45 *n.* 369., eòque miseriæ ducuntur Peste correpti, † vt ab omnibus euitari soleant, tamquam Diabolus, vt inquit *Neuizan. d. consf.* 51. *nu.* 11. *&* 20., nec Parens filium, nec filius Paren-
46 tem adiuuat, † frater fratrem fugit, vir vxorem, vxor virum auetsatur *Mascard. d. concl.* 20. *sub. n.* 9. Ideoque Pestis † meritò di-
47 citur bellum inter Deum, & Hominem, horribilius, quàm inter hominem, & hominem, cui humanæ vires resistere nequeunt. *Butr. Panorm., & Felin. in cap. extra de rescript. Bart. in l. naturaliter ff. de vsucap. Brunor. a Sole quæst.* 31. *nu.* 26. *&* 28. *Rip. de pest. in prælud. d. n.* 9. *Prauidell. de pest sub tit. de Iud.* §. 13. *num.* 5. *Ioann. de Amic. consf.* 37. *num.* 7. *Tambur. de iur. Abbat. quæst.* 6. *disput.* 19. *num.* 5.
48 & in Sacris literis antonomasticè dicitur † manus Domini, plaga Dei, eiusque virga, *Exod. cap.* 9. *Leuit cap.* 21. *Ezech. cap.* 6. 14. 19. Illamque Sacri Scriptores appellant Diuinam vltionem, gladium furoris Diuini, futurarum calamitatum portentum, ægritudinum omnium Reginam, *cap. sicut. de simon. Prauidell. de pest. sub tit. de pertinent. ad salubr. Ciuit.* §. 18. *n.* 5. *Rip. de remed. ad curand. pest. n.* 1. *Marchin. de bell. diuin. cap.* 1. *nu.* 6.

Iam verò de Pestis causis est agendum.





CAP.



CAP. CCXLVIII.

ARGVMENTVM.

Agitur de caussis Pestis in genere; diuiduntur hæ in subiectiuam, formalem, finalem, & efficientem. Subiectum Pestis proponitur, & quænam corpora magis obnoxia Pestilentiæ sint dilucidatur. Vera Pestis natura ostenditur. Caussa finalis eiusdem eruitur, & omnes caussæ efficientes breui epilogo recensentur.

ARGVMENTVM.

1 *Caussæ Pestis difficile inuestigantur à Medicis.*
2 *Caussæ Pestis in quatuor summa genera diuiduntur.*
3 *Caussa materialis apud Medicos, quæ sit.*
4 *Pestis sedes, ibi inquirenda, vbi vitalis actio læditur.*
5 *Subiectum Pestis primarium pars illa est, à qua vita maximè pendet.*
6 *Sanguis est primum viuens, iuxtà Anglicam scholam.*
7 *Subiectum Pestis primarium cor est, secundarium verò vniuersum corpus.*
8 *Anthraces ante febrem quandoque erumpunt.*
9 *Corpora mollia, & rara Pestem faciliùs contrahunt, densa faciliùs fouent, & quare?*
10 *Caussa formalis Pestis est praua infectio vitalem facultatem primariò lædens.*
11 *Pestis ad tria communia morborum genera non reducitur.*
12 *Pestem, per febrem ab aliquibus desinita, reduci posse videtur ad intemperiem.*
13 *Febris non est de essentia Pestis ex opinione, & obseruatione multorum.*

14 *Fe-*

14 *Febrium triplex primum genus Pesti associari solet, & quomodo.*
15 *Sudor Anglicus, inter ephimeras pestilentes recensetur, licèt non placeat VVilisio.*
16 *Hectica pestilens ab vlceribus internis potest fieri, & probatur historijs.*
17 *Pestis non semper cum febre iungitur.*
18 *Intemperies excedens primarum qualitatum non est causa formalis Pestis.*
19 *Pestis sub mala conformatione partium non continetur: VVillisius, & Auenionensis notati.*
20 *Vlcera praua Attica Pestis referuntur.*
21 *Veneni corrosiui opinio ab Auenionense allata expenditur.*
22 *Pestis adequatè sub continui solutione non continetur.*
23 *Arsenici corpuscula non sunt Pestis venenum, & quare?*
24 *Venenum pestilens, ab Authore in quodam miasmate maximè actiuo statuitur, ab aere corrupto inspirato, aut per contagium suscepto.*
25 *Miasma pestilens, fermentatione quadam corruptiua vitalem ignem inuadit.*
26 *Semina Pestis, vel ex aere externo, vel ex sanguine intùs corrupto emanant.*
27 *Sanguis extractus putrescens, spiritum edit venenatum.*
28 *Spiritus syluester Helmontis explicatur.*
29 *Causa finalis Pestis soli Deo nota.*
30 *Pestis à casu fit, sed non ad mentem Epicuri, & Catholica de casu sententia exponitur.*
31 *Casus nomine, quid intelligendum, & qua ratione prauideatur à Deo.*
32 *Pestis est corruptio casualiter consequens naturalem finem causarum.*
33 *Causa finalis Pestilentia moraliter sumpta est humanorum scelerum punitio, quod exemplis sacris confirmatur.*
34 *Exemplum aliud Pestis ex prophanis historijs.*
35 *Causarum Pestis efficientium diuisio.*
36 *Causa externa exponuntur.*
37 *Causa interna Pestis statuitur à Medicis excellens omnium humanorum putredo, cui quidam ad asylum ignorantia confugientes venenatam, seu abditam qualitatem addunt.*
38 *Qualitas abdita Pestis efficiens vnde fomitem suscipiat ex Medicorum sententia.*

Nihil



1 Ihil eft, quod magis torqueat Medicorum ingenia, quàm caufas Peftis inueftigare; † agnofcunt fiquidem eas effe ità morbo complicatas, & coniunctas, vt fine illarum remotione inanis fit quælibet artis actio. Verùm in illis eruendis, vndique hæfitant, nec defuerunt ex ijs, qui oleum, & operam perdidere, afferentes tandem peftilentes morbos occultis fuboriri caufis, cuius fententiæ inter alios non mediocris famæ Auctores, *Fernelius* antefignanus fuit *lib. de abditis rerum caufis*, vbi adeò obfcura fenfibufque aliena efse Peftis femina docet, vt nos prorfus effugiant, nec vnquam nifi effectibus, & euentu deprehendi poffint. Alij è contrà tot, vel phyficas, vel morales diræ luis huius confundunt rationes, vt peftilenti cuipiam conftitutioni vaganti, raro, vel nunquam, propriæ, ac determinatæ caufæ affignari poffint. Nos verò Peftis caufas, etfi non fenfu, ratione faltem perceptibiles efse arbitramur: & ne multitudo confufionem pariat, eas omnes ge-
2 nerali methodo in quatuor fumma † genera diuidimus, fcilicet in caufam fubiectiuam, formalem, finalem, & efficientem, quæ tefte *Arift. in phyfic.* eft adæquata omnium caufarum diuifio.

3 Materialis caufa, fiue fubiectum, à Medicis † pars affecta dicitur; hi enim alio procedunt ordine in eruendis morborum caufis, Ariftotelicam diuifionem in quatuor genera non admittentes, vt videre eft apud *Galen. lib. de cauf. morb. cap. 2. lib. 1. Meth. cap. 8. Auicen. 2. 1. de caufis*, aliofque communiter; ideò fubiectum, quod penès Philofophos caufa materialis eft, Medici fub nomine partis, vel loci affecti explicant, morbique fedem vocant; Vt ergò cum Medicis loquamur, fedes peftilentiæ ibi perquirenda
4 eft, vbi vitales † actiones læduntur. In dubium hic reuocari poffet; an pars aliqua noftri corporis determinata fit primarium Peftis fubiectum; an verò potiùs omnes partes ipfam luem indifferenter fufcipiant? Quippè varias peftilentias obferuarunt Auctores, diuerfis partibus corporis potiffimùm infenfas: Pauli Æginetæ tempore peftilens colica fæuiebat, quæ tandem Italiam ferè, aliafque partes deuaftauit, hæc verò in inteftinis, præfertim fedem habuiffe videtur, vt notat *Daniel. Sennert. de febrib. lib. 4. cap. 1. de peft. nat.*; pleuritides etiam, peripneumoniæ, phrænitides, lethargi, alijque peftilentes morbi quibufdam temporibus publicè graffati funt; vnde conftare videtur, non vnicam partem corporis determinatam, fed omnes corporis partes Pefti obnoxias effe. Veruntamen, hifce non obftantibus, morbi huius vnum

eſt, ac determinatum ſubiectum primarium, ſcilicet pars illa
5 noſtri corporis, à qua vita maximè † pendet, quauè læſa, hominis ſummopere vita periclitatur. Ideò in caſibus ſuperiùs adductis illi particulares morbi eatenùs peſtilentes fuere, quatenùs vitalem facultatem primò, & per ſe lædebant; quippè vitalem facultatem hoc veneno maximè fatigari ſatis conſtat ex ſubito virium prolapſu, & celeri, vel inopinato interitu. Quænam verò ſit hæc pars corporis, à qua vita potiſſimùm dependet, rurſùs ambigitur. Quamuis enim veteres Philoſophi, ac Medici vnanimi conſenſu docuerint, cor eſſe primum viuens, & ab ipſo veluti ex fonte vitam emanare, noſtro tamen æuo hanc doctrinam ab antiquis traditam non omnes æquo animo recipiunt; ſed noua Phyſicorum, & præcipuè Anglorum Schola, duce Haruæo, ſan-
6 guinem † eſſe primum viuens affirmat; hinc ſanguificationem, & alia vitæ munia, non à corde, vt cenſuit *Ariſtoteles*, ſed ab ipſomet ſanguine fieri autumat. Quare iuxtà hanc doctrinam, nedum peſtifera lues, ſed & alij plerique morbi in ipſomet ſanguine ſedem habent, prout hic varijs modis à naturali ſtatu declinans vitæ officijs non ritè fungitur. Non eſt huius loci quæſtionem hanc determinare; verùm ſalua etiam Recentiorum ſententia, Peſtis ſubiectum primarium cor eſſe ſtatuimus; in ipſo
7 enim ſinu cordis † reſidet calor innatus, & ſpiritus vitalis, vt antiqui loquuntur, & ſanguis ibidem in flammam vitalem accenditur, vt notat *Renatus des Cartes*, vel fermento quodam rarefactus deflagrat, vt *Cornelius ab Hugelande*, & cum eo *Thomas VVillis*, alijque recentiores aſſerunt. Idcircò Peſtis, quæ vitalem flammam natura ſua obruere ſatagit, ac eam ſæpe ſæpiùs extinguit, morbus cordis meritò dicitur.

Indè vbi per fauces pectus complerat, & ipſum
Morbida vis in cor mæſtum confluxerat ægris:
Omnia tùm verò vitai clauſtra lababant.
Lucret. lib. 6.

Verùm enim verò, & ſi primarium veneficæ luis ſubiectum cor ſit; reliquæ tamen partes, & ipſæ inficiuntur, corpuſque vniuerſum Peſtis ſubiectum ſecundarium eſt; hinc glandulæ veneno turgidæ in bubones eleuantur, cæteræque partes omnes anthracibus corrumpuntur, ſiquidem hos in qualibet corporis parte naſci, continua Medicorum obſeruatione, in omni ferè conſtitutione peſtifera compertum eſt. Quinimmò, dum per contagium Peſtis
8 contrahitur, anthraces erumpere † quandoque ſolent, priuſquam ægri febrire videantur; & *Io: Baptiſta Van-Helmont. thum. peſt. cap.* 9.

cap. 9. ſe vidiſſe teſtatur, qui tangendo peſtiferas chartas eo ipſo dolorem ſenſerit in digito, veluti pungentis acus, moxque peſtilentem anthracem oſtendit, & poſt biduum occubuit. Serpit enim Contagij deleteria vis ab externis corporis partibus ad internas, & quandoque per cutis poros morbi ſemina viam ſibi parant in venas, vt per haſce in cor circulationis ope ferantur.

Ex hoc alia quæſtio inſurgit; an mollia, rarioraque corpora Peſti magis obnoxia ſint, quàm quæ denſam cutem ſortita fuere. Quòd equidem dubium à *Hieronymo Mercuriali cap. de feb. peſt.* fuſiùs examinatur, plerique verò Medicorum cùm *Fernel. de morb. peſtil. lib.* 2. *cap.* 12. æquè ad Peſtem diſponere putant nimiam corporis laxitatem, quemadmodum, & denſitatem, ſeu obſtructionem; quarè nos breuiter ſic reſoluendum arbitramur, quòd mol-
9 lities, † raritaſque cutis magis præparet corpus ad Peſtem, ſi cauſas externas eiuſdem reſpiciamus, quatenùs ſcilicet lues, vel contagione, vel ab aere infecto immediatè producitur, præſertim quando ex victus intemperantia, labore, concubituque nimio imbecillitatem virium corpora contraxerint tantam, vt veneno peſtilenti reſiſtere nequeant. Cæterùm, reſpectu cauſæ internæ, humorum nempè, quibus plerumque corpora abundant, vel ob ingeſtis prauis edulijs continuò ſuggeruntur, corpora denſa morbo magis obnoxia ſunt, & faciliùs putredinem fouere poſſunt. *Galen.* 11. *meth. c.*4. *&* 1. *de diff. feb. c.* 3. *& lib. de inæquali intemp. cap.* 8. *Daniel. Sennert. de febr. lib.* 1. *cap.* 1. *de feb. putr. in gen. & inſtitut. Medic. lib.* 2. *part.* 2. *de cauſ. morb.*, alijque communiter; licèt enim cacochymia, ſeu praui humores indiſcriminatim exundare poſſint, tàm in illis corporibus, quæ rara cute inuoluuntur, quàm in ijs, quæ clauſos poros habent: his tamen prohibetur tranſpiratio, & fuliginoſa excrementa intùs retinentur; at contrà ſi perſpirabiles, & aperti ſunt corporis meatus, recrementa ſanguinis fuliginoſa facilè expelluntur. Vndè infertur, quòd corpora eiuſmodi occluſa, qualia ſunt Ruſticorum, maiori exercitio, & labore indigent, vt fuligines expurgent, ac ſeruentur ſalubria; contrà verò minùs exercitari debent, quæ mollia ſunt, laxa, & rara, ideoque nobiliores homines vitam ſedentariam agentes, & ſtudijs ciuilibus addictos, raram cutem oporteret obtinuiſſe, carneſque molles, vt incolumes diù ſeruentur.

10 Formalis cauſa Peſtis † eſt ipſa peſtilentiæ ſpecies, & natura, quatenùs præciſè conſideratur, ſcilicet ea praua infectio, cuius ratione cordis actio, & vitale robur primariò, & immediatè læditur. Etenim *Galen.* paſſim *in defin. morb. & Auic. fen.* 2. *primi cap.* 1. vniuerſaque

uerſaque

uersaque Medicorum schola generatim docet in eo consistere morbi formam, & naturam, quòd primò, & per se actiones lædat immediatè. Quod si Pestis naturam altiùs indagare velimus, ipsamque referre ad certum morbi genus, haud facilè hoc determinari poterit; siquidem tria sunt, ex veterum Medicorum præceptis, summa genera morborum, intemperies partium similarium, mala compositio instrumentalium, & solutio continui vtrisque communis; ac nullum ex his generibus hanc luem compre-
11 hendere videtur † ex eodem *Galen. 3. epid. com. 3. textu* 20. & alibi. Proteus enim morborum est Pestis, & varias sæpè formas induit, illasque terribiles. Attamen pro summa huius rei disquirendum est, an reduci possit ad intemperiem, vt cum antiquis loquamur, quatenus sub febrium genere comprehendatur. Non de-
12 sunt Auctores id acriter contendentes † præcipuè *Andreas Gall. de pest. fascic. 4. Anton. Port. de Pest. lib. 1. cap. 3. Mercur. & alij fere omnes Græci, Latini, Arabesque Medici*, Pestem ipsam per febrem definientes, ac de ipsa inter febres tractantes sub *tit. de febr. pestilent.* Quinimmò idem Hippocrates antesignanus his assentiri videtur *lib. de flatibus. Sunt autem* (inquit) *febrium genera duo, vt hoc quoque nunc attingam, quorum alterum commune omnibus, Pestis appellatur; alterum propter malam diætam priuatim his contingit, qui ea vtuntur,* & Galenus Pestem enumerat inter febres difficillimas scilicet epyalam, lyppitiam, elodem, syphodem, & causonem 7. *aphorism. com.* 46. Verùm nec desunt contrariam tuentes senten-
13 tiam, & non rarò sine febre Pestem dari testantur, & † citant *Hippocrat. 3. epid., in locis. Galen. ibid. & 9. de medicam. facult. cap. de bol. arm. Barthol. de Peste cap. 1. Rogg. lib. 3. art. med. cap. 30. Cæsalp. cap. 48. & 50. Hucher. de feb. lib. 4. cap 2. Mercat de feb. lib. 7. Lidell schol. de febr. lib. 3. cap. 3. Riuer. lib. 17. cap. 1. de feb. pestil. alijque relati per Septal. de pest. lib. 4. cap. 2. Massar. de pest. lib. 1. fol.* 7. 8. 9. qui ambo id ipsum experientia vidisse testantur. Et febrem non esse de essentia Pestis multis etiam experimentis conuincitur, omnibusque ferè historijs confirmatur. Innumeros enim Peste correptos protinùs perijsse testantur omnes Historici, qui de hac re scripserunt. Sed inter alios *Agathias lib. 9. de Peste*, quæ Iustiniani temporibus Constantinopolim aggressa est: *Interibant autem* (inquit) *repentina morte*. Nostris quoque temporibus in pestilenti constitutione anni 1656. occurrisse homines optimè sanos accepimus, qui absque vllo caloris sensu percepto in compita concidebant, ex *Io: Baptista Bindio Læmographia Centumcellensis lib. 3. pag.* 116.

Ex

Ex his igitur constat non esse febrem Pesti essentialem, si febris nomine intelligatur calida intemperies, vt ab antiquis Medicis definitur. Attamen negari non potest, quòd vt plurimùm hæc febri
14 associari consuescat, † non solum ephimeræ, sed etiam humorali, atque hecticæ; si enim sanguis impurus, & recrementis abundans ad febrem humoralem concipiendam sit paratus, tunc suscepta lues eiusmodi febrem inducit; cum verò pestilens venenum spiritibus vitalibus vndequaque occurrens, ipsos in motum exagitat, donec à sanguinis compage raptim exsoluantur, tunc fit pestilens ephimera; cuius generis fuisse credimus sudorem illum
15 Anglicum, † qui sæculo elapso contigit, Henrici Octaui temporibus, quandò vnius diei cursu plerique interibant, alijque larga sudorum crisi euadebant incolumes, vna tamen die, aut ægritudo, aut æger abierat: *Polidor. Virgil. hist. Anglic. lib. 20. Hieronym. Fracast. de morb. contag. cap. 5.*, qui docet etiam præfatum morbum fuisse pestiferam ephimeram pendentem ex corruptione spirituum, vel floris sanguinis. Quamuis autem clarissimus Medicus *Thomas VVillis* de patrio illo morbo scribat, eius labem primariò in succo nerueo fundatam extitisse, nos credimus primùm vitales spiritus ab analogo miasmate pestilenti fuisse tactos, vt subita prostratio virium, & cætera symptomata ab eodem aucto-
16 re narrata luculentet ostendunt. Hectica verò pestilens, † quandoque fit, si pestifeto veneno erodente, vlcera interna in pulmonibus, aut alio viscere suscitentur, vt contigit in Peste Peloponessi, vbi maximam, & grauissimam fuisse tabem, multaque vlcera praua, cùm interna, tùm externa, multosque tabidos perijsse, narrat expressis verbis *Hippocrat. 3. Epid. sect. 3. & Lucretius* de eadem Peste loquitur his carminibus.

Sudabant etiam fauces intrinsecùs atro
Sanguine, & vlceribus vocis via septa coibat.

Et paulò inferiùs.

Quorum si quis (vt est) vitarat funera lethi
Visceribus tetris, & nigra proluuie alui.
Posteriùs tamen hunc tabes, lethumque manebat.

Quippè eiusmodi vlcera maligna, & pestifera carnes depascuntur, eo prorsus modo, ac putrida ligni caries vltima eiusdem ligni stamina excedere solet. *Galenus etiam 3. de præsag. expuls.* magnam hominum multitudinem hectica febre perijsse narrat, probatque ibidem fuisse pestiferam hecticam.

Potest itaque Pestis sub febrium specie grassari, vt probatum est: non tamen semper cum febre iungitur, vt quandoque saltem

17 sinè hac grassari non possit, † neque obstant Galeni, & Hippocratis allatæ authoritates, quoniam alibi, vt notauimus, ipsi contrarium docent; ibidem verò non strictè, & formaliter febrem esse pestilentiam asserunt, sed lato modo, quatenus scilicet Pestis venenum, febrem, vt plurimùm, habet comitem. Quòd, si Pestis verè febris non est ad intemperiem nullatenus reduci posse vide-
18 tur, neque intemperies, † aut excessus primarum qualitatum est causa formalis pestilentiæ, cùm sinè hoc ipso excessu lues iugulare possit. Quinimmò, & cum sub specie febrilis intemperiei pestilens morbus grassatur, adhuc tamen formalem causam ab ipsa Peste diuersam obtinet, non enim calidæ intemperiei morbus est, sed illius venenati seminis, quo tacita quadam virulentia lethale frigus cordi, potiùs quàm febrilem ardorem sæpè insinuat. Idem pariter dicendum venit de reliquis intemperiebus; cum nec humiditas, nec frigiditas, nec siccitas etiam in excessu tam præcipitem funestumque animalibus excitent interitum, sed chronicis passionibus ea diù vexent.

Rursùs autem dubitari posset, an Pestis causa formalis sub mala compositione, aut conformatione instrumentalium partium contineatur? videtur enim quòd sinus cordis, & arteriæ, vt partes organicæ, seu instrumentales hoc modo afficiantur, cum sanguis ibidem à veneno pestifero tactus coaguletur, & ineptus circulationi reddatur, si credamus *Thomæ VVillis de febribus cap. 12. & alibi*; quin, & bubones, & parotides, nec non anthraces, seu carbunculi, cæteraque huius luis stigmata, videntur referri ad malam partium compositionem, seu conformationem. Verùm
19 hisce non obstantibus, pestiferæ luis natura † hoc vnico genere non comprehenditur; siquidem non semper sanguis in sinu cordis, & vasis coagulatur, nec repetitur coagulatus in cadaueribus, vt quidam modernus Auenionensis asserit, & non semper ineptus redditur circulationi, vt ostendit pulsus, qui à naturali statu parùm, vel minimè recedit, sicut *cap. de sign.* dicetur. Quod verò attinet ad bubones, parotides, anthraces, cæteraque stigmata, hæc sanè accidentia potiùs, seù symptomata sunt, quàm ipse morbus pestilens, & multi Peste laborant, absque eò quòd eiusmodi stigmata præseferant.

Superest modò, vt videamus, an reduci possit hæc perniciosa lues ad continui solutionem? siquidem in illa graui pestilentia tela-
20 ta ab *Hippocrate lib. 3. sect. 3. Epid.*, plerique prauis vlceribus, † & sacro igne afficiebantur, & ob saniem circà cutem maximum sentientes prutitum ad se ipsos scalpendos prouocabantur, vndique

se gla-

ſe glabrantes, alijs cecidere membra, quibuſdam reuulſa crura, alijſque diſſoluti articuli, & alijs oſſa integra femoris, tibiæ, & pedis denudata fuere. Vndè *Lucretius lib. 6.*

tamen in neruos hic morbus, & artus
Ibat, & in partes genitales corporis ipſas,
Et grauiter partim metuentes limina lethi
Viuebant ferro priuati parte virili:
Et manibus ſine nonnulli, pedibuſque manebant
In vita tamen,

Quinimmo Auenionenſis ſupra citatus aſſerit, veneni peſtilentis
21 naturam † eſſe corroſiuam, illudque conſiſtere in corpuſculis arſenicalibus tenuiſſimis, & corroſiuis per aerem diſperſis vi terræmotus, aut alijs de cauſis. Vndè conſtare videtur, quòd pernicioſæ luis natura ad continui ſolutionem, tamquam ad proprium genus con-
22 feratur. Verùm enim verò, neque continui ſolutio peſtem † adæquatè comprehendit, neque obſtant illa vlcera, & aliæ continui ſolutiones, quæ ab Hippocrate, & Lucretio narrantur, quoniam accidentia morbi peſtilentis fuere, non autem eſſentialiter ipſe morbus peſtilens. Quod verò affert Auenionenſis, peſtilens venenum eſſe corroſiuum ex mineralium familia, nondum recipitur, quia non ſemper huiuſmodi corroſio in peſtilentijs fit, & ſuboritur ab
23 alijs cauſis peſtilentiæ, abſque eò quòd è mineris Arſenicum † perpetuò eleuetur; cum penè infiniti ſint halitus, qui è terræ viſceribus erumpentes, vel ex varia in ſuperficie terræ mixtura emanantes, ignem naturæ in corde ſtabulantem illicò labefactare, & extinguere valeant; quinimmo peſtilens venenum in miaſmate vaporoſo, & ſpirituali conſiſtit, arſenicale autem in materia ſatis craſſa fundatur. Cum igitur formalis cauſa Peſtis ad intemperiem ſimilarium partium ſimpliciter non referatur, neque in conformatione mala organicarum abſolutè, nec in vnitatis ſolutione conſiſtat, iterùm fateri compellimur, quòd morbus quilibet, citò plures apprehendens, iſtorumque plurimos occidens, Peſtis indolem præſeferat, vt ſuperiori capite diximus.

Verùm, vt Peſtis ideam pro viribus exprimamus, noſtram proferre liceat ſententiam, partim ex veterum Auctorum præceptis, partim ex iuniorum doctrina deſumptam, quòd ſcilicet peſtilens venenum ſit quoddam miaſma, † ſeu vapor tenuiſſimus, & maximè
24 actiuus ab aere corrupto inſpiratus, aut per contagium ſuſceptus, vel demum à ſanguine corrupto, & putri eleuatus, qui fermentatione quadam corruptiua ſpiritus, & vitalem ignem deſtruit. Enimuerò quicumque de hac re ſcripſerunt, cùm priſci, tùm recentio-

centiores Medici, vnanimi consensu asserunt, pestilentiale virus
fundari in aura quadam, seù vapore tenuissimo, & summæ acti-
uitatis, quem passim vocant miasma, & semen pestiferum. Nos
25 autem credimus hoc miasma † vitalem ignem destruere fermen-
tatione quadam corruptiua, quatenùs scilicet in cordis, & visce-
rum penetralia sese insinuans, quaquà versùs expanditur, perme-
atque ad modum fermenti, sanguinis compagem soluendo, & im-
mutando, spiritusque vitales profligando. Et sanè mira huius ve-
neni vis non ineptè exprimitur exemplo fermenti; nam sicuti vi-
demus in constitutione aeris austrina liquores potulentos, & vi-
na præsertim fermentari, ac sæpè corrumpi, ità in constitutione
pestifera, sanguis, & latex vitalis, non absimili modo, ac vinum
ab aere corrupto fermentatur, & corrumpitur. Hinc meritò apud
recentiores Physicos hoc fermentationis vocabulum adeò com-
mune est, vt passim vsurpetur pro omni rerum transmutatione ex-
plicanda, teste *Io: Baptista Vanhelm. tum. pest. cap. 13. propè finem*,
Thomas VVill. de ferment in princip. & per tot.
26 Huiusmodi verò semina pestifera, † & fermenta; vel extrin-
secùs adueniunt ab aere corrupto, putridisque terræ spiritibus, vt
capite sequenti dicemus, vel intrinsecùs fiunt ab insigni quadam
sanguinis corruptione, siuè putredine conclusa, & profunda, vt
loquitur *Hieronym. Fracast. de morb. contagios. per tot.* Ex tali enim
putredine conclusa, tandem erumpit spiritus effrænis, & indo-
mitus, qui celerrimè vitalem ignem destruit. Sic Medici experiun-
27 tur in sanguine extrauasato, † putri, & grumoso spiritum mali-
gnum, & venenatum incredibilis efficaciæ suscitari *Dan. Sennert.
pract. lib 6. part. 2. cap. 3. propè finem*, *Helmont. tumul. pest. cap. 9.*
qui etiam inter constitutiua Pestis enumerat spiritum quendam
syluestrem veneno tinctum, vel fracidum gas terræ, idest spiritum
28 syluestrem, † & indomitum extrinsecùs aduenientem: atque hæc
breuiter dicta sufficiant circa morbi huius naturam.

Pestis causam materialem, & formalem sequuntur finalis, & effi-
29 ciens. Illa soli Deo nota † est, qui hæc omnia inferiora moderatur,
& quamuis in rebus Naturæ contrarijs, vt Pestis est, finis lauda-
bilis non appareat, nec finalis causa, quæ moueat in bonum natu-
ræ, influere posse videatur in miserrimam tot Vrbium, & populo-
rum cladem, & animalium perditionem, & propterea Pestis per
accidens fiat respectu causarum secundarum; non ideò tamen eo
30 casu fit, quem Epicurus, † atque impij veteres in omnibus Mun-
di motibus adstruunt, quos inter *Lucret. de Pestis seminarijs loquens
cecinit lib. 6,*

Ea

Ea cum caſu ſunt fortè coorta
Et perturbarunt Cœlum, ſit morbidus aer.

Ex fortuito namque atomorum coalitu, cum ſubortus non fuerit vniuerſus hic rerum ordo, vt ijdem falsò crediderant, ſed tàm in eſse quàm in operari à prima, quæ illū creauit, cauſa omninò dependeat, quicquam temerè caſuuè fieri reſpectu Dei nunquā contingit: quin ab infinita eiuſdem primi Motoris ſapientia præuiſum ab æterno,
31 & in abditos fines directum fuerit. Si tamen caſus nomine † rectè intelligatur fortuitus, & accidentalis multarum cauſarum concurſus, ex quarum operationibus alium finem habentibus, aliquid præter illarum intentionem ſequatur, vt dum lapide aliquo deſuper cadente, Petrus tranſiens vulneratur ab eo, & vulnus illud caſuale dicitur, cum nec Petrus cadenti lapidi caput offerre optarit, vel præuiderit, nec lapis Petrum offendere, ſed centrum petere natura ſua intenderit; hoc profectò, & de præfatis morbis, ac de multis alijs effectibus aſſerimus; ſed tamen quæcumque caſu fieri hoc pacto dicuntur, poſita hac rerum ſerie, Deus ab æterno præuidit infallibiliter conſequutura; interim illa efficaciſſimè voluit, voluntate intendente, vel ſaltem permittente, vt per occultas nobis vias, ad ſuos quæque fines dirigeret. Cum itaque lues in cor-
32 ruptione conſiſtat, corruptio † autem à natura per ſe non intendatur, caſu equidem fit ipſa Peſtis, quatenùs ex varijs naturalibus cauſis, tùm ſublunaribus, tùm cœleſtibus ſuum ſemper naturalem, optimumque finem habentibus, ſuboritur corruptio præter illarum intentionem, quando ſic fortè combinatæ fuerint. Verùm poſito hoc rerum ordine putredines, & corruptiones quandoque futuras Deus ab æterno præuiderat.

Quoniam verò, vt loquitur D. Auguſtinus: *Melius iudicauit Deus de malis bene facere, quàm mala nulla eſſe permittere*, hinc eſt quòd peſtilentes conſtitutiones propter optimos fines nobis ignotos permiſit; Quod ſi cauſam Peſtis finalem moraliter loquendo con-
33 ſiderare velimus, hæc facilè eruitur. Quandoquidem † ad mortalium punienda ſcelera plerumque lues diuinitùs immittitur, & peſtilentiæ omnes infidelibus, & improbis ſunt pœna, fidelibus autèm pietatis probatio, *Niceph. Caliſt. lib. 6. cap. 20. hiſt. Eccleſiaſt.* idque in Sacris literis regiſtratum eſt; Deus enim *Leuit. cap. 6.* minatur Peſtem hiſce verbis: *Percutiam vos ſepties ob peccata veſtra, inducamque ſuper vos gladium vltorem fœderis mei, cumque confugeritis in vrbes mittam peſtilentiam in medio veſtri.* Hinc anno poſt diluuium 827. Pharaonis Gentem afflixit Peſtis illa diuinitùs emiſſa

Exod. cap. 9. factaque sunt vlcera vesicarum turgentium in hominibus, moxque sequuta primogenitorum Pestis sæuissima; & ex hoc sanè miraculum ostensum fuit, quòd primogenitos tantùm lues illa orco dederat, vt habetur *cap.* 12. *percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti à primogenito Pharaonis, qui in solio eius sedebat, vsque ad primogenitum captiua, quæ erat in carcere, & omne primogenitum iumentorum; neque erat domus, in qua non erat mortuus*. Hinc, & Samuelis tempore Philisthæos Izotios vexauit à Deo missa lues *Reg.* 1. *cap.* 5. Hinc, & Dauid 2. *Reg. cap.* 24. Pestem elegit inter maxima flagella Dei; vidit autem Angelum Domini, euaginatum gladium vibrantem contra Hierusalem; & eo quidem flagello septuaginta millia hominum perierunt *ex Sacro textu loc. cit.* Alia insuper exempla sunt in annalibus registrata. Idque etiam narrant profani historici, & satis, superque comprobare videtur Agathiæ auctoritas *lib.* 2. *histor.* vbi narrat, eo tempore, quo Gothi, & Alemani extrema barbarie Italiam inuaserunt; maximam in exercitu Leutharij Ducis Pestem grassatam, cum ille ab agro Piceno ad Venetorum loca iam peruenisset. Cuius quidem Auctoris verba referre libet, quia Pestem illam non solùm enarrar, sed etiam diuino iussu emissam fuisse per-
34 bellè ostendit. † *Iniustitia namque*, ait, *& rebus sacris humanisque legibus illata iniuria, exitij causa his, vt equidem reor, fuere, cui rei, vel Princeps ipse argumento sat fuit, quem ex Deo ingesta supplicia diuexabant; quippè qui demens iam factus in apertam est rabiem versus, vt amentes solent, & furibundi. Vertigo præterea crebrior quædam eum excepit, eiulatusque edebat horribiles, cernuusque nonnumquam, vel vtrumque in latus se proruendo, illisus solo volutabatur, abundantique spuma ob ipsum proluebatur, tamen oculi horribiles visu, inuersique erant, & eò iam miser vesania venerat, vt vel propria membra desæuiendò gustaret; brachijs siquidem vbi iam mordicùs inhæsisset dentibus, carne dilacerata, in feræ bestiæ morem his vescebatur, defluentemque lingebat cruorem; sic demum suo exsatiatus, & paulatim deperditus miserrimè ex humanis excessit, cæteri verò passim moriebantur, nil penitùs remittente malo, quousque tandem vniuersi interiere*. Hucusque citatus Historicus. Neque aliæ desunt historiæ memorabiles apud Auctores præsertim apud *Euseb. histor. Ecclesiast. lib.* 9. *cap* 8. & *Acmon. lib.* 5. *de gest. Franc. cap.* 16. Sed non est opus, vt alijs exemplis comprobemus hanc veritatem, Ethnicis etiam Poetis, & Philosophis non ignotam; siquidem Homerus cecinit, ob filiam Chry-

sis

sis stupcatam, læsum Apollinis numen telo pestifero in Græcos sæuijsse. *Ouid. in Metamorphos.* alia huiusmodi affert exempla. *Plato in Phædone* Pestis causam dijs attribuit, idque confirmant historijs *Plutarchus in vita Romuli, Titus Liuius histor. 11. & 45. Plinius lib. 7. cap. 28.* Quos refert quidam modernus de Peste. Hippocrates diuinum quid in morbis agnouit, & à Dijs curationem auspicabatur, & *Auenzoar 3. Theyzir* ait, pestem procedere ab illo, qui est summæ, & vltimæ scientiæ: ex quibus omnibus constat hanc veritatem nemini vnquam fuisse dubiam.

35 Causa verò efficiens † diuidi solet à Medicis in externam, quam vocant procatharticam, & internam siuè coniunctam.

36 Externæ † huius mali causæ tribuuntur vitiato aeri ex putridis vaporibus, & deleterijs inquinamentis, alijsque etiam rebus, quas Medici, non naturales vocant. Res autem non naturales apud illos sunt sex, Aer scilicet ambiens, Cibus, & potus, Somnus, & vigilia, Motus, & quies, Excreta, & retenta, & Animi passiones. Tribuuntur quoque Pestis causæ Dæmonum præstigijs, aut arti Diabolicæ impijs aliquibus communicatæ. Ab Arabibus, & Astrologis causæ superiores assignantur, Astra nimirum, quæ in hunc sublunarem orbem veneficos emittunt influxus sub certis aspectibus, & figuris, quorum opinionem inferiùs examinabimus.

37 Ad internas verò causas † Medici referri volunt insignem, & excellentem putredinem, non quidem vnius, aut alterius humoris, vt aiunt, sed omnium, qui simul confunduntur, conturbantur, & computrescunt. Alij autem ex Medicis contendunt hisce humoribus inesse latentem quandam qualitatem, quam Galenus, cæterique huius sectatores inesse scripserunt venenis, & medicamentis deleterijs, alijsque rebus, quæ præter manifestas Elementorum qualitates operantur. Sed profectò Medici omnes, vel Philosophi, qui occultas qualitates adstruunt, paruo negotio ab hac re se se expediunt, vt *Fracastorius* optimè notat *lib. 1. de contag. cap. 6. in princip.* profitentur enim se causas internas huius morbi, modumque operandi nescire, ac proindè meritò ad asylum


38 ignorantiæ dicuntur confugere. Humores † autem illos abdita qualitate infectos fomitem suscipere aiunt à praua victus ratione, & ab aere, quo inspirato vtimur; si enim hic vitiatus existat inspiratione attractus, humores, aut particulas etiam salubres corporis potest corrumpere. Præterea causam Pestis internam concitari volunt à nimijs curis, tristitia præsertim, & timore, quæ si animum perturbant nimis humores exagitant, ac saluti magis no-

nocent, quàm cætera accidentia, vt fusè inferiùs dicemus. Inſuper prauos humores generari docent, nec non ad putredinem diſponi, quando debita non fit concoctio alimenti, hac enim viciata, ſenſim acquirunt corpora peſſimum habitum, quem Medici cachexiam vocant, & non ſolùm ad Peſtem, ſed etiam ad plures alios morbos diſponuntur. Hactenus cauſæ omnes peſtilentiæ generatim recenſitæ ſunt; ſupereſt modò, vt de ſingulis agamus.





CAP.



CAP. CCXLIX.

ARGVMENTVM.

Agitur de Aere, vt eſt cauſa Peſtis, & quatenùs ipſius infectio Politicis remedijs auerti, vel corrigi poteſt: Breuis anatomes aeris præmittitur, & oſtenditur quot modis hic vitiari poſsit; Ventorum vis in Peſte producenda expenditur; Peſtiferæ tempeſtates recenſentur; Aerem ab infectis locis, putridiſque rebus inquinari, à terræmotibus, & ſpiritibus terræ corruptis infici conuincitur; Quæ ſint Aeris inquinamenta, rationibus, ac experimentis explicatur.

SVMMARIVM.

1 *Aer eſt cauſa Peſtis potiſsima.*
2 *Cauſas aerem corrumpentes cognoſcere publicæ ſalutis intereſt.*
3 *Aeris nomine intelligitur non ſimplex ſubſtantia, ſed compoſita.*
4 *Aeris ineſt vitalis ſubſtantia, & explicatur ſecundum placita omnium Philoſophorum.*
5 *Vita animalium duplici pabulo indiget, alimentoſo, & aereo.*
6 *Aeris inſpirandi ſumma neceſsitas.*
7 *Aer corrumpi dicitur ſecundùm impuros halitus.*
8 *Aer triplici ratione vitiatur.*
9 *Ventorum defectu corrumpitur aer ex Hippocratis hiſtoria epidemica.*
10 *Nebulis aer ſuffocatur, & quomodo?*
11 *Valles, & impluuia, Cœli ſunt inſalubrioris, & quare?*
12 *Muſcus vegetat in impluuijs, ventorum, & Solis defectu.*
13 *Regiones ſalubres ſunt, in quibus Aer ventis ſalubribus difflatur.*
14 *Venti ſalubres, & inſalubres recenſentur.*
15 *Venti ſuſpecti ſunt, qui ab infectis Regionibus efflant.*
16 *Ventis ab Æthiopia in Græciam Peſtis aduecta.*

17 *Austri diuturni facillimè Pestem de loco ad locum transferunt.*
18 *Cardani opinio de motu Pestis ab Oriente in Occidentem refellitur.*
19 *Loca incolenda, vbi venti ab infecta regione non perflant.*
20 *Aer vitiatur ab euersis anni tempestatibus.*
21 *Intemperies calida, & humida pestifera existimatur.*
22 *Austri, & Africi corpora laxant, humores fundunt, sensusque hebetant.*
23 *Austri diuturni epidemicos, & malignos morbos inducunt*
24 *Austri Pestem Atticam excitarunt.*
25 *Austris producta est lues anno* 1528.
26 *Austrina constitutio causa fuit Pestis Anni* 1576.
27 *Pluuiosus annus pestilens est* ex Aristotele.
28 *Pluuijs excitata lues Italiam afflixit Anno* 611.
29 *Pluuijs orta lues in Italia Anno* 1276.
30 *Pluuiosa, ac pestilens constitutio Italiam vexauit Anno* 1316.
31 *Pluuiæ cum excrescentijs Fluminum Pestem Siculam attulerunt Anno* 1550.
32 *Fluminis Arni, & Canalium Venetorum alluuiones apud nonnullos causæ fuerunt Florentinæ, ac Venetæ Pestis Anno* 1630.
33 *Fluminis Tiberini plures inundationes varias Pestes concitarunt.*
34 *Frigus extremum pestilentes morbos facit: exemplum* ex Liuio *adducitur.*
35 *Siccitas modum excedens mala est.*
36 *Siccitas diuturna quomodo morbos generet pestilentes?*
37 *Siccitate orta Pestis Romæ* ex Liuio.
38 *Siccitas maxima Pestem induxit Anno Christi* 563.
39 *Calore, & siccitate nata Pestis anno* 1155.
40 *Siccitas vna ex causis elapsæ Pestis fuit.*
41 *Aer vitiatur à spiritibus terræ corruptis.*
42 *Aer labem concipit à locis quibuscumque fœtidis.*
43 *Fœtidis rebus ne conspurcentur itinera.*
44 *Stagna, paludes, & cænosæ aquæ necessariò aerem inficiunt, vbi calor viget.*
45 *Aquæ corruptæ multas concitarunt pestilentias.*
46 *Portus Noresius Constantinopolis repurgatus aerem pestilenti labe corrupit.*
47 *Paludes in agro Nolano putrescentes aerem pestiferum reddiderũt.*
48 *Pluuijs virulentis in Ægypto Pestis exorta.*
49 *Fluminum excrescentiæ luem afferunt, quatenùs corruptos spiritus terræ suscitant.*
50 *Cloacæ, & fœtores angiportuum aerem inquinant.*

51 *Ca-*

51 *Cadauera inquinata Pestem pariunt.*
52 *Locustæ mortuæ Africam infecerunt.*
53 *Locustarum agminibus mortuis Iudæa Pestem sensit.*
54 *Locustas Austri afferunt.*
55 *Cadaueribus Equorum, qui fame perierant, corruptus fuit aer in Græcia Pompei tempore.*
56 *Cadauera inhumata aerem contaminarunt.*
57 *Cadauera in Ticinum proiecta Papiæ pestilentiam produxerunt.*
58 *Locustarum agmina ante elapsam Pestem visa fuerunt.*
59 *Terræmotus est causa Pestis, & quare?*
60 *Terræmotu orta Pestis in Vrbe anno V.C. 320. quæ coincidit cum Peste Attica.*
61 *Terræmotus culpa sæuijt Pestis Orchemeni.*
62 *Terræmotus magnos Pestis sequuta est in Vrbe Anno Christi 15.*
63 *Terræmotibus plures euersæ Ciuitates in Asia, & Pestis suborta.*
64 *Terræmotu Pestis surrexit, qua perterrito populo apparuit trisagium cantans anno Christi 432.*
65 *Scabies epidemica, & maligna.*
66 *Terræmotus memorabiles anno Christi 618. Pestem induxerunt.*
67 *Terræmotus vniuersalis qui Romæ Tholum in Templo D. Petri excussit, Pestem suscitauit anno Christi 801.*
68 *Terræmotibus variæ Pestes ortæ.*
69 *Terræmotu Pestis immanis suscitata in Italia anno 1448.*
70 *Arca antiqua à militibus aperta Pestem memorabilem excitauit.*
71 *Terræ foramen angustum de repente apertum pestilentiam emisit.*
72 *Fames, & Pestis fiunt quandoque à succo terræ alimentario corrupto, & quomodo?*
73 *Caritas est Pestis vegetabilium, breui animalium genus aggressura.*
74 *Terræ succum nutrititium quandoque corrumpi ostendunt rusticæ obseruationes.*
75 *Lolium praua qualitate panem imbuit.*
76 *Terræ succus nutrititius corruptus abire potest in auras pestiferas.*
77 *Triticum corruptum in Peste Belgica anni 1550. obseruatum.*
78 *Causæ omnes Pestis externæ, vel disponunt humana corpora ad corruptiones, vel aerem fracido quodam fermento imbuunt.*

79 Fer-

79 *Fermentum pestilens dilucidatur exemplis.*
80 *Aer spiritibus indomitis mixtus, vim fermentatiuam, & malignam acquirit.*
81 *Semina Pestis quomodò vitalem ignem destruant.*
82 *Terra alios emittere potest mortiferos halitus, præter arsenicales, & eiusmodi minerales.*
83 *Arca propè Babyloniam aperta, spiritum venenatum emisit diuersum ab arsenicali, vel alio huiusmodi minerali.*
84 *Odoratu Pestis quandoque detecta,*
85 *Fœtor ex aqua, & sapone exitialis in Peste Nouiomagensi.*
86 *Odoratu à brutis percipitur Pestis.*
87 *Aer pestilens detegitur varijs experimentis, & hæc afferuntur.*

1 
Otissima præ cæteris causa Pestis est † Aer ambiens, qui, prout ab omnibus communiter inspiratur, ità illius vitio morbi communes plerumque exoriri solent. Sic Hippocrates asserit aerem communissimam esse causam morborum omnium popularium, & valdè communium. Sic & Medici omnes aerem corruptum necessariò Pestem producere vnanimi consensu tradunt; idque Moyses etiam Dei interpres reuelauit *Deuteronom. cap.* 28. inquiens: *Percutiat te Dominus egestate, febri, & frigore, ardore, & æstu, & aere corrupto*. Huius verò loci est de omnibus, & sin-
2 gulis † causis aerem corrumpentibus agere, nam, vt inquit *Prauidell. de peste sub tit. de cæter. ad salubrit. ciuit. pertin. cap.* 22., si hæ cognoscantur, possunt esse omnibus vsui, & emolumento. Quinimmò ex ipsarum cognitione possunt elici salubria remedia politica ad aeris infectionem, vel opportunè auertendam, vel saltem corrigendam, quæ quidem remedia altero capite exponemus. Vt igitur de omnibus, & singulis aeris vitijs ex ordine agamus, quædam notatu digna circa anatomen ipsius aeris prælibare necesse est;
3 quippe non intelligimus hìc pro † aere simplicem, & elementarem substantiam, vt quidam Peripatetici sentiunt, sed magis ad rem nostram de aere loquimur, prout continet substantias, atque corpuscula diuersæ indolis, & naturæ. Qua ratione *Hippocr. lib. de flatibus* docuit mortales ab aere cùm vitam, tùm ægritudines haurire, & cum eodem *Lucret. lib.* 6.

primum multarum semina rerum
Esse supra docui, quæ sint vitalia nobis
Et contrà, quæ sint morbo mortique neceße est
Multa volare.

Pri-

4 Primò enim conſideratur † in aere ſubſtantia quædam vitalis & magis actiua, quæ cunctis Animalibus vitam inſtaurat, eaque varijs nominibus apud Auctores inſigniri ſolet. Siquidem ex veteribus ipſemet *Ariſtot. 3. de generat. animal. cap. 11.* eam vocat calorem animalem, vbi expreſsè ait calorem animalem in vniuerſo eſſe; ita vt quodammodo videantur plena anima omnia: alij verò cum Platonicis ipſam appellant animam Mundi, & vitam *Themiſt. 1. de anim. cap. 24. apud Sennert. hipomn. 5. cap. 1.* Chimici etiam de hac ſubſtantia vitali videntur loqui, cum tabulam ſmaragdinam Hermetis interpretantur, in qua *Hermes Triſmegiſtus* hæc habet de ſpiritu vniuerſi: *Pater eius eſt Sol, Mater eius eſt Luna, portauit illud ventus in ventre ſuo, nutrix eius eſt terra: Pater omnis Theleſmi totius Mundi eſt hic, virtus eius integra eſt ſi verſa fuerit in terram.* Iuniores tandem Philoſophi, & præſertim Angli huius vitalis auræ exiſtentiam, & naturam varijs ratiocinijs, & experimentis comprobant, aſſerentes àerem nitroſis particulis volatilibus, ceù ſpiritu quodam nitroſo volatili refertum eſſe, qui reſpiratione attractus vitalem flammam conſeruat. Quippe Animalium
5 vita eodem † prorſus modo, ac ignis flamma, duplici pabulo indigere aſſerunt, vno ſcilicet oleaginoſo, ſulphureo, & pingui, quod apponitur per alimenta intus ingeſta; altero autem nitroſo, quod ab aeris euentilatione per reſpirationem ſubminiſtratur. Sicut enim flamma ignis non poteſt ſubſiſtere quin ab aere pabulum iſtud volatile exhauriat, vt varijs experimentis comprobatum eſt, ità vitalis flamma, eadem prorsùs ratione perit, niſi hoc eodem pabulo ſuſtenretur. Vnde *Hippocr. lib. de flatib. cit.* tantam eſſe
6 inquit pabuli huius † aerei neceſſitatem, vt ſi quidem alijs omnibus, & cibis, & potionibus abſtineat homo, per duos tamen, vel plures dies póſſit vitam perducere, at ſi quis in corpus viam intercipiat ſpiritus, vel breui vnius diei parte intereat.

Secundò conſideratur in aere, præter vitalem ſubſtantiam, congeries quædam corpuſculorum diuerſæ indolis, quatenùs ſcilicet Ver ipſe repletur effluuijs vaporum, & exhalationum omnis gene-
7 ris, quæ à terraqueo globo perpetim emanant, & † hoc modo conſideratus aer corrumpi, & contaminari dicitur, morboſque epidemicos, & peſtilentes producere, *ex Hippocr. loc. cit.* vbi inquit. Cum igitur aer eiuſmodi inquinamentis plenus eſt, quibus humana natura offenditur, homines ægrotant. Et *Auic. fen. 1. 4 tract. 4. cap. de febr. peſtil.* idem confirmaſſe videtur inquiens: *Aerem non putreſcere vllo modo propter ſuam ſimplicitatem, ſed propter illud, quod admiſcetur ei de vaporibus malis.* Quamobrem illæ

regiones, vnde, vel plura quàm par sit, vel praua eleuantur corpuscula, insalubriores constituuntur.

8 Triplici autem ratione † aer vitiari, nobisque noxius fieri consueuit, vt notat *Lazar. Riuer. de febr. sect. 3. cap. 1.* Si nimirum salubribus ventis non difletur; si præpostera tempestatum constitutione ità homines afficiat, vt indè prauæ, ac malignæ humorum putredines generentur; tandem si à solo vitiato, vel à putridis locis corruptos halitus suscipiat.

Primum aeris vitium efficacissimè morbos epidemicos, & pesti-
9 lentes affert; etenim aer † non euentilatus veluti aqua stagnans corrumpitur, & malignus fit: cuius rei exemplum habemus ex *Hippocr. lib. 3. Epidem. sect. 3.*, qui pestiferam constitutionem describens inquit, *ventos perpetuò quieuisse; sic aerem in atrijs immotum defectu venti valdè noxium experimur in Vrbe*. Citiùs tamen corrumpitur aer, si salubres venti sileant, dum aut nebulosum, aut quomodocumque turbatum perseuerat Cœlum, vt idem *Cous docet loc. cit.* hinc rectè *Ouid. Metam. 7.* de pestilenti aere cecinit.

Principio Cœlum spissa caligine terras
Pressit, & ignauos inclusit nubibus æstus.

10 Huiusmodi enim tempestatibus aer suffocatur à † nebulis, & pinguibus illis vaporibus, qui nequeunt ità facilè ad supremas aeris regiones ascendere, sed in atmosphæra, ceù in aeris fundo subsident, neque hi dissipantur, ni ventis aer ipse diffletur. Qua de causa impluuia, & angustiora loca, quæ ventis non sunt per-
11 uia, vel † etiam Valles, Cœli sunt insalubrioris, quia nimirum vapores eleuantur, vel etiam illuc decedunt aliundè eleuati, qui cum naturæ sint humidioris, nec vento difflentur, putredinem concipiunt. Quod si saltem ingrederetur Sol, attenuarentur ea corpuscula, & sursum eleuarentur magis, neque aerem inclusum corrumperent; ideò Solis, & ventorum salubrium de-
12 fectu in ipsis impluuijs † muscus enascitur, cæteræque huiusmodi putrefactionis signa. Contrà verò salubriores illæ regiones
13 existimantur, † in quibus idem aer non permanet, sed ventis salubribus difflatur, & hùc illùc dimouetur. Ventorum itaque salubrium defectus aeri maximum detrimentum est. Et quemadmodum aquæ sine perenni motu immundæ, limosæ, vno verbo stagnantes fiunt, sic aer, nisi benignis ventorum flatibus agitetur,
14 corruptioni sæpè obnoxius fit. Salubriores † autem venti, vt plurimùm sunt æstate Fauonij, & vt *Cornel. Cels. docet lib. de re med. cap. 1. salubriores Septentrionales, quàm subsolani, vel austrini sunt; nam ferè ventus vbiquè à Mediterraneis regionibus veniens salubris,*

à Ma-

à Mari grauis eſt. Cæteri venti quò his, aut illis propinquiores ſunt, eò magis ſalubres, vel inſalubres exiſtimantur.

15 Quòd ſi ventus † ab inquinata, & Peſte infecta regione ſpiret tantùm abeſt, vt aer ab ipſo benignè diffletur, quin vel maximam labem concipiat; poſſunt enim ſemina morbi ventorum ope ab vna in aliam Vrbem, ſeù regionem transferri, & Peſtis illa immanis, quæ ſecundo Peloponneſiaci belli anno vexauit Athe-
16 nas, ex Æthiopia, vbi primùm ſæuijt aduecta † ventis fuit *ex Galen. 1. de different. febr. 4. & Lucret. lib. 6. de rer. nat.*

Nam penitus veniens Ægypti è finibus orcus
Aera permenſus multùm campoſque natantes
Incubuit tandem populo Pandionis: omnes
Inde cateruatim morbo, mortique dabantur.

17 Enimuerò Auſtrales venti † diuturni, quales ab Æthiopia ſpirarunt, mirabiliter aeris inquinamenta hùc illùc transferunt; ideòq; *Carda-*
18 *no* † non eſt concedendum, quod *lib. de var. 17. c. 78.* ſcripſit Peſtem, quaſi motu diurno ab Oriente in Occidentem ferri; nam, ſi allatæ hiſtoriæ fides eſt, non ab Ortu ad Occaſum tranſuectam fuiſse aeris corruptelam patet. Sed opinionis huius cauſa fuit *Cardano* alia eiuſdem hipotheſis *lib. 1. de variet. cap. 8.* vehementia ſcilicet motus Cœli aerem ipſum moueri ab Oriente ad Occidentem. Hanc tamen ſententiam reijcit *Scaliger. exercit. 10.* Et aerem vagè moueri pro varietate ventorum experimur quotidiè. Vndè Peſtis
19 tempore Ficinus optimè aduertit ad illa confugiendum † eſſe loca, quò ex iam infecto loco venti non perflant.

20 Secundum † aeris vitium emergit ab anni temporibus mutatis vel inordinatis ex *Hippocr. 5. aphoriſm. Dan. Sennert. Inſtit. Med. lib. 2. part. 2. cap. 2.*; ſiquidem euerſæ tempeſtates ſuis qualitatibus extraneis ſuprà ſtatum naturalem auctis diſponunt aerem, vt malignas putredines in corporibus moliatur *ex Galen. 3. de temper. cap. 4.*, vbi de calida, & humida conſtitutione loquens, inquit: *cum aeris natura ad caliditatem, & humiditatem immodicè conuerſa fuerit neceſſariò peſtiferos morbos oriri*. Et ſanè inter alias
21 intemperies maximè † peſtifera cenſetur calida, & humida, ſiuè Auſtrina conſtitutio per anni tempeſtates diù perſeuerans. Auſtri
22 enim, † eique laterales Euronotus, & Libici, ſeu omnes hi, quos Africos à regione dicunt, torridas regiones, & Maria interiecta pertranſeunt, proptereà graues, & peſſimos halitus ab illis locis afferunt, corpora laxant, humores fundunt, ſenſuſque hebetant ex *Hippocr. 3. aphoriſm. 5.* Et ſi diuturni ſint, facilè epidemicos, & malignos morbos producunt. Hinc ſubdit *Ouid. loc. cit.*

Dum-

Dumque quater plenis expleuit cornibus orbem
Luna, quater plenum tenuata retexuit orbem,
Lethiferis calidi spirarunt æstibus austri.

Variasque legimus ab hoc excessu caloris, & humiditatis, siuè ab Austrina constitutione Pestes subortas, & in primis constat Pe-
24 stem Peloponnesi, cuius paulò ante meminimus, ab Austris † diù efflantibus inductam fuisse; quamuis autem Lucretius, & alij asserant australes ventos ab Æthiopia in Græciam semina Pestis transtulisse, adhuc tamen credibile videtur, quod eiusmodi venti suapte natura noxij aeris intemperiem pestilentem induxerint, cùm præsertim *Hippocrates* illum annum appellet Austrinum pluuio-
25 sum 3. *epidem. sect.* 3. Ex hac etiam constitutione † Austrina, & caliginosa dira lues orta est anno Christi 1528. Pontifice Clemente VII. Imperante Carolo V. *Io: Manard. de pest. Nicol. Florentin. de pest. cap.* 1. *Gratiol. catal. de pest.*; tantaque fuit aeris intemperies, vt arborum germina, olearum præsertim quamplurima aruerint *Fracastor. de morb. contag. lib.* 2. *cap.* 7. Et anno 1575. ean-
26 dem † ob causam incæpit Tridentina Pestis, lentoque gradu serpens, Veronam, Mantuam, ac Mediolanum aggressa est: vbi anno 1576. Diui Caroli Borromæi tempore grassabatur sæuissimè, vt narrat *Ascanius Centorius lib.* 1. *pag.* 7. *de pest.* qui Austrinam constitutionem præcipuam causam eius luis recenset.

Ex pluuiosis etiam constitutionibus, & ab excrescentijs fluminum varias tradunt historici pestilentias exortas; vnde meritò *Aristot. de pest. sect.* 1. *problem.* 21. pestiferum vocauit annum
27 valde † pluuiosum. Sic anno à Christo nato 611. ob immensas, &
28 diuturnas pluuias † maximum contigit diluuium, ac Pestis Italiam afflixit *Platin. in vit. Bonif. IV.* & anno 1276. sub fine Ponti-
29 ficatus Adriani V., & Imperij Rodulphi ex ingentibus † pluuijs orta fuit in Italia Pestis præsertim in regionibus Brixiæ. *He-*
30 *lias Cauriol. hist. Brix.* Eadem pluuiosa, † ac pestilens constitutio varias partes Italiæ pressit anno 1316. tempore Ioannis XXI. & Federici III. *Gratiol. catal. de pest. & Helian. Caur. histor. Brix.* Pari-
31 ter ex † pluuia ferè incessante cum excrescentia fluminum orta est Pestis in Sicilia anno 1588., quam refert *Ingrass. de pest. part.* 1. *cons.* 5. Quinimmo non desunt, qui putent Venetiarum, & Florentiæ Pestem anni 1630. & 31. ob maximam pluuiarum copiã, &
32 canalium, Arnique † fluminis alluuiones euenisse: eaque Venetijs,
33 nec Duci, nec Patriarchæ pepercit. Plures etiam † Tyberis alluuiones Pestem in Vrbe concitarunt annis 564. 608. 865. 900. 1231. 1428. 1444. & 1500. *Summ. Cronol. in vit. Bonif. IV. Tarcagnot. lib.* 14.

lib. 14. *Placent. de peſt. cap.* 11. *Gratiol. catal. de peſt.* Quæ tamen alluuiones non ſola humiditate, ſed alia ratione peſtem inducunt, vt inferiùs explicabimus.

34 Frigus etiam † extremum vniuerſales morbos, & quandoque peſtilentes facit ex *Hippoc.* 1. *epid. ſect.* 2. & *Lazar. Riuer. prax. med. loc. cit.* vbi exemplum ex *Liuio* refert *lib.* 5. *dec.* 1. hiſce verbis: *Inſignis annus hyeme gelida, & niuoſa fuit, adeo vt via clauſa, Tyberis innauigabilis fuerit. Triſtem hyemem ſiuè ex intemperie Cæli raptim mutatione in contrariam facta, ſiuè alia de cauſa, grauis, peſtilenſque omnibus animalibus æſtus excepit.* Sic enim diſpoſitus aer vehementi gelu poros cutis obſtruit, prohibetque tranſpirationem; qua prohibita, multi fiunt morbi, & quandoque etiam peſtilentes, vbi cæteræ adſint diſpoſitiones.

35 Sicca verò † conſtitutio, licèt humidiori ſalubrior dicatur; ſi tamen modum exceſſerit, mala eſt ex *Hippocr.* 3. *aphoriſm. ſententia* 1. 5. 7. *ac ſequentibus*. Et ſi valdè inordinata, vel diuturna ſit, eare-
36 nus peſtilentes morbos producere dicitur, quatenùs † terram ſquallidam reddit, vt facilè ab ipſius latebris, & ſuperficie, venenata exeant miaſmata, de quibus paulò poſt agemus. Inſuper huiuſmodi ſquallidæ conſtitutiones torridos humores, & bilem atram gignunt, quæ Peſtis materia fieri poteſt, in anthraces, & carbunculos degenerans. Sic ſanguis aduſtus, & in compage ſua nimium adſtrictus multis morbis obnoxius fit: atque interea ſemen peſtilens aliundè veniens, in ſquallidis huiuſmodi humoribus idoneum ſibi reperit pabulum. Huius rei exemplum affert *Liuius decade* 1. *lib.* 4. vbi enarrat Peſtem Romæ ſubortam anno V. C. 355.
37 poſtquam † ſiccitate illo anno laboratum fuerat; tanta quidem, vt non modò cœleſtes aquæ deſiderarentur, ſed terra quoque ingenito egens humore, vix ad perennes aquarum fontes ſuffecerit.
38 Sic etiam maxima † ſiccitate Peſtis genita eſt circà tempora Iuliani Apoſtatæ anno ſalutis 363. de qua *Sozomen. lib.* 6. *cap.* 2. Anno inſuper 1131. in Italia; præcipuè verò in Inſubria creuit adeò ca-
39 lor, & † ſiccitas, vt primò areſactæ ſegetes fuerint, grauiſſimaque indè Peſtis ſuborta, *Gratiol. catal. de peſt.* qui etiam meminit alterius peſtilentiæ ab eadem cauſa; aliaſque narrat ſiccitate ortas lues *Nicephor. Caliſt. lib.* 7. *cap.* 28. & *alibi*. Sed, vt cætera prætereamus
40 exempla, hæc ſanè † intemperies vna ex cauſis elapſæ Peſtis fuit; nam obſeruarunt Medici per plures menſes anteà non pluiſſe. Sic *Bindius Centumcellenſis Medicus in ſua Lœmographia in princ.* ſcribit duodeuicennos menſes non pluiſſe, fonteſque omnes, & puteos penitùs exhauſtos fuiſſe.

41 Efficaciſsimè autem, & frequentiſſimè vitiatur † aer tertio,
quem diximus modo, nimirum à ſpiritibus corruptis, & indomitis viriari Soli, quos equidem ſpiritus *Io: Baptiſta Vanhelmontius tum. peſt.* vocat *fracidum gas terræ*, vt ſuperiori capite innuimus. Ita Philoſophus vates de ſeminibus Peſtis cecinit *lib. 6.*

aut ipſa ſæpè coorta.
De terra ſurgunt vbi putrorem humida nacta eſt
Intempeſtiuis pluuijſque, & Solibus icta.

Vel etiam labem † concipit aer à locis quibuſcunque fœtidis, vt
42 ſtagnis, paludibus, piſcinis, alijſque cænoſis aquis, in quibus linum, aut cannabis præſertim maceratur; inſuper ex cloacarum, & angiportuum fœtore, vel à multis cadaueribus inſepultis, & incrematis poſt magna prælia, & ſtrages, tum à ſpecubus etiam humidiſque cauernis. *Galen. lib. 1. de differ. feb. cap. 4. & in principio 1. epid. & alibi Auicen. prima 1. tract. 4. cap. 1. Odd. de Odd. de peſt. cap. 3.* Tandem quælibet ſordes, & immunditíes ſuſpectæ ſunt. Hinc meritò iura prohibent, ne itinera † fætidis rebus inficiantur
43 *l. 1. §. 1. ff. de cloac. & l. 2. §. idem ff. ne quid in loc. publ. & l. ædiles in fin. ff. de via publ.*

E ſtagnis † verò, paludibus, alijſque cænoſis aquis virulentis,
44 atque corruptis aer ambiens neceſsariò inficitur, præſertim vbi calor viget: quoniam, vt docet *Senec. lib. 6. natural. quæſt.* huiuſmodi aquæ craſsæ, & graui caligine, ſempiternaque tectæ nihil niſi peſtiferum in ſe habent; idque tradunt ex noſtris *Prauidell. de peſt. ſub tit. de cæter. ad ſalubrit. pertinent. §. poteſt num. 1. & 3. Marchm.*
45 *de peſt. cap. 1. num. 9.* Et multas † quidem Peſtes ab aquis corruptis ortas narrant hiſtorici; inter quos *Paul. Diacon. lib. 20. rerum Romanar.* ſcribit ingentem ſurrexiſse Peſtem, quando Leontius
46 Imperator † Portum Noreſium Conſtantinopolis repurgauerat; idque narrat *Niceta Acominat. in vita Leontij;* & Peſtem illam, quæ anno 1594 tempore Clementis VIII. & Rodulphi Nolam penitus
47 depopulata eſt, à † paludibus in agro Nolano putreſcentibus ortam fuiſſe ſcribit *Placentin. de peſt. cap. 6.* Huiuſmodi cauſam habuiſſe credimus peſtilentiam, quæ ter Ægyptum afflixit, vt narrat *Plin. lib. 31. cap. 4.* cum Nili aquæ amaritiem quandam à pluuijs
48 vitulentis † conceperunt, cuius rei meminit quoque *Athenæus lib. 2.* dum inquit, *aquam fluxiſſe viroſam*: huc etiam referri poſ-
49 ſunt omnes fluminum † excreſcentiæ ſuperiùs adductæ, quæ varias attulerunt peſtilentias, quatenus à terra corruptos, & venenatos ſpiritus excitarunt.

50 Ex impuro quoque † cloacarum halitu, & vaporibus angiportuum

poruum fœtidis, vt diximus, aerem ſæpè reddi peſtiferum ait *Vlpian. l. 1. ff. de cloac. Prauidell. de peſte ſub tit. de cater. ad ſalubr. pertinent. §. ſciendum n. 3. Ripa vbi ſupra n. 14. de remed. præſeruat. contra peſt. n. 54. Marchin. cap. 1. eodem num. 9. Ex Medicis verò Galen. 1. epid. com. 1. in proem.* Sic etiam de peſtilenti aere ex
51 quantitate † cadauerum inſepultorum fœtorem exhalantium tractant quoque *Prauidell. de peſt. & eius priuileg. §. cauſas n. 2. & ſequen. Ripa dicto n. 14. Marchin. vbi ſup. Paul. Azor. lib. 4.* qui Peſtem ex Locuſtis mortuis in Africa factam fuiſse refert, & ma-
52 gnam fuiſse huiuſmodi † Locuſtarum vim narrant *Sabellicus lib. 9. Ennead. nu. 5.* alijque relati à *Matthia Vnthzer de peſt. lib. 1. pag. 34.* quæ cum marinis fluctibus immerſæ latè litora compleuiſsent, fœtore ſuo aerem infecerunt, & vndecim millia Barbarorum peſtis conſumpſit, multaque millia Romanorum agen-
53 tium ibi præſidium. Et Peſtem ex Locuſtis † mortuis in Iudæa narrat *Diuus Hieron. commen. in Ioel. cap. 2.* qui huiuſmo-
54 di animalium perniciosām naturam deſcribens inquit ab † Auſtris adduci, & frigore torpeſcere, calore autem volitare. In Græ-
55 cia pariter ab Equis † fame mortuis in exercitu Pompei corruptum fuiſse aerem *Lucanus cecinit lib. 6.*

Belliger attonſis ſonipes defeſſus in aruis,
Aduectos cum plena ferant præſepia culmos,
Ore nouas poſcens moribundus labitur herbas,
Et tremulo medicos abrumpit poplite gyros.
Corpora tum ſoluit tabes, & digerit artus;
Traxit iners Cœlum fluuida contagia Peſtis
Obſcuram in nubem.

Et ſub Pontificatu Marcelli Primi, Conſtantino Magno Imperante, peſtilentia ſæuijt ex inquinato aere ob multitudinem pu-
56 treſcentium † cadauerum, occaſione illius belli ab *Amiano Marcellino lib. 19.* relati. Conſimilis lues anno 1525. ſub Clemen-
57 te VII. & Carolo V. initium habuit Papiæ ab aere polluto † cadaueribus militum, & equorum, quæ in Ticinum deiecta fuerant *Gratiol. catal. de peſte:* qui & alias ab huiuſmodi cauſis ortas lues enarrat. Sed, vt alia prætereamus exempla, hæc elapſa Vrbis peſtilentia non ſine huiuſmodi putredine fuit; ſiqui-
58 dem ſuperiore anno innumera † Locuſtarum agmina ſtrata in agris paſſim inueniebantur, vt notat *Bind. Loemograph. Centumcell.*

Præterea meritò dicitur hunc aerem noſtrum ex illo quoque impuro, & obſcuro in antris, & ſpecubus, locisque ſubterraneis diutiſſimè

59 tiffimè concluſo, ibique corrupto, mox repentè † terræmotibus
apertо peſtiferum poſſe fieri; ſiquidem aer ille tetris anteà corpu-
ſculis mixtus terrarum vitio ſub æterna ferè nocte torpeſcens,
grauis haurientibus fit, atque inimicus, vel internorum ignium
culpa corruptus aditum extrà petens, terramque commouens, per
apertas terræ rimas erumpit, inſuetumque ducentibus noua mor-
borum genera infert *Senec. lib. 6. natural. quæſt. cap.* 28. De hac re
diſputat *Io: Baptiſt. Port. lib.* 4. *meth. cap.* 50. Et multæ apud hiſto-
ricos memoriæ ſunt de varijs terræmotibus, qui peſtem excitarunt.
60 Si quidem in Vrbe anno ab ipſa condita 320. † terræmotu ortam
peſtem enarrat *Liuius lib.* 4. *dec.* 1.; & hæc priùs ſæuijt: deindè iam
remiſſa denuò recruduit eodem modo: ac Peſtis Peloponneſi ſu-
periùs relata, quæ circa eadem tempora contigit ex *Gellij ſup-
putatione lib.* 17. *cap.* 21. quem ſequitur *Iacob. Gord.* diligens Cro-
niſta, pluribuſque eam narrat *Diodorus Siculus lib.* 72. Orchemeni
ſæuijſſe Peſtem narrat *Plutarch. in lib. de Oraculorum defectu paulò
ante finem*, cum ſcilicet Oraculum Tireſiæ defecerit, quam vide-
61 tur ipſe ad † terræmotum referre. Anno etiam à Virgineo partu 15.
62 imperante Octauiano Auguſto maximos † terræmotus in Vrbe
Peſtis ſequuta eſt, quæ pleroſque Ciuium interemit *Dion. lib.* 54.
Gratiol. catal. de peſt. In Aſia itidem vltrà plures euerſas Ciuitates,
63 apertis † terræ voraginibus, adeò magna aquæ ſalſæ copia ſcatu-
rijt, Mare verò ſic fines pertranſijt, vt multas ſubmerſerit Vrbes,
ex quibus tam effetata exijt lues Romam ventis delata, vt vna
tantum die quinque hominum millia perierint. *Petrus Meſſ. in vita
64 Gallieni Imperat.* Magnus quoque † terræmotus Byzantium agi-
tauit, eiuſque mediam partem concuſſit anno Chriſti 432. Sedente
Leone Primo, cognomento magno, anno ſeptimo ſui Pontificatus,
& Imperantibus Theodoſio Secundo, & Valentiniano Tertio
vndè ſæuiſſima Peſtis erupit, qua perterrito Populo apparuit
puer ille dicens *Sanctus, Sanctus, Sanctus Deus fortis, & immortalis
miſerere nobis*, quibus verbis piè per populum repetitis Diuino fla-
gello Ciuitas euaſit immunis; hinc ſtatutum eſt Calcedonenſi
Concilio, vt verba prædicta in poſterum caneret Eccleſia. Et
inter alias Peſtes à terræmotibus excitatas, ea etiam legitur, quæ
Romam vexauit anno 615 Pontifice Deodato, & imperante Hera-
clio, qui Sanctam Crucem recuperauit, eamque primum Byzan-
tium, poſtea Hieroſolymam ferri iuſſit anno 627. In ea peſtilenti
65 conſtitutione † ſcabies etiam Epidemica, & maligna vagabatur,
totum corpus adeò tegens ad inſtar elephanthiaſis, vt vix homi-
num figura cognoſceretur. *Platin. in vita Adeodati*, *Gratiol. catal.
de peſt.*

de pest. Memorabiles etiam † terræmotus fuerunt anno 168. sub Pontificatu Bonifacij IV. & Imperio Focæ, ex quibus orta pestifera lues, Germaniam præsertim depopulabatur. *Georg. Agricol. de pest. Gratiol. catal. de pest.* Vniuersalis verò, & terribilis fuit ille
67 terræmotus, † qui anno 801. Leonis III. Pontificatus anno 6. & Caroli Magni anno 1., non tantùm in Italia, sed in Gallia, & Germania maximas molitus est ruinas, & Romæ præsertim cupulam D. Petri antiquam excussit. Grauissima inde Pestis in Italiam aliasque regiones à subterraneis specubus percita fuit *Georg. Agric. de pest. Spondan. in eod. anno. Tarcagnot. lib. 2. part. 2.* Tandem præ-
68 ter alias Pestes, quas narrant, & referunt à terræmotibus † ortas *Nicephor. Calist. lib. 7. cap. 28. Io: Villan. lib. 12. Placentin. Anton. Griff. tractat. de eclips. Sabellic. histor. Venet. lib. 3. dec. 2. Boccac. Nouell. 2. & Cronolog. Pontif. varijs in locis*, fertur immanem fuis-
69 se illam, † quæ anno 1450. tempore Nicolai V. & Federici III. Italiam, & præcipuè Mediolanum vastauit *Platin. in vita eiusdem Pontific. Spondan. sub anno Christi* 1448. Et refert *Celinus Pintus de peste* tantam fuisse tunc temporis corruptionem aeris, vt panis recens, & adhuc calens manè aeri expositus, vespere totus putridus, & corruptus apparuerit.

Verùm præter allatas historias maximam parit admirationem, quod veteres ferunt Auctores ab angustissimis locis de repentè hiantibus, latissimas quoque pestes erupisse: Sic propè Babiloniam
70 in Apollinis templo mira præ vetustate Arcula † inuenta fuit, ex qua conscissa venenati spiritus vis adeò se se profudit, vt longè latèque grassata, Patthos etiam infecerit *ex Cælio Rhodigino lib. 8. antiquar. lect. cap. 12.* sic idem *ex Amiano Marcellino* subdit Marci Antonij tempore apud Seleuciam post direptum templum, & Romam delatam Apollinis imaginem, angustum ab auaris militi-
71 bus terræ foramen, † quod priùs Chaldæorum vates occluserat, apertum fuisse, ex quo efferatus adeò lethalis halitus erupit, vt populare funus à Persarum finibus in Gallias propagarum fuerit. Mirum sane, quòd ab angusto loco, tot regionum Asiæ, atque Europæ clades, longè latèque diffunderetur; nec alirer, quàm contagione id factum fuisse arbitramur.

Plerùmque etiam spiritus venenatos terra exhalat, quando ab euersis anni temporibus, vel ab aere quoquo modo vitiato, corrumpitur succus terræ alimentarius, & magna sequitur annonæ
72 caritas, & † fames; tunc enim vitiato, ac propemodum corrupro terræ tractu in superficie, spiritus emergunt summè noxij, & pestilentes, qui particulas vitales aeris impura tabe, veluti affusa ne-

bula, contaminant. Vndè non mirum, si fames, maximum Dei
flagellum, breui Pestem comitem accersit ad hominum expianda
73 scelera. Quinimmò † caritatis tempore, Pestis iam terræ superfi-
ciem, & vegetabilia occupare videtur, breui Animalium genus
aggressura, vt perbellè cecinit *Virgilius* 3. *Æneid.*

miserandaque venit,
Arboribusque, satisque lues, & lethifer annus.
Linquebant dulces animas, aut ægra trahebant
Corpora: tùm steriles exurere Syrius agros.
Arebant herbæ, & spicas seges ægra negabat.

Et *Lucretius lib.* 6. *de rerum natura*, cecinit de Peste vegeta-
bilium.

Hæc igitur subitò clades noua, pestilitasque,
Aut in aquas cadit, aut fruges persedit in ipsas,
Aut alios hominum pastus, pecudumque cibatus,

74 Quòd autem succus terræ † alimentarius quandoque corrumpa-
tur, & in malignam naturam degenerare possit, satis constat ex ru-
sticis obseruationibus circà plantarum metamorphoses. Enimuerò,
vt vulgare assumamus exemplum, semen tritici optimi in vitiato
solo iactum, & putrido succo nutritum degenerare solet in ru-
75 biginem, † vel, vt alij volunt, etiam in lolium: cuius tandem si
minima quantitas, panis massæ admisceatur illam totam praua
qualitate imbuit, & sæua comedentibus affert simptomata, *ex
Galeno* 6. *de simpl. med. facult.* & 1. *de alim. Sennert. pract. lib.* 6.
part. 7. *cap.* 22. & *alibi*. Eadem ratione philosophari licet in pe-
stiferis constitutionibus terrarum vitio subortis; quòd scilicet
76 succus † terræ alimentarius corrumpatur, abeatque in auras
tenuissimas, & malignas, quæ aerem ipsum praua qualitate im-
buunt. Cuius rei veritas comprobatur hac historia relata à *Van-
helmontio tum. pest. cap.* 5. In Gallia nempe anno 1550. triticum,
77 quod vocant † rotatum, siuè mellitum in arista adhuc viridi odo-
rem fumatæ halecis exhibebat, maturum verò nil, nisi fœtidum
puluerem atrum dedit: multosque populares morbos induxit.

Hisce omnibus hucusque recognitis causis inquinatur aer; &
78 quamuis variæ, ac inter se se diuersæ videantur, tamen † omnes
in hoc videntur conuenire, vt scilicet, vel humana corpora dispo-
nant ad malignas humorum corruptiones, vel aerem ipsum fraci-
79 do, ac pestilenti fermento imbuant. Huius autem † fermenti
naturam ad sensum exprimit *Helmontius cap.* 14. *tum. pest.* exem-
plo odoris illius, quo vasa fracida vinum, & liquores alios potu-
lentos inficiunt. Sicut enim cadus, vel dolium fracido quodam
odore

odore leuiter imbutum, corrumpit nouas, & sæpiùs iteratas vini infusiones; ita eadem ratione videtur, quòd aer pestifero miasmate insensibili, & penè incorporeo imbutus, laticem nostrum vitalem æquè possit corrumpere. Clariùs de hoc fracido vasis odore philosophatur *Thomas VVillis de ferment. cap. 8.* cuius doctrina deduci potest ad pestilens fermentum explicandum; inquit enim ipse, quòd mucor, seù fracidus ille odor vasis, procedit ab aere intrà vasis capacitatem concluso, & stagnante, cuius particulæ, vnà cum alijs corpusculis actiuis, quæ in humido vase latitant, vim fermentatiuam acquirunt, vt mira actiuitate se se quàquà versus diffundant, & ingentem materiæ molem inficiant. Consimili ratione nos fieri arbitramur in aere pestilenti,
80 quod scilicet † aeris particulæ à debita ventilatione prohibitæ, vel alio pacto vitiatæ, spiritibus corruptis, & indomitis commixtæ vim fermentatiuam, & malignam acquirant, vt sanguinem, spiritusque vitales inficiant.

Hæc igitur sunt, quæ aeris inquinamenta, semina Pestis, vel miasmata dicuntur ab Auctoribus, & vndequàque diffusa, vnà cum aere inspirato in pulmones trahuntur.

Et cum spirantes mixtas hinc ducimus auras,
Illa quoque in corpus pariter sorbere necesse est.

Enimuerò; dum intimos pulmonum recessus, & vesiculas oc-
81 cupat infectus aer, hæc mortifera † semina simul cum particulis vitalibus aeris sanguini occurrunt, per totam illius compagem se se insinuant, vt denique vitalem cordis ignem fermentatione corruptiua dissipare, vel extinguere aggrediantur. Quarè non videntur veritatis scopum penitùs attigisse, qui semina Pestis dicunt esse corpuscula arsenicalia, vel huiusmodi minera-
82 lium venenorum; constat enim ex dictis, quòd alios † terra euomere potest mortiferos halitus, præter arsenicales, vel minerales
83 eiusmodi, & arca illa superiùs relata ex Rhodigino † spiritum quidem venenatum, ac pestilentem, longè latèque profudit, non tamen videtur rationi consonum, quòd exhalarit arsenicum, aliudue huiusmodi minerale. Porrò semina Pestis contagiosa sunt, vt suo loco demonstrabimus: huiusmodi autem arsenicales halitus, quamuis mortiferi sint, non tamen videntur contagione propagari. Quòd verò à corruptis terræ spiritibus, cæterisque causis superiùs adductis aer pestilens fiat, multis comprobatur obseruationibus, & signis; siquidem Pestis fracedinem quandoque in
84 corporibus infectis † odoratu percipi obseruauit *Helmontius tumul. pest. cap. 13.*, qui in Ostendana lue odorem veluti cremaræ

solex

solex sentiebat, omnesque infectos odore illo solebat prodere. Nuper etiam obseruauit in Peste Nouiomagensi *Diemerbroeckius*
85 foetorem † illum, qui excitabatur ab aqua, & sapone, linteisque recentibus, maximè exitialem fuisse, cùm ægris, tùm sanis, vt Nouiomagenses illum foetorem non minùs, quàm ædes infectas
86 fugerent. Bruta † verò, & canes præsertim, pestilentes halitus, vel corruptos terræ spiritus odoratu percipere, vulgaris est obseruatio, vndè *Lucretius loc. cit.*

nec tristia sæcla ferarum.
Exibant syluis; languebant pleraque morbo,
Et moriebantur, cum primis fida canum vis
Strata vijs animam ponebat in omnibus ægram.

Præterea nec desunt experimenta, quibus fracedo pestilens in aere detegatur, vt notat *Pisanellus Medicus libello de pest. cap. 7. & Kircher de peste sect. 1. de sign. §. 4. in fin.* Si enim frustum panis siliginei recenter è furno extracti, aeri sereno per integram noctem exponatur, postera die mucidus euadit, sicut expertum fuit in illa Peste Mediolanensi superiùs relata *sub n. 69.* Quinimmò istud panis frustum sic mucidum, cani, aut gallinæ proiectum, vel non comeditur, vel mortem affert: sicut etiam panis rore matutino maceratus eundem edit effectum. Oua etiam, poma, & carnes, si aeri exponantur per noctem, & duodecim horarum spatio putrescant, euidens aeris infecti præbent indicium. Cætera, quæ ad pestilentis aeris cognitionem ducunt, vbi de signis, explicabimus.

Remedia verò politica, quibus aeris infectio, vel imminens prohiberi, vel præsens corrigi potest, suo loco exponemus; sed priùs agere oportet de prauis alimentis, & alijs vitæ erroribus, vt causæ Pestis esse possunt.

†



CAP.



CAP. CCL.

ARGVMENTVM

Agitur de prauis alimentis, quatenùs Peſtem efficiunt. Variæ peſtilentiæ referuntur à peſsimis cibis, & fame, nec non ab infectis aquis epotis ortæ. Aliæ cauſæ diſpoſitiuæ, & concomitantes enumerantur. Animi perturbationes, ac terrorem præſertim Peſtem inducere oſtenditur.

SVMMARIVM.

1 *Alimenta praui ſucci ſuis qualitatibus lædunt, quamuis digerantur.*
2 *Alimenta praua, & corrupta communiter aſſumpta plebem inficiunt.*
3 *Alimenta ex vegetabilibus, & animalibus tabe, vel morbo infectis, ſanguinem coinquinant.*
4 *Alimenta vitium concipiunt ab aere, vel terra, & quomodo?*
5 *Cibaria ex animalibus morbo extinctis, venena potiùs, quàm cibi ſunt, & quare?*
6 *Piſces emortui propè Lipparam Inſulam voraci populo peſtem attulerunt.*
7 *Piſces in Comacli lacunis emortui, peſtiferas febres ingeſti concitarunt.*
8 *Cibi ſuapte natura boni quandoque corrumpuntur, & quomodo?*
9 *Ciborum culpa Peſtis oritur, vbi caritas eſt annonæ, & quare?*
10 *Fames, & Peſtis ſunt ſibi inuicem cauſa.*
11 *Fame, & Peſte Phrygiam, & Cappadociam vexante, Deus Populum cibo aereo leuauit.*
12 *Fruges poſt famem, & Peſtem diuinitùs nata.*
13 *Fames exercitum Xerſis Peſte infecit.*
14 *Annonæ caritate fame, ac Peſte laboratum eſt in vrbe anno* 1564.

15 *Fames, Peste comitata, Vrbem funeribus exhausit anno 3602.*
16 *Carnes putridæ, aliaque insueta edulia exercitum Alexandri corruperunt.*
17 *Fame pressas Carthaginensium copias Pestis inuasit anno 3904.*
18 *Fames extrema Numantinos vesci cadaueribus coegit, ac Pestem induxit.*
19 *Fames cum Peste Massiliam obsessam vexauit.*
20 *Fame exorta Pestis Pompei exercitum afflixit.*
21 *Fames rabidissima Hierosolymam Peste infecit.*
22 *Ciborum defectu, Pestis in Francos milites incidit, & Papiæ incubuit.*
23 *Cibaria insueta Pestem, Galeni tempore, produxerunt.*
24 *Caritas annonæ luem excitauit, quâ homines visum priùs, indè vitam amittebant, tempore Iuliani Apostatæ.*
25 *Fames vniuersalis Pestem induxit elapso sæculo sæuissimam.*
26 *Fames, Italicæ Pestis causa anno 1630.*
27 *Caritas annonæ vltimam Pestem Vrbis præcessit.*
28 *Potus vini corrupti, vel aquæ putridæ, aut infectæ, Pestem efficere potest.*
29 *Flumen infectum epotum Parthos milites contaminauit.*
30 *Aquæ putridæ epotæ, Gallorum exercitum corruperunt, in quo Ludouicus IX. decessit.*
31 *Aquæ corruptæ quomodo pestilentes fiant explicatur.*
32 *Aquæ fluentes mortiferis terræ halitibus inquinari possunt, præsertim à terræmotu.*
33 *Causæ Pestis dispositiuæ sunt motus, & quies; somnus, & vigilia; excreta, & retenta; & animi passiones.*
34 *Labor, & otium, si modum excedant, ad Pestem disponunt.*
35 *Otium quomodo sanitatem corrumpat explicatur.*
36 *Exercitium moderatum necessarium esse ostenditur.*
37 *Exercitium necessarium ad excrementa expellenda, & quare?*
38 *Exercitium immoderatum vires dissipat, & Pestem attrahit, crebra aeris inspiratione.*
39 *Exercitijs violentis multi fatigati, continuò in Pestem inciderunt anno salutis 1635.*
40 *Somnus immoderatus valdè noxius in Peste, & quare?*
41 *Somnus statim à pastu damnatur à Medicis, & quare?*
42 *Somnum capientes supra fœnum recens, Peste corripiebantur anno 1635.*
43 *Vigiliæ immodicæ etiam noxiæ sunt, & quare?*
44 *Somnus moderatus maximè necessarius ad facultates animales reficiendas.*

45 *Eua-*

45 *Euacuationes suppressæ periculosa, præsertim ijs, qui multùm edunt, & quare?*
46 *Febres exemplo vini bullientis explicantur.*
47 *Euacuationes nimia corpora debilitant, & ad luem disponunt.*
48 *Animi pasiones efficaciter Pestem accelerant, & corpus immutant.*
49 *Animi perturbationes sanguini communicantur medijs neruis, & quomodo.*
50 *Sanguis perturbatus ab animi curis, facilè luem concipit.*
51 *Ira Pestem accelerat ex obseruatione Medicorum, & quare? alias excitat pasiones animi valdè noxias.*
52 *Tristitia, & animi dolor Pestem, & mortem inferunt: exemplum adducitur in elapsa Peste.*
53 *Terror efficacissimè Pestem affert.*
54 *Terrore correpti quandoque subitò perierunt, & quare?*
55 *Timor inter præcipuas luis causas recensetur ab aliquibus.*
56 *Terror Archei vnica Pestis causa est, ex* Helmontio *cuius fundamenta referuntur.*
57 *Imaginatio territa cum credulitate, est sufficiens causa Pestis ex* Helmontio.
58 *Semina Pestis, & alia omnia, quomodò fœcunda fiant, iuxta Platonicos.*



1 Nter causas Pestilentiæ primitiuas, & euidentes, secundum locum obtinent alimenta praua, & corrupta; † hæc enim quotidiè ingesta suis qualitatibus humanum corpus alterant: & quamuis in primis coctionibus digerantur, suas tamen retinent malignas vires, quibus sanguinem, & solidas etiam partes corporis immu-
2 tant. Quòd si communis † eorum sit vsus, communi quoque labe plebem inficiunt, vt præter *Galen. lib. 1. de cib. bon. & mal. succ., de differ. febr. cap. 3., & 1. de morb. vulgarib. Bruyerin. Campeg. de re cibar. lib. 1. cap. 11. & 19.* Hoc idem ex nostris affirmant. *Prauidell. de pest. tit. de cæter. ad salubrit. ciuit. pertin. §. dum diximus. Ripa de pest. in prælud. n. 7. & 20. Marchin. de pest. lib. 1 cap. 1. nu. 9. Vrsell. concl. 111. n. 17.*

Huius antem loci non est de singulis ciborum qualitatbus agere speciatim, ac descendere ad singularia, cum de his satis Medicorum Proceres differant, *Hippocr.* nempè *lib. de diæt. & alibi, Galen. in trib. lib. de aliment.* quos sequitur *Cast. Duran.* Satis igitur erit ad rem nostram

3 nostram generatim monuisse, omnia † alimenta, cùm ex ordine vegetabilium, tùm ex animalium genere, quæ tabe, vel morbo aliquo infecta sunt, sanguinem contaminare. Vt plurimùm au-
4 tem huiusmodi † alimenta vitium concipiunt ab aere, cæterisque causis superiùs adductis; nam vegetabiles terræ fructus quandoque degeneres fiunt, vel ex praua constitutione anni, puta ab Austris diù spirantibus, aut à nebulis corruptis, quæ à cænosis, putridisque locis exhalant, vel randem à succo terræ nutritio, quem trahunt, quomodocumque vitiato; aut degeneribus corpusculis inquinato. Animalia verò cùm terrestria, tùm aquatilia, & volatilia, quibus vesci homines consueuerunt, ab iisdem causis prauam qualitatem, ceù suas tabes, & morbos contrahunt; præsertim si vi-
5 tiato pabulo alantur. Porrò † ex animalibus vi morbi extinctis pessima cibaria fiunt, immò hæc potiùs venena, quàm alimenta sunt, cum morbi qualitatem retineant, & vitali succo careant, qui tabe consumptus est; idque confirmat *Iul. Obsequ.* apud Riuer. *cap. de feb. pestil.* enarrans in Insula, quæ Lippata dicitur, pestilentiam subsequutam, cum ab Ætnæ ignibus tetræmotu euomitis,
6 subiectum mare incaluisset, † piscesque mortuos ad littora euectos incolæ auidiùs comedissent. Consimile obseruatum nuper est exemplum Comacli in Ducatu Ferrariensi anno 1671. cum lacu-
7 næ in glaciem concretæ, † piscium morruorum copiam voraci populo exhibuissent: hic enim tota hyeme cibos illos auidè pastus, ineunte tandem vere in contagiosas febres malignas incidit, & quamplurimis peticulæ, aliis bubones apparuerunt: cuidam carbunculus ad glutios musculos exiit, vis contagii serpebat, ac de domo in domum propagabatur morbus, vt denique nobiles etiam tetigerit, qui à corruptis piscibus abstinuerunt ex relatione cuiusdam Medici eiusdem Ciuitatis.

8 Ipsi quoque cibi, † qui suapte natura boni sunt, putredinem ab extrinsecis causis quandoque concipiunt, ac praui per accidens fiunt. Sic legumina, & ipsum triticum, hordeum, cæteræque fruges, quamuis optimæ substantiæ sint, si diù retineantur in locis humidis, vbi grauis aer stagnat, rubiginem, aut corruptelam concipiunt, eo prorsùs modo, ac poma in cellis asseruata humidioribus, quæ vel Austro exposita sunt, vel nullis perflantur ventis, facilè putrefiunt.

9 Plerumque tamen † ciborum malitia Pestis suboritur, quando magna est annonæ caritas; tunc enim segetes, & plantæ fructiferæ, syderatione, vel morbo aliquo laborantes, non tantùm sufficiens negant alimentum, sed parum illud, quod tribuunt, quandoque

sua

sua praua imbuunt qualitate, & corruptela. Sunt etiam sibi inui-
10 cem causæ fames, & † pestilentia: hæc penuriam inducit, nemine agros colente propter morbi assiduitatem, funerumque frequētiam: illa coactis hominibus ad noxium ciborum genus pestilentiam inducit. Hinc est, quòd per miraculum Deus hisce complicitis malis aliquando prouiderit; quippe *Nicephor. Calist. lib. 15. Hist. Ecclesiast.* enarrat aliquando Peste vexatas Phrigiam, Galathiam,
11 Cappadociam, Ciliciam, eo quod inualescente † fame ad exitiosos cibos homines confugissent, cumque propter morbum agricultura defecisset, alimento quodam aereo, quale fuit He-
12 bræorum Manna, Deum subuenisse; fruges indè † altero anno sua sponte natas nullo semine iacto, nulla cultura.

Plures autem ab annonæ penuria inductæ Pestes ab Autoribus enumerantur, præsertim *ex Liuio passim Procop. lib. 2. de bell. Goth. & lib. 3. pag. 155. Leonard. Aretin. de bell. Ital. aduers. Goth lib. 1. in fin. & lib. 2. Nicephor. Calist. hist. Ecclesiast. lib. 10. cap. 35., lib. 15. cap. 10., lib. 2. cap 11., & lib. 6. cap. 20.* Talis ea fuit olim in exercitu
13 Xersis, qui adeò extremam sensit † famem, vt arborum frondes, herbarumque radices edere coactus, itinera funeribus explebat *Herodot. lib. 3. instit. 2.* Grauisquè pestilentia fuit anno 3564.
14 *T. Geganio P. Minut. Coss.* † cùm ex incultis per plebis secessionem agris annonæ caritas primùm, deinde fames Ciuitatem affli-
15 xissent *Liu. decad 1. lib. 2.* Alia pariter † fames, pestilentia comitata, Vrbem exhausit anno 3602. Co*ss.* P. Curiat. & Sert. Quint. quæ Plebem, & Patritios aggressa, nedum innumeram gentem, sed & ipsos Consules, pluresque Nobiliorum Domus, & Familias extinxit *Liu. lib. 3. dec. 1.* Crudeliorem verò contraxit pestilentiam
16 Exercitus Alexandri, † cum anno 3729 terrestri itinere per Oritas Carmaniæ Populos incederet, ad extremam deductus rerum inopiam, praua cibaria pastus desertæ regionis, quam peragrabat; ibi enim ferini homines paucos admodum, & degeneres alunt ouium greges, quæ marinos solitæ pisces depasci, tabentem odoris tetri carnem habent: eaque ideò morbi ferocitate correptus fuit Exercitus. vt ex centum viginti millibus peditum, quindecim millibus equitum, vix ad quartam partem redactus in Carmaniam peruenerit. *Plutarch. in vit Alexand.* idemque contingit anno
17 3904. Carthaginensium copijs, quæ propter famem, † herbas, militum equos, vehiculorum, ac tandem ipsorum phaleras edere obstrictæ, pestilentia cateruatim moriebantur *Appian. Alexandrin. de bello Carthag.* Nec mitior fuit Numantina Pestis anno 3922.
18 cum ob defectum † omnimodæ frugis obsessi maceratis vesci corijs

fuerint coacti, hisque deficientibus, humanis cadaueribus pasci
idem Appian. Alexandr. de bell. Hisp. Sigon. ad ann. Vrb. 620. Mas-
siliam pariter obsidione pressam vexauit Pestis tempore Iulij Cæ-
19 saris, † eo quòd populos vitiatum milium, hordeumque blatta-
tum comederit *Iul. Cæsar de bell. ciu. lib.* 2. Et Pestis, quam descri-
20 bit *Lucanus lib.* 6. in exercitu Pompei, ex fame † primam originem
duxit.

cernit miserabile vulgus
In pecudum cecidisse cibos, & carpere dumos,
Et morsu spoliare nemus, letumque minantes
Vellere ab ignotis dubias radicibus herbas,
Qua mollire queunt flamma, quæ frangere morsu,
Quæque per abrasas vtero dimittere fauces,
Plurimaque humanis ante hac incognita mensis
Diripiens Miles.

Anno quoque salutis 70., sedente Lino D. Petri successore, Hie-
21 rosolymam obsidente Tito, dira lues rabidissimam † famem He-
bræorum sequuta est *Ioseph. Heb. de bell. Iudaic. lib.* 7. *cap.* 16. 17.
Ex prauis quoque alimentis ortum habuit Pestis illa, quæ sub
Pontificatu Vigilij Papiam, & Francorum præcipuè exercitum cor-
22 ripuit, quandoquidem fame † pressis militibus Eridani aquæ, bel-
luæque mortuæ præstabantur *Leonard. Aretin. lib.* 2 *hist. Goth.* Et
sub Imperio Antonini Pij, temporibus Galeni, pestifera vlcera co-
23 lonos Romani Imperij corripuere † propter herbas, aliaque agre-
stia cibaria annonæ defectu ingesta *Gratiol. Catal de pest. Celin.*
24 *Pint de pest. cap.* 28 Illa quoque † annonæ caritas temporibus Iu-
liani Apostatæ rabidam adeò Pestem intulit, vt homines oculo-
rum inflammatione capti, visum amitterent, tussimque contra-
hentes vitam exhalarent *Sozomen. lib.* 6. *cap.* 2. *Nicephor. Calist.*
lib. 16. *cap.* 10. Elapso autem sæculo temporibus Gregorij XIV.
25 Innocentij IX., Clementis VIII, & Rodulphi II., Italia † fame, &
vniuersali frugum inopia laborauit, indè efferatam adeò Pestem
contraxit, vt gentis tertia pars vix morbum euaserit, ac Romæ
præsertim vnius anni curriculo sexaginta millia, & plures homi-
nes perierint *Cronolog. Pontif. in vita Gregorij XIV. Placent. de pest.*
cap. 15. *& de morb. comm. cap.* 10. Pestis etiam Italica anni 1630.
26 ex fame orta est, † quippe Mediolani præcedente annonæ penu-
ria, plebs non pasta in annonæ curatores ad expilationem tumul-
tuabatur, & ineunte vere Pestis insurrexit a Mediolani finibus,
posteà in alias etiam Vrbes Italiæ, & Insubriæ præsertim propa-
gata, quam describit *Andr. Taurel. libello inscripto de Peste Italica.*

Nec

27 Nec sine præcedente † frugum inopia hæc elapsa Pestis in Vrbe fuit.

Præterea non minor est in potu efficacia ad producendam luem,
28 quàm in ipsis cibis, quando scilicet vina † putrida, & corrupta bibantur, vel aqua ex putridis, & cœnosis lacubus hausta, siue ex fontibus, & fluuijs infectis, vt docuit *Galen. 1. Epid. in princ. contr. 2. & 3.* inquiens, quod aquæ infectæ haustus interdum efficere potest vniuersalem morbum. Sic *Ouid. Metamorphos. 7.*

Constat & in fontes vitium venisse, lacusque,
Millia que incultos serpentum multa per agros
Errasse, atque suis fluuios temerasse venenis.

Idemque in Castris memoriæ proditum est accidisse, vt refert
Appian. Alexand. de bell. Mitrid. flumen quoddam infectum adeò
29 fuisse, † vt huius aqua epota milites pestem contraxerint. Sic etiam
legitur apud *Hemer. Ror. histor. Franciæ anno 1269.* Diui Ludouici
30 Noni tempore Milites Francos ob putridas assumptas † aquas pestilentiam passos, in qua ipse Rex quoque decessit, in Sanctorum Catalogo adscriptus.

31 Et facilè suadetur ex corruptis aquis † epotis, corpora labem contrahere; nam si paludes, & lacus virulentia quadam circumsitum aerem inficiunt, multò magis inquinare poterunt sanguinis riuos intùs assumptæ, dum in venas illabuntur. Hæ siquidem aquæ stagnantes, cùm ex aere ambiente, tùm ex substrato cœno, & sordibus corpuscula vndequaque etherogenea suscipiunt, quæ cum nequeant stagna, vt faciunt flumina, perenni motu discutere, ac expellere, necesse est, vt ea intrà propriam substantiam teneant, donec tandem solaribus radijs exagitata, & corrupta pestiferam qualitatem acquirant. Fontes etiam, & flumina, quandoque a militibus epota exercitus corruperunt, quatenus aquæ illæ insensibili miasmate pestilenti erant imbutæ. Nam sicuti superiùs dictum est aerem ex terra mortiferos halitus suscipere, ità eadem
32 ratione † fontes, & flumina mortiferis terræ halitibus inquinari possunt, præsertim quando subterraneæ agitationes, ac terræmotus fiunt, vt refert *ex Plinio lib. 2. Celin. Pint. de pest. cap. 21.* tunc enim per crebra terræ foramina faciliùs erumpunt halitus venenati, qui fluentes aquas inficiunt: quin etiam ab aeris vitio aquas inquinari testatur *Lucretius lib. 6.* qui de aere vitiato loquens cecinit.

Hæc igitur subitò clades noua pestilitasque
Aut in aquas cadit.

Aliæ res, quæ a Medicis non naturales dicuntur ad victus rationem

tionem spectantes, nimirum motus, & quies; somnus, & vigi-
33 lia; excreta, & retenta; animique pathemata, † causæ etiam
Pestis adiuuantes, & dispositiuæ dicuntur, non enim per se solæ
Pestem inducunt, sicut aer, vel cibus, & potus corrupti, de qui-
bus hactenus egimus, sed tantùm in pestilenti constitutione cor-
pora disponunt ad labem contrahendam.
34 Motus, & quies † in primis, siue labor, & otium, si modum
excedant, vtraque ad luem corpora disponunt. Siquidem ex ni-
35 mia quiete, & otio † vires eneruantur, vt docet *Celsus lib. 1. cap. 1. de re medic.* hisce verbis. *Ignauia corpus hebetat, labor firmat; illa maturam senectutem, hic longam adolescentiam reddit.* Ob nimiam, & diuturnam quietem spiritus animales ad motum destinati ferè dissidiosi iacent, ac nerueum genus mollitiem quandam, ceu torporem contrahit, vndè motus facultas languet: interea sanguis non ritè traijcitur vsque ad extremos, & minimos arteriarum ramos, sed obstructiones fiunt, & cruor per arterias, & venas circuens ab obstruente materia interceptus, non ritè per omnia vasa fluere, & refluere potest. In otiosis denique sedentariam vitam agentibus morborum apparatus congeritur, vt verum sit, quod *Ouidius* cecinit.

Ignauum corrumpunt otia corpus.

36 Siquidem † exercitium moderatum adeò necessarium est, vt sine ipso integra salus haberi nequeat; idque elegantissimè docet *Cato ab Aulo Gellio citatus lib. 11. cap. 2.* inquiens, *vitam humanam propè vti ferrum esse: hoc enim si exerceas, conteritur, si non exerceas, tamen rubigo interficit: Eadem ratione homines exercendo videmus conteri, si nihil exerceas, inertia, atque torpedo plus detrimenti facit, quam exercitatio. Hippocrates de vtilitate exercitij multa docuit in lib. de salubr. diet. de dieta, & alibi*, eiusque vulgatam habemus sententiam *ex lib 6. Epid.* desumptam: *Sanitatis studium est non satiari cibis, & impigrum esse ad labores. Aristoteles verò probl. 47. sect. 2.* quærens cur cibum minuere, & laborem augere salubre sit: *An*, inquit, *quia causam ægrotandi excrementorum habet multitudo, quæ tàm certè exultat, cùm aut cibus superest, aut labor deest, & probl. 54. eiusd. sect. 1.* docet quamprimùm dandam esse operam, vt recrementa excernantur, corpusque semper ita regendum, vt simul, ac excremenrum admisit, habeat qua parte illud expurget. *Sitque motui deditum non quieti; quod enim manet putrefit, non secùs quam aqua, putrescens verò morbum committit;* Quamuis autem ea verba, *quod enim putrefit &c.* secundum aliquos referantur ad excrementa, quæ si quiescant in corpore putrefiunt, si verò moueantur non
tam

non tam facilè putredinem contrahunt, vt notauit *Ludouic. Septal. in comm. eius probl.* quouis tamen modo interpretetur, Philoſophi ſenſus eſt exercitium ad excrementa expurganda conducere. Hinc Medici ferè omnes exercitij neceſſitatem hoc potiſſimùm ratiocinio demonſtrant, quod excrementa corporis nequeant ſine
37 exercitatione † penitùs expelli, præſertim illa, quæ per ambitum corporis exire debent; in otioſis namquè corporibus calor natiuus in partibus intimis, quaſi ſopitus latitat, moderatus verò motus calorem ipſum in corpore torpeſcentem excitat, diffundit in omnes partes, & foras euocat, perindè ac euentilatio flammam *Fernelius Patholog. lib. 1. cap. 16.* vndè corpus ſuffuſo colore floridum apparet poſt exercitium, quatenus ſanguis rarefactus fluit per minimas arteriarum propagines ſummam vſque cutem irrigans, & validiori motu percitus recrementa halituoſa facilè per poros adigit. Verùm ſicuti moderatum exercitium ſalubre eſt, ità labor
38 immoderatus † violentus, vel intempeſtiuus valde noxius experitur, quippè ſpiritus, viriumque ſubſtantiam exhaurit, *Auicen. ſen. 2. 1. doct. 2. cap. 12. Fernelius Patholog. lib. 1. cap. 16.* In peſtilenti autem conſtitutione corpora labore nimio debilitata morbi ſeminibus non reſiſtunt, ſed illa potiùs apertis poris obuia recipiunt; ſanguis intereà celeri motu impulſus pulmonum ductus magno cum impetu, ac pleno velut alueo pertranſit, & pro maiori ventilatione crebriorem reſpirationem expoſcit, qua multus aer inquinatus in pulmones trahitur. Hinc obſeruauit *Diemerbroe-*
39 *kius* in Peſte Nouiomagenſi anni 1635. multos † ſtatim poſt magnas fatigationes, & graues exercitationes Peſte correptos fuiſſe: cuius rei euentus tandem innotuit omnibus, vt multi etiam vulgares, & ruſtici a grauioribus laboribus abſtinuerint, aliorum exemplo edocti, qui violento labore feſſi continuò inficiebantur.
40 Somnus quoque immoderatus † in peſtilenti conſtitutione plurimùm nocere valet, quatenus cerebrum, ac nerueum genus ſegnitie quadam, ſtupiditate, atque torpore afficit, omnes ſenſus, mentiſque vires obtundit, corporaque impuris humiditatibus re-
41 plet, præſertim verò ſi ſtatim a paſtu † concilietur; ſiquidem vt notat *Thomas VVillis de anim. brut. exercit. 1. c. de ſomn.* chilus adhuc crudus in ſanguinem rapitur, & cerebri cortex crudo ſucco irrigatur; qua ratione Medici omnes ſomnum meridianum damnare conſueuerunt. Hoc inſuper de ſomno eſt notatu dignum, quod in Peſte Nouiomagenſi anni 1635. obſeruauit *Diemerbroekius lib. 11.*
42 *de peſt. cap. 7. annot. 3.* multos † ſuprà fœnum præſertim recens cubantes, ac dormientes primò in capitis dolores, ac febres, tan-

 dem

43 dem breui in ipsam luem incidisse. Vigiliæ † autem immodicæ non minus noxiæ experiuntur; spiritus enim dissipant, coctiones debilitant, cruditates producunt, cerebrum exsiccant, variosque morbos gignunt ex communi Medicorum consensu. Ea si-
44 quidem est † moderati somni necessitas, vt sinè ipso spiritus animales in cerebro refici nequeant, sed facultates animales necessariò labefactantur, vbi excedunt vigiliæ; caduca enim, & instabilis animalium natura continuò viuere, ac operari nequit; quin crebras somni vices, quasi totidem mortis monimenta repetat, vt eleganter inquit *VVillis loc. cit. in princip. cap.*

Retentiones etiam menstruæ mulieribus, hæmorroydales viris, periculum Pestis adaugent, & quælibet hemorragiæ, alui flu-
45 xus, insensibilis transpiratio, & si quæ aliæ sunt † euacuationes tempore Pestis suppressæ, quibus anteà familiares fuerant, luem data occasione accelerant; quoniam ea superflua naturam aggrauantia in corporibus retenta facilè putredinem concipiunt *Riuer. prax. medic. cap.* 1. *lib* 17. Suppressio autem huiusmodi euacuationum est valde noxia illis, qui magnæ ciborum repletioni sunt assueti, quia his periculum imminet, ne sanguis impurus febres cõcipiar, quæ deindè propter aeris vitium pestilentes euadunt. Etenim sanguis succo nutritirio nouo in dies nimis perfusus, & excremen-
46 tis retentis perturbatus, facilè ad efferuescentias, seu febres † concitatur eadem prorsus ratione, qua vinum fæce, seù tartaro nimis abundans spontè efferuescit, vel etiam immaniter ebullit, si aliquod extraneum, & non miscibile dolio infundatur, vt si guttæ seui, aut pinguedinis instillentur, vt obseruat *VVillis de febrib.*
47 Quod si è contra nimiæ fuerint † euacuationes prædictæ, corpora maximè debilitant ex *Hippoc.* 2. *aphorism.* 51., nam cum superuacaneis non parum etiam spiritus, calorisque defluit *Fernel. Patholog. lib.* 1. *cap.* 15. Vnde natura imbecillior facta, pestilens venenum facilè suscipit.

48 Animi † tandem passiones summa quadam energia luem accelerant; nam corpus immutare valent motu spirituum, & humorum, qui ab ipso appetitu mouentur. *D. Thom. p. p. qu.* 13. *art.* 3. *ad* 3. & 3. *contr. gent. cap.* 103. *Conimbr. de gener. & corrup. cap* 4. *qu.* 20. *art.* 2. & 7. *physic. cap.* 2. *quæst.* 1. *art.* 7. *aliique citati à Thoma Fieno de viribus imag. cap.* 31. Idque clarè ostendunt iu-
49 niores Physici, & Medici, qui afferunt animi † perturbationes sanguini etiam communicari mediantibus spiritibus animalibus, & neruis, quibus præcordia mouentur. Siquidem in passionibus animi spiritus animales per neruos inordinatè influunt, ac deprauatut

quan-

quandoque præcordiorum motus, ideoque ſanguis intrà ipſa præcordia, veluti mare ventis agitatum, in varias fluctuationes compellitur, vt eleganter demonſtrat *VVill. de anim. brut. cap. 9.* Sic
50 autem perturbatus † ſanguis facilè venenum peſtilens, vel ab aere, vel per contagium ſuſcipit. Inter alios verò animi motus, ira val-
51 de efficax eſt, etenim ſanguis in ira, † veluti mare efferueſcit, ac in præcordijs inſigni æſtu, & ebullitione exagitatur, ideoque in peſtilenti conſtitutione luem ipſam accelerare poteſt, vt notat *Sennert. pract. lib. 6. p. 2. cap. 4.* vbi ſe plurimos propter iram morbos contraxiſſe in praxi obſeruaſse teſtatur; nec ſolum per ſe ipſam ira noxia eſt, verùm, vt *Paul. Zachia notat. lib. de morb. hyppocond. c. 18.* quatenus in melancholicis hominibus diuturnum excitare ſolet odium, & liuorem, quos ſanè affectus pernicioſiſſimos eſse docuit *Lyricus* hiſce carminibus.

Liuor tabificum malis venenum
Intactis vorat oſsibus medullas,
Et totum bibit artubus cruorem.

52 Triſtitia † quoque, & animi dolor in peſtilenti conſtitutione mirabiliter luem, & mortem ipſam accelerant: cuius rei exemplum notatu dignum obſeruauit *Io: Baptiſta Bindius Medicus peritiſsimus* anno 1656. 17. Iunij in Noſocomio Centumcellenſi, vbi Stephanus Ligur ab Ærycis portu poſtquam triſte nuncium de binis eius filijs a Turcico Pyrata captis accepiſſet, dolore preſſus, ac febricula, cum quadam anorexia, & alui fluore perijt.

Verùm, etſi quælibet animi perturbatio in peſtilenti conſtitutione noxia ſit, nulla tamen æquè peſtifera eſt, ac terror, qui vi-
53 res, & † animos nimium frangit *ex Galen. de trem. & palpit. cap. 3.* ceciniitque *Ouidius in faſt.*

Et cunctis vires ſubtrahit ipſe timor.

Mirabilia quidem apud auctores de terrore legimus, præſertim
54 verò *ex Plin. & Galeno* quandoque homines † terrore correptos ſubitò perijſse, cuius rei cauſam affert ipſe *Galen. 2. de ſimpth. cauſ. prope fin.* vbi docet in timore, ſpiritus, & ſanguinem intus ſe ſe recipere: ſubditque paulò inferiùs repentinam mortem ſubito terrore fieri, vbi debilis ſuapte natura calor natiuus, ac ſpirituum ſyſtaſis ſub valida perturbatione confeſtim extinguitur, & ſuffocatur. Non abſimili ratione omnes timoris effectus explicant recentiores Phyſici, quatenus ſcilicet in hoc graui pathemate ſpiritus veluti fuga perculſi, & conſternati conſueras functiones deſerunt: intereà præcordiorum motus propemodum ceſsat propter conſternationem ſpirituum animalium, ideòque ſanguis, ceſſante motu, intrà vaſa

vasa, quasi stagnare cogitur; quod si hæc accidentia timor præfefert, facilè suadetur in pestilenti constitutione maximè exitiosum fore. Quinimò † tantam habere creditur energiam, vt hunc
55 sum fore. Quinimò † tantam habere creditur energiam, vt hunc inter præcipuas causas Pestis nonnulli recenseant; inquit enim ex nostris *Ripa tract. de pest. cap.* 4. suboriri quandoque Pestem ex tristi imaginatione comitata timore, nam *spiritus tristis*, subdit, *viscera conturbat, & casum facit imaginatio*. Celebris etiam est inter Medicos sententia *Vanhelmontij*, qui vnicam Pestis causam inter-
56 nam efficientem, vult esse † terrorem *Archei*, siuè *Archeum* Pestis horrore territum, cæteras causas merè occasionales esse; hoc autem *Archei* nomine intelligere videtur auram quandam vitalem omnium agendorum in corpore humano directricē, & Pestem eatenus generari putat, quatenus spiritus syluester veneno tinctus, siue, vt alij loquuntur, pestiferum miasma terrorem incutit *Archeo*, qui postea de se profert imaginem terroris, illamque ideam in particula propriæ suæ substantiæ, in qua concipitur, depingit: mox hæc perturbatio *Archei* impetum facit in humorem vltimæ digestionis ipsumque peruertit, qui postea degener factus, & ab *Archeo*, relictus
57 ceù mortuus, fit ipsius Pestis nidus. Præterea inquit solam † imaginationem hominis a Peste perterritam esse causam sufficientem, & adæquatam ipsius luis, dummodò cum imaginatione sit coniuncta quædam fides inseparabilis, qua territus credat se aliquid veneni pestiferi contraxisse. Hæc est sententia *Helmontij*, qui cum Platonicis asserit generationes fieri ex inuisibili, & incorporeo principio, siuè a mundo intelligibili, vt loquebatur antiquitas, & philauthiam quandam esse in natura, qua vnumquodque seipsum amat, fugitque auersa obiecta, amplectitur amica; ideoque ait non solum animalia, sed plantas etiam, immò & mineralia suo
58 modo imaginari, & semina omnia † fœcunda fieri per imaginem, siuè ideam illis ab imaginatione impressam, vnde infert semina Pestis hac etiam ratione produci. Quæ autem de hac re affert *Helmontius* saltem comprobare videntur, pauidos, ac perterritos homines mirabiliter pestilens venenum contrahere. Iam vero de syderum influxibus agere aggrediemur, quærendo scilicet an & ipsi causa Pestis esse possint.



CAP.



CAP. CCLI.

ARGVMENTVM.

AGitur de Syderum influentijs, de Eclipſibus, & Meteoris, quæ aerem corrumpere dicuntur. Cœleſtia corpora in elementarem Orbem agere conuincitur. Aſtrologorum opiniones circa Peſtis cauſam reijciuntur, & oſtenditur nulla eſſe in Cœlis Aſtra maligna, Peſtem verò non immediatè, ſed mediante temporum mutatione ab Aſtris, vt cauſis vniuerſalibus produci.

SVMMARIVM.

1 *Aſtrologi Peſtem attribuunt malignis influxibus Saturni, & Martis, Eclipſibus, & Cometis.*
2 *Cœleſtia corpora in ſublunaria operantur, eaquè gubernant.*
3 *Sol conſtituit anni tempora, Solſtitia, & Æquinoctia.*
4 *Lumen cœleſte generat, æthereoque calore viuificat.*
5 *Cœlum generationibus præeſt, veluti Pater; elementa, veluti Mater.*
6 *Cœli in generationibus mixtorum ſunt principia actiua; elementorum qualitates ſunt veluti materiæ diſpoſitiones.*
7 *Cœleſtia corpora alias, præter lumen, producunt qualitates.*
8 *Stellæ omnes, vel ſaltem Planetæ ſpecie differunt.*
9 *Stellæ ſingulæ diuerſas vires a natura obtinuerunt, & quare?*
10 *Aſtrorum diuerſitas non a lumine, ſed aliundè eruitur.*
11 *Pleiades pelagum ſedare dicuntur.*
12 *Hyades pluuiarum ſtellæ vocantur in Sacris litteris.*
13 *Lunæ varij effectus recenſentur.*
14 *Lunæ effectus non ſolius luminis, ſed alterius influentiæ ſunt, & quare?*
15 *Podagra laborantes, alijque ægroti quidam, Lunæ quadrata maximè ſentiunt.*

16 *Maris æstus in nostro hemisphærio excitatur a Luna, quando ipsa in hemisphærio inferiori, & in puncto mediæ noctis est.*
17 *Anni tempora fiunt a consueto Solis motu, vt num.* 3.
18 *Stellarum aspectus obseruant Nautæ, & Agricolæ, vt mutationes temporum cognoscant.*
19 *Astrorum obseruationes conferunt sanandis corporibus.*
20 *Astrologi influxus diuidunt in maleficos, & beneficos; & duo Planetarum genera constituunt.*
21 *Planetæ benefici dicuntur Iuppiter, & Venus.*
22 *Planetæ malefici existimantur Saturnus, & Mars.*
23 *Luna, & Mercurius ancipitis naturæ sunt.*
24 *Sol dicitur fortuna per corporalem coniunctionem, infortuna per aspectum.*
25 *Aere non mutato in primis qualitatibus, Pestis quandoque fit, vel contagione, vel terrenis effluuijs.*
26 *Sydera ex Astrologorum sententia possunt aerem corrumpere, nulla facta euidenti mutatione.*
27 *Morbis diuinum quid inest ex* Hippocrate, *quod a* Galeno *explicatur.*
28 *Saturnus, Iuppiter, & Mars, vel ex ijs duo in humanis, vel alijs quibusdam signis coniuncti, Pestem efficere dicuntur.*
29 *Planetarum maligni influxus ab aspectu benefico impediuntur, secundum Astrologos.*
30 *Saturni, & Martis coniunctioni Florentina Pestis attributa est a Ficino.*
31 *Astrologi Pestem prædixerunt anno* 1347.
32 *Eclipses, si cum malis constellationibus fiant, Pestem promouere dicuntur, & quare?*
33 *Eclipses humiditatem pariunt, & quomodo?*
34 *Eclipses Solis, & Lunæ præcesserunt Pestem anni* 682.
35 *Eclipsis magna Solis fuit ante generalem Italiæ Pestem* 1448.
36 *Eclipses Solis, & Lunæ præcesserunt Florentiæ Pestem anno* 1478.
37 *Eclipsi Solari facta anno* 1630. *Pestis exacerbata fuit.*
38 *Cometæ, cæteraque ignea meteora Pestis causa censentur.*
39 *Meteora ignea Pestem præcesserunt anno ab V. C.* 290.
40 *Ignei Dracones obseruati ante Pestem anni* 788. *in Anglia.*
41 *Cometæ duo portenderunt Pestem, quæ anno* 726. *Byzantium afflixit.*
42 *Cometa diuturnus in sanguinem visus conuerti, Pestem, & famem induxit anno* 1121.
43 *Cometæ Pestem, vel efficiunt, vel portendunt.*

44 *Cæ-*

44 *Cœleſtia corpora, vt cauſæ vniuerſales ad Peſtem concurrunt.*
45 *Stellas malignas in Cœlo falsò adſtruunt Aſtrologi.*
46 *Aſtrologi humanas actiones ab aſtris deducere falsò præſumunt.*
47 *Aſtrologorum præſagia re, & euentu refelluntur.*
48 *Aſtrologia non ſcientia, ſed vanitas appellatur a SS.PP., & a Sanioribus Philoſophis non admittitur.*
49 *Cœlum innoxium eſſe demonſtratur.*
50 *Mars, etſi calidus ſit, non tamen maleficus dici poteſt.*
51 *Saturnus frigidus ſupponitur, attamen cum Marte iunctus Peſtis cauſa non eſt.*
52 *Planetæ ſi Peſtem producerent, non poſſent eam in vno loco magis, quàm in alijs producere.*
53 *Planetæ non in hoc, vel illo ſigno malefici fiunt.*
54 *Zodiaci ſigna humana nullum reſpectum ad homines habere oſtenditur.*
55 *Aſtronomiæ origo a Chaldæis.*
56 *Aſtronomia antiquior Aſtrologia.*
57 *Planetarum coniunctiones, quæ maleficæ dicuntur, non ſemper peſtilentias præceſſerunt, nec ſemper ijs peſtilentia ſucceſſit.*
58 *Mars, & Saturnus in ſuſpectis ſignis coniuncti anno* 1568. & 1570. *nullam Peſtem intulerunt.*
59 *Mars, & Saturnus non efficiunt Peſtem, ſecundum Aſtrologos, quando a fortunis bono aſpectu reſpiciuntur.*
60 *Saturni, & Martis coniunctio in Aquario anni* 345. *optimos habuit fortunarum aſpectus, & tamen Peſtis ſucceſsit, contra Aſtrologos.*
61 *Synarum gentes Peſte non vexantur, licèt Marti, Saturno, ſignisque humanis ſubiecti ſint.*
62 *Peſtis ſæpe fit ſine mala coniunctione Planetarum, idque probatur exemplis.*
63 *Peſtis Baſileam quolibet decennio corripit.*
64 *Peſtilentiæ familiares Byzantio, & Memphi ſunt.*
65 *Stellas per ſe malas fuiſſe a Deo creatas, impium videtur aſſerere.*
66 *Sydera omnia ſimpliciter benefica ſunt.*
67 *Venenatas qualitates cœlitùs non defluere, ſed omnes influxus eſſe benignos comprobatur auctoritatibus.*
68 *Stellæ, nec maleficæ ſunt natura ſua, nec tales fieri poſſunt.*
69 *Planetarum aſpectus, vt cauſæ vniuerſales Peſtem producunt, anni temporibus mutatis, non per influxus malignos.*
70 *Stellarum multiplicitate Mundus in quodam æquilibrio conſeruatur.*

Arabes

1 Rabes Medici, & Astrologi † omnes, mordicùs affirmant aerem inquinari, & pestilentem fieri ex maligno stellarum influxu, cuiusmodi esse inquiunt coitum Saturni, Iouis, & Martis sub signis humanis, puta Virgine, & Geminis, idque tùm præsertim contingere, cum Luminaria Eclipses patiuntur, vel insolita coincidunt Meteora, & Cometæ, quos neutiquam apparere putant, quin epidemici morbi, aliauè mala in Mundo elementari subsequantur, vnde ille peruulgatus *Claudiani* versiculus.

In Cœlo nunquam spectatum impunè cometam.

2 Hæc verò, vt explicent Astrologi, supponunt in primis † cœlestia corpora in elementarem orbem suis influxibus agere, quod quidem, & apud Philosophos ratum est, ac innumerabilium effectuum obseruatio demonstrat, inferiora corpora gubernari a superioribus, vt ipse *Aristoteles* docuit 1. *meteor. c.* 2. necessariò inquiens Mundum hunc superioribus lationibus contiguum esse, vt omnis
3 ipsius virtus indè gubernetur. Sic Sol † pro maiori, vel minori distantia, qua magis ad nos accedit, vel recedit, obliquè, vel directè in terram suos radios effundens, quatuor constituit anni tempora, Æquinoctia Vere, & Autumno, Æstate autem, & Hyeme Sol-
4 stitia, & hinc diffusum perpetim † lumen generationum vicissitudines molitur, æthereoque calore viuificat, vt *Aristoteles* docet *lib.* 2. *de generat. animal. cap.* 3. & *Fernel. de abdit. rer. caus. lib.* 2. *cap.* 8. Quarè *Diuus Dionysius de Solis lumine*, inquit: *Ad generationem sensibilium corporum confert, & ad vitam ipsam mouet, nutrit, auget, ac perficit.* Tandem apud omnes vulgata sententia
5 est, vel ab ipsis Poetis decantata, Cœlum † videlicet ad hasce inferiorum generationes veluti Patrem se habere, eo quòd suo influxu elementa fœcunda reddat; terram verò, ac elementa, veluti matrem, iisdem generationibus materiam præbere; quod fusè ostendit *Fernel. de abdit. rer. caus. cap.* 1. *& alibi.* Et *San-*
6 *ctus Doctor quæst.* 115. *art.* 2. *ad* 2. cœlestia corpora † actiua esse principia generationum omnium expresse affirmat, elementorum autem qualitates, tanquam materiæ dispositiones, ad mixtorum formas generandas concurrere.

7 Non solo autem lumine, † quod nobis, vel ex se immediatè largiuntur sydera, vel a Sole susceptum reflectunt, in hæc inferiora operari asserunt Astrologi, & plerique Philosophorum, sed etiam alias, tùm manifestas, cum abditas qualitates producere; si enim
8 Stellæ † omnes, vel saltem Planetæ singuli inter se discrepant

specie

ſpecie, & natura, vt ex grauiſſimis Auctoribus, varijſquè obſerua-
tionibus comprobat *Kircherus in Itinerar. eſtatic.* diuerſas quoque
9 ſingulæ ſtellæ † vires a propria natura obtinuerunt; quia ſicuti ope-
rari ſequitur eſſe, ita diuerſum eſſe diuerſum operari; cum autem in
10 lumine ſtellæ non differant, ſed potiùs conueniant omnes, † ea-
rum ſpecificam diuerſitatem aliundè erui neceſſe eſt, totque ſyde-
11 rum vires in varijs influentijs conſiſtere. Sic Pleiades † dicuntur
12 pelagus ſedare, Hyades † pluuiarum ſtellæ, vel a Sacris literis
13 nuncupantur, atque inter Planetas, Luna † menſes in mulieri-
bus excitat, æſtumque maris molitur, ſementationem, arborum-
que cæſionem ſtatis temporibus indicat, medullas animalium
plena adauget, tenuata adimit, illoſque demùm ſacros morbos,
quibus homines attoniti cadunt, aliaſque infirmitates concitat; qui
14 ſanè effectus † non ſolius luminis, & motus, ſed alterius influen-
tiæ videntur eſſe, ſiquidem fieri ſolent etiam vbi Lunæ lumen de-
ſideratur; & cum adhuc Luna ſub Orizonte latet, effectus pun-
ctorum Lunarium, puta quadraturarum, maximè ſentiunt qui po-
15 dagra laborant, † alijque ægroti, vt Medici hucuſque obſerua-
16 runt. Mirabiles etiam aquarum intumeſcentias, ſiuè † æſtum
marinum Luna potiſſimùm excitat in noſtro hemiſphærio, cum in
hemiſphærio inferiori in puncto mediæ noctis reperitur; vndè per
alios influxus a luce diſtinctos ipſam operari ſatis conſtat.
17 Prætereà maximæ temporum mutationes varijs † huiuſmodi
Cœlorum influentijs tribuendæ ſunt, nam ſicuti conſuetæ mutatio-
nes, quæ ſtatis anni temporibus fiunt, ab annuo Solis motu oriun-
tur, ità maxima annorum diuerſitas, qua vnus valde ſiccus, &
ſqualidus eſt, nonniſi ab influentijs prædictis pendere poteſt,
quæ ſub vno magìs, quàm ſub alio Planetarum aſpectu notabilem
in ſublunaribus alterationem ciere valent; non enim a conſue-
to Solis curſu pendere poſſunt hæ inſignes tempeſtatum alteratio-
nes, cum Sol per eadem Zodiaci ſigna ſingulis annis, inuariato
curſu procedat. Idcirco Nautæ, & Agricolæ, vt mutationes
18 temporum cognoſcant, † ſtellarum aſpectus obſeruant *Maronis*
monitu 1. *Georgic.*

Cœli motus, & ſydera ſerua,
Frigida Saturni ſe ſe quo ſtella receptet
Quos ignis Cœli Cyllenius erret in orbes.

Et paulò inferius.

Atque hæc vt certis poſsimus diſcere ſignis
Æſtuſque, pluuiaſque, & agentes frigora ventos,
Ipſe Pater ſtatuit, quid menſtrua Luna moneret

Quo signo caderent Austri.

19 Et Medici etiam docent sanandis corporibus † astrorum obseruationes conferre *ex Hippocr. lib. de aere aqu. & loc.*, *& lib. 1. de diet. & 2. epid. sect. 1.*

Suppositis itaque varijs huiusmodi Cœlorum influentijs, hasce in
20 beneficas, & maleficas dirimunt † Astrologi, & veterum Chaldæorum, atque Ægyptiorum placitis inhærentes, duo Planetarum genera constituunt: alios salutares, ac temperatos vocant,
21 siue bonas fortunas, † suntque Iuppiter, Venus; alios verò intem-
22 peratos, & maleficos appellant, † Martem scilicet, & Saturnum;
23 Luna enim, & † Mercurius (vt aiunt) ancipitis naturæ sunt; Sol ve-
24 rò est fortuna † per corporalem coniunctionem, infortuna per aspectum *Andr. Argol. Astronomic. lib. 1. c. 8.* Quòd verò ad Pestem attinet, hanc semper ab occulto, & maligno sydeum influxu deriuare putant: & cum pestilentes morbi sæpè fiant nullo calidi-
25 tatis, vel humiditatis præcedente † excessu, immò quandoque purior aer, quàm in reliquis constitutionibus non pestilentibus appareat, morbos huiusmodi pestilentes, non contagione, aut effluuijs terrenis fieri volunt, quod probabilius videtur, sed potiùs ex mali-
26 gno sydeum influxu oriri contendunt, & putant sydera † posse aerem corrumpere, nulla facta eiusdem euidenti mutatione quò ad primas, vel secundas qualitates, iuxtà id, quod *Auuicennas* tradidit *immutari aerem malo quodam modo, vt homines interficiat*. Quinim-
27 mò hoc aiunt diuinum illud esse, quod † in morbis agnouit Hippocrates, & Galeno interprete in aere quidem est, sed à Cœlo, minùsque manifestis causis producitur. Tunc autem pestilentias fieri
28 volunt, † quando Mars, Iuppiter, & Saturnus, vel ex ijs duo in signis humanis coniunguntur, qualia sunt Virgo, Gemini, Aquarius, & prima Sagittarij medietas, nec non si sub signis Libræ, Piscium, Arietis, Scorpionis huiusmodi coniunctio fiat, vt ex Medicis etiam sentiunt *Odd. de Odd. de pest. cap. 10. & Lazar. Riuer. cap. de febr. pestil.* Quando autem salubres opponuntur aspe-
29 ctus, maligni † Planetæ influxus, vel præpeditur, vel compescitur iuxta Ægyptiorum præcepta. Florentina Pestis anni 1478.
30 Saturni, & Martis † coniunctioni attribuitur à *Marsilio Ficino*, qui occasione illius epidemiæ antidotum epidemiarum inscripsit, & Pestem illam, totius penè Orbis flagellum, anni 1347. prædictam
31 fuisse ab Astrologis † refert *Io: Villanus lib. 12. c. 87.*, eò quòd Mercurius, eius anni Rector, initium fecerit in signo Arietis, & in octaua Domo, quæ domus Mortis appellatur.

32 Luminarium insuper defectus, seù Eclipses, † quamuis per se

Pestem

Peſtem non pariant, ſi tamen cum præfatis coniunctionibus fiant, ex eorundem ſententia, celeriùs ipſam luem promouere poſſunt; manca enim, & imperfecta reddunt hæc ſublunaria, quę ętherco lu-
33 mine indigent; præterea Eclipſes † omnes humiditatem faciunt; Luna quippe humida eſt, ideoque ſi Lunaris contingat Eclipſis, terra inter Solem, & Lunam poſita, non permittit Lunæ humiditatem compeſci Solaribus radijs: ſi autem Solaris Eclipſis fiat, Luna ipſa inter Solem, & terram ſiſtens, non permittit ſuam humiditatem a Sole contemperari in hemiſphœrio, quo nos reſpicit. Neque deſunt exempla, quibus conſtat peſtilentiam poſt Eclipſes irrepſiſſe. Siquidem anno ſalutis 682. ſub fine Pontificatus Agathonis, Conſtantino IV. imperante, Peſtem, quæ in Italia, & Vrbe potiſſimùm
34 ſæuijt, præceſſiſſe legimus ambas Solis, & Lunæ † Eclipſes *teſte Paul. Diac. de geſt. Longobard. lib. 6. cap. 2.* Magna etiam Solis
35 Eclipſis † fuit ante generalem Italiæ Peſtem, quæ Nicolai V. tempore graſſabatur, anno 1448. *Tarcagnot. lib. 19. part. 2. Platin. in*
36 *vit. Nicolai V.* Et anno 1478. Solis, & Lunæ † Eclipſes obſeruatæ fuerunt ante Peſtem Florentinam, de qua *Marſil. Ficin. antid. epi-*
37 *dem. cit.* Mirabilis etiam † Eclipſium vis hoc noſtro æuo eſt obſeruata, anno ſcilicet 1630., dum lues Parmam populabatur, Sol propè occaſum Eclipſim paſſus eſt die 10. Iunij hora 23. min. 11. ſub Martis dominio, & ſtatim exacerbato morbo, quintuplo maior ſtrages poſt Eclipſim increbuit.

Ad hoc etiam cauſarum genus referunt alij pleraque Meteora,
38 Cometas † ſcilicet, Capras ſaltantes, Dracones volantes, Dumos ardentes, cæteraſque igneas impreſſiones. Hinc *Liuius lib 3. dec. 1.*
39 cum anno ab Vrbe condita 290. æſtatis tempore † Cælum ardere viſum fuiſset, ſub eiuſdem anni finem, & ſequentis initium, ortam enarrat grauem peſtilentiam, & *Ranulph. lib. 5. cap. 28. policron.*
40 in Anglia viſos fuiſse, inquit, Dracones † igneos anno ſalutis 788.,
41 quos peſtilentia ſubſequuta fuit. Duo inſuper Cometæ † Peſtem illam præceſserunt, quæ anno 716. Byzantium inuaſit, & afflixit, vt refert *Gratiol. catal. de peſt.* Præterea, ſedente Caliſto II. Pontifi-
42 ce, imperante Henrico V. terribilis † apparuit Cometa per quadraginta dierum ſpatium, qui demum in ſanguinem viſus conuerti Peſtem ſimul, & famem induxit, vt refert *Cælinus Pintus de peſt. part. 1. cap. 14.* Alia exempla adducit idem *Cælinus Pintus loc. cit.*
43 *& alibi*, quibus conſtare videtur Cometas, † cæteroſque ignes peſtilentiam efficere, vel ſaltem portendere, vt fuſiùs in Cap. de præſagijs.

Hæc, & ſimilia eorum ſententiam comprobare videntur, qui huius

huiuſmodi calamitatem in Cœlum retorquent; verùm, licèt ad
44 peſtilentes conſtitutiones cœleſtia corpora, † vt cauſæ vniuerſales,
concurrant, ac multùm operari poſſint ipſorum influentiæ ſub aliquibus
præſertim aſpectibus, falsò tamen malas fortunas, & ma-
45 lefica ſigna in Cœlis adſtruunt Aſtrologi, † aliaſque fabulas adinueniunt,
quibus explicare nituntur Peſtis originem. Et quod impium
46 eſt, humanas actiones, † quæ libera voluntate fiunt, ab aſtris deducere
præſumunt. Enimuerò illas vanas eſſe, ac ridiculas ineptias
iam nemo Philoſophorum eſt, qui non videat *Cicero de diuinatione lib. 2.* meminit multa Pompeio, multa Craſſo, & ipſi Cæſari
a Chaldæis dicta fuiſſe, neminem ſcilicet eorum, niſi ſenectute,
niſi domi, niſi cum claritate eſſe moriturum; nec mirari deſinit
quemquam reperiri tam craſſæ Mineruæ, vt etiamnum credat
47 Aſtrologis, † quorum prædicta quotidie videat re, & euentu refelli.
Haſce fabulas præ cæteris acerrimè deteſtantur, ac impugnant
Diuus Auguſtinus lib. 5. de ciuit. Dei, & enarrat. 2. in pſal. 31. confeſſio. lib. 4. cap. 3. & lib. 5. cap. 3. Diuus Baſilius, qui validis ratio-
48 nibus oſtendit, † ipſam non eſse ſcientiam, ſed vanitatem. *Ambroſius*
qui inutilem, & impoſſibilem vocat, ac Patres omnes vnanimiter.
Inſuper ex Philoſophis *Picus Mirandulanus* nemini ſua tempeſtate
ſecundus *lib. 3. aduerſ. Aſtrolog.*, ac maximè *Anton. Merenda*
in libello Italicè inſcripto *La diſtruttione de' fondamenti dell' Aſtrologia giudiciaria*.
49 Neque rationes deſunt, ac experimenta, quibus † Cœlum
50 malignitatis expers demonſtratur. Et ſi enim Aſtrologis conceda-
51 tur Martem † eſse calidum, Saturnum † verò frigidum, vt inquit
Ptolomeus 1. de Iudicijs cap. 4. non tamen videtur quomodo
poſsint hi Planetæ maligni eſse, atque peſtem producere, ſed ratio
potiùs ſuaderet, ex eorum coniunctione alterutrius extremas
qualitates compeſci, quàm maleficos effectus procreari. Si verò,
52 vt aiunt, † aliquid ignotæ virulentiæ ſydera influerent, non tamen
eſset perceptibile, quo pacto in hac potiùs, quàm in altera
Regione, in hac potiùs Ciuitate, quam in altera, eaſdem diſpoſitiones
habente, Peſtem excitare poſsent, niſi canalis, vel tubus aliquis
(vt inquit *Helmontius de Peſte*) per aera ſupponatur a Cœlo
ad nos vſque protenſus, per quem huc potiùs, quàm illuc influxus
veniant. At ſæpè videmus, dum Vrbs, aut Prouincia quædam
Peſte laborat, cæteras Regiones, & Vrbes eidem ſigno Cœli
ſubiectas immunes eſse. Neque eſt perceptibile in hoc potiùs, quàm
53 in altero ſigno per ſe maleficos eſse Planetas, † immò falſum eſt
54 quod vulgo credulo ſuadent Aſtrologi, Zodiaci † ſigna quædam
reſpectum

reſpectum ad homines habere, vt Virgo, & Gemini, eo quòd hominum nomina obtinuerint. Nam vt rectè inquit *Carolus de la Font Pariſienſis de peſt. cap.* 6. ea nomina humana, ſignis illis merè ad libitum fuerunt impoſita ab antiquis Chaldæis, pri-
55 mis † Aſtrorum ſpeculatoribus, qui, vt Cœlum accuratè cognoſcerent, ac vias omnes, quas Planetæ ordinario ſuo motu percurrunt, ſigna fixa notauerunt, ad quæ mobiles Planetæ variam diſtantiæ relationem haberent in ſuo curſu ordinario, ideòque nomina ſignis illis, vel conſtellationibus merè ad libitum impoſuerunt, attenta earum figura, priuſquam proprietates, & effectus ſiue influentias obſeruare potuerint; cum Aſtronomia ex om-
56 nium † conſenſu ſit Aſtrologia antiquior; quòd ſi mero Chaldæorum arbitrio ea nomina adinuenta ſunt, abſonum videtur, ac indignum Philoſopho aſſerere, quod ſigna humana realem vim, & reſpectum ad homines obtinuerint propter nomen humanum, quod per accidens illis fuit appoſitum, idemquè reſpectiuè dicendum eſt de cæteris ſignis.

Fruſtra inſuper ad obſeruationes, & experimenta confugiunt Aſtrologi, quæ incerta nimis ſunt, ac non minùs ipſis, quàm oppoſitę ſententiæ Auctoribus fauent. Varijs enim cònſtat exemplis non
57 ſemper † luem coniunctionibus illis Planetarum ſucceſſiſſe, neque ſemper allatas coniùnctiones præuias peſtilentijs fuiſſe; nam hoc ſæculo quaſdam Iouis, & Saturni magnas coniunctiones ſub ſignis humanis abſque Peſte oſtendit *Carolus de la Font loc. cit.* vbi
58 acriter contra Aſtrologos diſſerit. Aliaſque Martis, & † Saturni coniunctiones præteritum ſæculum vidit anno ſcilicet 1568. 17. Iulij in Virgine, & anno 1570. die 30. Iulij in Libra, quo anno duo inſuper Eclipſes apparuerunt 20. Februarij, & 15. Auguſti, cum tamen hiſce temporibus nulla Peſtis ſubditas prouincias, aut Vrbes apprehenderit. Quòd ſi Aſtrologi, & cum ijs Guainerius reſpondeant non fieri Peſtem a malis influxibus, quando Fortunę, vt aiunt,
59 bono aſpectu præfatas † Martis, & Saturni coniunctiones reſpi-
60 ciunt; certè coniunctio Saturni, & † Martis in Aquario anni 1348. a *Ficino* relata *in antidot. epidem.* non poterat ſecundùm Aſtrologorum regulas Peſtem efficere, quia Iouis, Fortunæ maioris corpus aderat, & Saturnus in Aquario propria domo erat conſtitutus, vbi propter multas dignitates Aſtrologicas, quas ibi habere ferunt, fortunatus exiſtimatur, & nihilominùs Peſtis ſubſequuta eſt. Vnde patet ſibimet ipſis Aſtrologos contradicere. Præterea ſi vera refert ex Ieſuita Trigantio *Helmontius tumul. peſt. cap.* 4. la-
61 tiſſimum Synarum † Imperium conſtitutiones peſtiferas numquam

agnouit, cum tamen idem Saturnus, idemque Mars, æquè poten-
ter, ac nobis præsint, ac sub ijsdem signis humanis suo tem-
pore coniungantur, absque eo quòd ab vllo Fortunarum aspectu
eorum influxus cohibeatur.

62 Ex opposito autem multoties fit Pestis † etiam si coniunctio-
nes allatæ non præcesserint; indifferenter enim diuersis tempori-
bus pullulauit quandoque morbus, & continuò alicubi serpit nullo
ex ijs Planetarum aspectibus apparente. Anno siquidem 1576. nul-
la fuit eiusmodi coniunctio, & nihilominùs dira lues Italiam affli-
63 xit. Basileam † quibuslibet decem annis Peste corripi refert *Fe-*
lix Platerus lib. 2. obseruat. in febrib. pag. 325. Byzantium quoque
64 familiares † pestilentias habet, idemque refert de Memphi *Pro-*
sper Alpinus lib. 1. *de medic. Ægyptior. cap.* 15., qui neque minùs
verum esse inquit per septennium ibi Pestem nasci, vel reuiuiscere:
neque tamen quolibet septennio, vel decennio præcisè Mars, &
Saturnus sub signis humanis coeunt.

Falsum itaque est, quod Astrologi fabulantur, malas nempè hu-
iusmodi Fortunas in Cœlo esse: immò videtur impium asserere
65 Deum boni † Auctorem stellas quasdam per se malas creasse, contra
Sacrum Textum *Geneseos*: *Vidit cuncta quæ fecerat, & erant valde*
66 *bona*. † Sydera enim hisce rebus conseruandis præsunt, cuncta-
que sibi subiecta æthereo calore fouent, immutabili quadam varie-
tate, & æqualitate gubernant, eorumque actiones beneficæ sim-
pliciter sunt, conseruantes, viuificantes, omniaque alia beneficia
præstantes, quæ ad Mundi perfectionem faciunt.


Idque suadent Philosophorum auctoritates, quibus manifestè
67 comprobatur nullas venenatas † qualitates cœlitùs effundi: ait
enim *Plato in Epinomide* Astrorum concursus semper bonum in
hæc inferiora diffundere, eaque esse quoddam genus absque per-
nicie, sempiternaque corpora ab omni Contagione alienissima, il-
larumque naturam esse visu pulcherrimam, progressu, & chorea
optima vtentem, quæ commoda cunctis animalibus elargiuntur.
Idemque *loc. cit. pag.* 986. *lit. A. D.* Cœlorum virtutes recensens,
stellarumque naturam admirans sorores omnes appellat, & nefas
cuicumque putat existimare harum alias esse legitimas, alias ille-
gitimas. *Chalcidius* quoque *in Thimeo eiusdem Platon.* nullum a
68 stellis malum oriri asserit, nullasque stellas † esse maleficas, cùm
sapientiæ cœlestis plenæ sint, neque a propria natura degenerare
posse, aut maleficas fieri, si essentialiter bonæ sunt. *Arist. 9. met. c.* 10.
asserit in ijs, quæ sempiterna, atque æetherea sunt, nullum malum,
neque errorem inueniri: quod Proclus confirmat *lib. de anim. &*
demon.

demon. cap. 37. *Iamblic. de mist. Ægyp.* huius quoque mentis fuit ex Medicis doctissimus *Laurentius*, qui *lib. de crisib. cap.* 6., inquit, *Numquam a Cœlo mors, sed a materia elementari, cum vitio proprio numquam inferiorum corporum tumultus a Cœlo fiant, sed a materiæ motibus inordinatis, Cœlestis harmoniæ legibus non obsequentibus, quæcumque in regione sublunari contingunt mala, tumultuantis potius, & deficientis materiæ opera sunt, quam benigni Cœli, & in cœlesti demum illa harmonia, quæ ex luminarium omnium conspiratione resultat, omnia perpetuò consonant, per eam nihil in sublunari mundo vnquam dissonat. Quod si asperum, & discors quippiam audiatur, id non ad Cœli tactum refertur, sed ad quatuor istas sublunaris cytharæ chordas.*

Quia verò tempestates anni, earumque mutationes ab Astris pendere diximus; non negamus quod pestilentiæ a mutationibus pro-
69 ductæ, Planetarum † aspectus tanquam primitiuas, & vniuersales causas recognoscant, vt intellexit *Auicennas* 1. 4. *tract.* 4. *cap.* 1. sed negamus, quod sydera peculiares, & malignos emittant influxus, qui aerem corrumpere valeant absque vlla euidenti, seù manifesta mutatione. Nullum quippe syderum genus malignum est,
70 sed ea omnia Summus † naturæ Opifex ad conseruationem Vniuersi constituit, quod tam varijs, ac inuicem dissidentibus naturis conflatum, tanta stellarum diuersitate indiguit, vt omnia in quodam veluti æquilibrio conseruarentur. Sed iam de his satis, superque diximus. Superest modò, vt inquiramus, an lues hæc Dæmonum, aut perditorum hominum arte excitari possit.

†





CAP. CCLII.

ARGVMENTVM.

Agitur de Peste Magica; nonnullæ referuntur pestilentiæ Dæmonum præstigijs inductæ, vel etiam manufactæ ab impijs hominibus. Quid valeant Cacodæmones, quidue possint venefici homines in ipsa lue producenda, vel propaganda, expenditur.

SVMMARIVM.

1 *Dæmonum malignitati Pestis occasio quandoque tribuitur.*
2 *Dæmones mali, naturali scientiæ dono id, & maiora possunt.*
3 *Dæmon malus ab Idolatris inuocatus sub nomine Iouis, ipsos Peste afflixit, cuius rei notatur historia.*
4 *Dæmones sub forma visibili Pestem Byzantij, & in alijs locis disseminauerunt anno salutis 544.*
5 *Venenorum mixtura, Pestis facta est a Matronis Romanis anno V. C. 422.*
6 *Venenatis puteis, & fontibus Hebræi Galliam Peste infecerunt anno salutis 1320.*
7 *Venefici tenuissimas acus in alios conijcientes ingentem stragem fecerunt Imperante Commodo.*
8 *Veneficijs Hebræorum imputata fuit Pestis, quæ orbem afflixit anno sal. 1348. & sacculi veneno pleni in puteis reperti fuerunt.*
9 *Venenatis puteis Pestem Atheniensium Thucidides attribuit.*
10 *Maga iam sepulta in Polonia, & Germania Pestem inducere dicuntur donec earum cadauera effodiantur, & capite obtruncentur, cuius rei adducitur historia.*
11 *Veneficis vnguentis renouata est Pestis Cassalli in Salessia, superiore sæculo, & quomodo.*

12 Chy-

12 *Chirurgus, Monacus, & Vespillo impijssima fraude Pestem Patauij disseminarunt elapso sæculo, & quomodo.*

13 *Pestis manufacta recensetur a Seneca inter atrocia scelera sui temporis.*

14 *Chirurgi Pestem fouebant noxijs vnguentis anno 1600. Taurini.*

15 *Medicus accersitus a Græcia, lucri auiditate, luem Panormi dilatabat, puluere ex pestiferis bubonibus parato, anno salutis 1626.*

16 *Venefico puluere, oleoque venenato, Pestis Mediolani propagata est anno 1630.*

17 *Dæmones mali cunctas naturæ vires, ac miscibilium rationes callent, & Magos edocent.*

18 *Dæmones vires suas exercent intrà latitudinem localis motus, non autem substantiam, vel qualitatem ex se producunt.*

19 *Dæmones mali transferre possunt Pestem de vno ad alium locum Deo permittente.*

20 *Dæmones mali possunt venenum pestilens applicare determinatis personis Deo permittente, prauia imagine terroris.*

21 *Dæmones mali nequeunt ex se luem producere, & quare?*

22 *Dæmones mali Pestem disseminantes Diuinæ vindictæ ministri sunt.*

23 *Deus ad punienda scelera prouocatus rarò Cacodæmones ministros vindictæ constituit.*

24 *Deus nos punire solet per Angelos bonos.*

25 *Dæmonum phantasmata omnia, quæ vulgo feruntur, non sunt facilè credenda, & quare?*

26 *Magica spectra multoties a Poetis finguntur pro materia Poematis.*

27 *Pestis manufacta an vnquam fuerit dubitatur, & quare?*

28 *Venefici omnes pœnam assequuntur suo crimini parem.*

29 *Magica Pestis fieri potest Contagij propagatione, aut venenorum mixtura, sed impropriè dicitur Pestis manufacta.*

30 *Venena ab Auctoribus cognita, contagione non propagantur, solo rabidi Canis, & Dryni serpentis excepto.*

31 *Venenum pestilens essentialiter contagiosum est, vel actu, vel potestate.*



1 Æmonum † malignitati occasionem Pestis quandoque nonnulli attribuunt, inter quos *Tertull. in Ap. cap. 22. & Philostrat. in vit. Apoll. Thyan.*
2 *Iamblich. in vit. Pithagor.* Nec † dubium est, quin Dæmones hæc, & maiora etiam possint proprio naturalis scientiæ dono; idque non raro effecisse historiarum monumenta testantur; Etenim primis temporibus Sacerdotij Diui Gregorij Taumaturgi, Vrbs, cui præsidebat, Neocæsarea in Ponto crudelissimam passa est pestilentiam, Dæmonum præstigijs inductam; scilicet, cum Populus ille Idololatriæ, ac superstitioni deditus quasdam ferias vniuersales, ludosque publicos Dæmoni cuidam domestico celebraret, vniuersa propemodum gente totius Regionis confluente ad publicum Vrbis Theatrum, vel ad propinquiora Orchestræ loca, com-
3 munis ab omni multitudine erupit vox, malum † Dæmonem, cui diem festum agebant, sub nomine Iouis implorantium, vt laxitatem Vrbi faceret, ac totius ciuitatis velut vnius oris clamor hic in altum ferebatur, *Iuppiter fac nobis locum*, quo audito Gregorius Taumaturgus mœsto corde illis prædixit laxitatem datum iri maiorem, quam peterent: Mox dira pestis conuocatam in Vrbe gentem excepit, àc demùm permittente Deo, superstitiosas gentis preces impleuit, namque spectrum Diabolicum ad ædes, quæ inficiebantur apparebat, donec omnes morbi causam Idololatriam fuisse manifestè cognouerint, tum Gregorius, precibus populi ad ipsum confugientis indulgens, domos, vbi spectra diabolica apparebant, ingressus, a Deo salutem totius Vrbis impetrauit, gentemque ad fidem orthodoxam conuertit, *Gregor. Nissen. in vita Thaumaturg.* Insuper dum sæuissima Pestis illa grassabatur, Iustiniano Imperante sub Pontificatu Vigilij anno salutis 544., in qua singulis diebus quinque millia funerum, & vel interdum decem millia in sola
4 Byzantina Regione adnumerabantur, phantasmata † Dæmonum humana sub specie apparebant, & cùm primùm quis Peste inficeretur, ille se ictu quodam, quasi percuti sentiebat. Compertum quoque est visibilibus formis indutos Dæmones ianuas domuum pestilentibus seminijs aspersisse *Procop. de bell. Persic. lib. 2. Agath. lib. 5. histor. Del Rio ad Senec. in Edip. cap. 36.* Ac reuera huiusmodi spectra apparuisse, Pestemque per Orbem disseminasse non sinè ingenti strage, legitur apud *Cedrenum Sigisbert. Euagr. Nicephor.* aliosque Ecclesiasticos.

Verùm, & Pestem hominum quoquè malitia, vel per fascinum, aut venenorum compositione manufactam, inaudita sæuitie, in ge-

in genus humanum debacchatam non priscis solùm, sed modernis etiam temporibus comprobasse videtur experientia. Huius rei
5 memorabilem † enarrat casum, *Liuius lib. 8. dec. 1. ad annum V.C. 422.* cuius verba referre licet, quia vt inquit *Prauidell. de pest. sub tit. de cater. ad salubrit. ciuit. pertinent. §. obuenit*, huiusmodi facinus non potest planiùs exprimi. *Quum Primores Ciuitatis similibus morbis, eodemque fermè omnes euentu morerentur, Ancilla quædam ad Q. Fab. Max. Ædilem Curulem indicaturam se causam publicæ pestis professa est, si ab eo fides sibi data esset haud futurum noxæ iudicium. Fabius confestim rem ad Consules, Consules ad Senatum referunt, consensuque ordinis fides Indici data. Tùm patefactum est muliebri fraude ciuitatem premi, Matronasque ea venena coquere, & si se sequi extemplo velint, manifestò deprehendi posse, sequuti Indicem, & coquentes quædam, medicamenta, & recondita alia inuenerunt, quibus in Forum delatis, & viginti Matronis, apud quas deprehensa erant, per viatorem accitis, duæ ex his Cornelia, & Sergia Patritiæ vtraque Gentis, cum ea medicamenta salubria esse contenderent, ab confutante Indice bibere iussæ, vt se falsum commentas arguerent, spatio ad loquendum sumpto, quum summoto poculo in conspectu omnium rem ad cæteras retulissent, haud abnuentibus & illis bibere, epoto medicamento suamet ipsæ fraude interierunt. Comprehensæ extemplo earum comites magnum numerum Matronarum indicauerunt, ex quibus centum septuaginta damnatæ.* Hactenus *Liuius*. Atrociorem pariter Gallia experta fuit pestilen-
6 tiam anno sal. 1320. † Hebræorum machinatione factam, cum ab illo Regno expulsi vindictam sumentes, puteos, fontes, atque cisternas veneficijs infecerunt, ex quibus propagata lue cateruatim gentes moriebantur, vt in Franciæ Annalibus legitur. Iterum Romæ, Imperante Domitiano, & rursus Imperante Commodo, vt refert *a Dione Xiphilin.* multa hominũ millia interempta sunt a Ve-
7 neficis, † qui acus tenuissimas venenis oblinitas in alios conijciebant. Pestis etiam quæ totum Orbem afflixit anno salutis 1348. fuit
8 Hebræorum † veneficijs imputata, vt ex multis Auctoribus refert *Baronius in Annalib. Ecclesiast. ad eum annum*, nam puteos, & fontes polluerunt, in quibus certè inuenti sunt sacculi veneno pleni.
9 Per hanc puteorum infectionem † credidere non pauci, & ipse *Thucidid. lib. 3.* factam fuisse olim Pestem Athenis, cuius alibi meminimus. Alias prætereà consimiles Pestes improborum hominum artificio procuratas referunt. *Nicephor. Zonar. Cedren. Mart. del Rio disquis. magicar. lib. 4. p. 1.* Ex Medicis verò *Cardan. lib. de venen. per tot. Hercul. Saxon. lib. de plic. cap. 11. lib. de pest. Sennert.*

lib. 4.

lib. 4. de febrib. cap. 11. de pest. caus., qui mirabilem, & vix credibilem Pestis magicæ speciem a fide dignis Auctoribus referunt, ni-
10 mirum † in Polonia, atque Germania non rarò pestes induci a vetulis Magis iam defunctis, atque humatis, quæ priùs non cessent, quàm earum cadauera effodiantur, & capite obtruncentur. Ita enim *Saxonia* loquitur. *Anno Domini 1572. peste per vniuersam Poloniam grassante, cum mulier quædam defuncta ex pago, Rezesna dicto, in suburbium Leopoliense aduecta, ad ædem Exaltationis S. Crucis sepulta fuisset, ac ex illa die pestis maximè circà illud templum sæuire cæpisset; qui sepeliendorum curam habebant non temerè suspicantes, Villanam aliquot antè diebus sepultam maleficam esse, cadauer eius effodiunt, quod cum nudum, & in ore reliquias vestium deuoratarum habens reperijssent, caput, vt moris est, pala peracuto ferro obducta absciderunt, iterumque terra obruerunt, ac pestis cessauit.* Idem refert *Suetonius loc. cit.*, quod si verum est, non sinè miraculo factum fuisse credimus, & pestem Deo permittente grassatam, donec supplicia post mortem mulier venefica vel in ipso cadauere lueret: idemque videtur dicendum de alijs huiusmodi casibus quos refert *Saxonia*, & *Sennert. loc. sup. cit.* Duo alia exempla eiusdem sæculi refert *ex Viero de præstig. Dæmon. Andr. Taurellus de peste Italica.*
11 *lib. 2.* scilicet quosdam † improbos Casalli in Salassia cooptato ad scelus carnifice Pestem mitescentem renouasse veneficis vnguentis, quibus portarum vectes illiniebant: indè coniuratione detecta, omnes exquisitissimis supplicijs peremptos, & confessos priùs, se in quadam pompa subsellijs perunctis vniuersos homines
12 perdere decreuisse. † Parauij autem cuiusdam Iudæi obseruatione detecta fuit impijssima fraus, scilicet quemdam Chirurgum Hispanum, & Fratrem Antonianum Patauinum, vnà cum Vespillone fœdus inter se iniuisse ijs legibus, vt Vespillo Contagium in Vrbe disseminando pestem aleret, Monacus ab ægris indagaret, quas in Nosocomium pecunias secum attulissent, Chirurgus demum diuites sub medendi prætextu, vel pharmaco, vel vstionibus interficeret. Plura insuper leguntur de pestilentijs huiusmodi apud incertum Auctorem in quodam tractatu, cuius est titulus *de peste manufacta*, quem manuscriptum non multis ab hinc annis vidisse meminimus, & hoc Pestis genus, etiam *Seneca lib. de ira* ap-
13 pellauit † *pestilentiam manufactam*, eamque inter atrocia scelera sui temporis recensuit. Nostrum quoque sæculum hæc veneficia tulit. Taurini enim, vt audiuimus anno 1600. sæuiente Peste da-
14 mnati sunt quidam † Chirurgi; eo quòd noxijs vnguentis pestem
15 fouerent. Et Panormi anno 1626., cùm † Medicus accersitus a

Græcia

Græcia multos a Peſte liberaſset, damnatus demum fuit eius ſce-
leris, quod lucri auiditate per puluerem odoratum, quem ſparge-
bat, Peſtem amplificaſset, eumque puluerem paraſse aiunt ex ipſis
bubonibus hominum Peſte infectorum, præſertim verò ex parte in-
16 teriori, quam radicem vocant. Mediolani † etiam anno 1630. pa-
tratum hoc ſcelus fuit ab impijs, & execrandis hominibus, qui
venefico puluere, itemque oleo, & vnguento venenato, templorum
portas,& ſcamna,domuumque fores illinientes,hominumque veſtes
clam, & nocturno tempore aſpergentes,illius tam ingentis excidij
Auctores fuere, ex *Lampugnano*, & alijs, qui reos, & acta referunt.
17 Nos verò admittimus quidem † Dæmones malos,naturalis ſcien-
tiæ dono ob peccatum haud expertes,naturæ arcana optimè callere
(quod eſt ijs donum a propria natura inſeparabile) ac proindè to-
tius naturæ conſultos, omnes miſcibilium elementorum rationes,
rerumque abditas vires, notas habere, immò & ſuos Magos edoce-
re, qui eorum auxilio freti mira moliuntur, variaſque laruas aſ-
18 ſumunt. Verùm enimuerò hæc † Dæmones non aliter agere poſ-
ſe credimus, quàm ſuas vires intra latitudinem localis motus exer-
cendo, transferentes, & applicantes actiua paſſiuis; ſiquidem non
valent Dęmones, vel vnum gradum caloris inducere ex ſe, vel vnum
culicem facere, niſi eius aſsumant primordia ſeminalia, prout
eorum Magi non potuerunt educere ſciniphes, proles aquarum, qua-
propter malorum Dæmonum impotentiam fatentes exclamarunt:
Verè Dei digitus hic eſt Exod. cap. 8. verſ. 16. & 17. Peſtem igitur tan-
19 tummodo, Deo permittente, † ex vno ad alium locum transferre va-
lent Dæmones ſumptis illius ſeminarijs, vt contigit in peſtilentijs
20 ſuperiùs relatis, & † applicare poſsunt peſtilens venenum perſonis
determinatis, præparatione præuia per imaginem terroris, vt conti-
21 git in Byzantina Peſte, & alijs. Nequeunt † autem immediatè, aut
ex ſe luem producere, ſiquidem tanta cauſarum varietas, tantaque
anni temporum perturbatio requiritur ad eam producendam, vt
illa omnia Dæmon agentia, pro libito applicare nequeat. Non
enim datum eſt Dæmoni Cœlos ſua ſponte mouere, annique tem-
pora peruertere, vt de hac modò cauſa loquamur. Præterea, cum
Dæmones, abſque Dei permiſſione, nobis nocere nequeant, cer-
22 tè ſi peſtem † quandoque diſſeminarent, id agerent tanquam Diuinæ
vindictæ miniſtri, vt euidenter innotuit in illa Peſte diabolica
tempore D. Gregorij Taumaturgi ſuperiùs relata. Verùm, quam-
uis ad punienda ſcelera prouocetur Diuina Iuſtitia, raró vin-
23 dictæ † miniſtros Cacodæmones eſse permittit. Iuſtus enim
Deus nos certè ob delictorum enormitatem in hac etiam vita pu-

24 nire solet, sed, & † Ministros eligit diuinam bonitatem habentes,
qui nos quidem puniunt, at nobiscum amicitiam seruant; sic in
omnibus ferè a Deo missis pestilentijs bonos Angelos exequutores
Diuinæ vindictæ referunt Sacri Auctores, vt suo loco notauimus
de Peste Dauidica, & alijs.

25 Idcircò sensati viri non ità facilè, & † absque fundamento fidem
præstare debent tot Dæmonum phantasmatibus, aut tot Sagarum
apparitionibus, quæ vulgò feruntur; etenim, vt plurimùm à nimis
timida, & æquè garrula plebe exaggerata comperimus, quæ omni-
bus credens, superstitioni prona, vel excessiuo timore territa, vel
parùm sibi constans, multa spontè addit, variat, minuitquè
ineptè loquens. Non raró quoquè a mulierculis somniata audiui-
mus hæc magica spectra, quandoquè verò a curiosis, & facetis
adinuenta nouimus, vt plebi terrorem incutiant, siue prudentio-
ribus risus, aut indignationis præbeant ansam. Multoties etiam a
26 Poetis ars magica extollitur, variaque † spectra finguntur pro
materia Musæ. Plerùmque pariter a Gentilibus fabulata referunt
Historici. Sic de Gigantum formis loquitur *Dion. in vit. Traian.*
& Tit. Sic etiam de varijs spectris *Alicarnass. lib. 4. 5. & 7.* alia-
que commemorant Scriptores antiqui.

27 Illa verò, quæ de Peste manufacta, † seu Magica, tam ex an-
tiquis, quàm ex modernis conscripta leguntur, non modicam hæsi-
tationem præseferunt; siuè enim inspiciamus, a quibus hæc Pestis
fiat, siuè illorum finem in intentione primum, non prorsus acquie-
scit compositus animus, tùm propter sceleris immanitatem, cùm
vix credibile sit, quòd inueniri possint homines ad propriæ spe-
ciei destructionem conspirantes: tùm quia, nec ipsos quando-
que antidota iuuant, ac vt plurimùm sua fraude, venenoque pe-
reunt, vel si fortè euadunt, tantum scelus non remanet inultum,
28 sed laqueo improbi suspenduntur, itaut † nemo sit qui non asse-
quatur pœnam in hac vita tanto crimini parem. Quòd si Pestis ab
29 impijs hominibus manufacta detur, hanc duplici † ratione fieri cre-
dimus, vel scilicet Contagij fomitem suscipiendo, & propagando,
vel magica venenorum compositione: in primo casu non propriè
Pestis manufacta dici potest, sed potiùs contagione propagata: quæ
verò fit per magicam venenorum compositionem, nec propriè talis
30 erit dicenda; etenim venena † ab Auctoribus Medicis cognita
contagione non propagantur, solo Canis rabidi, & Dryni Serpen-
31 tis excepto. Pestilens autem † venenum essentialiter contagio-
sum est, vel actu, vel potestate, vt suo loco videbimus.

Iam verò de putredine causa Pestis interna aliquid dicere ordinis
ratio postulat.

CAP.



CAP. CCLIII.

ARGVMENTVM.

AGgitur de cauſa Peſtis interna, Medicorum opiniones notantur. Putredo, eiuſque effectus, & proprietates explicantur. Interna origo peſtilentiæ ab ipſa corruptione ſanguinis deducitur, & modus, quo peſtilens venenum intrinſecùs gignitur, iuxtà veterum Medicorum doctrinam, & Iuniorum hypotheſim, demonſtratur exemplis, & rationibus.

SVMMARIVM.

1 *Cauſa interna Peſtis ſecundùm placita omnium Medicorum explicatur.*

2 *Auctor ab omnibus Medicis, tam antiquis, quàm modernis, quæ veriora ſunt, ſe mutuaturum pollicetur.*

3 *Putredo, vltima reſolutio mixtorum ſecundùm naturam, non eſt, de qua loquitur Auctor.*

4 *Putredo magis latè ſumitur in ſuo ſignificatu, & quidpenès Auctorem ſignificet?*

5 *Putredo euidentibus notis cognoſcitur, & quomodo.*

6 *Fœtor proprium accidens putredinis.*

7 *Animalia inſecta in rebus putreſcentibus gigni ſolent.*

8 *Putrida corpora cæteras ſui generis res, ſiue analogas facilè contagio inficiunt, & quare?*

9 *Putredinis notæ luculenter apparent in peſtiferis morbis, & recenſentur.*

10 *Sanguis in Peſte quandoque penitus diffluit, & ſoluta eius compage corpus intumeſcit.*

11 *Annonæ caritate præcedente, ſi Peſtis oriatur, ſuſpicari licet, quòd cauſa ſit, non in aere, ſed in ſanguine.*

12 *San-*

12 *Sanguinis putrefactio pestilens comparatur corruptioni lactis, & vini.*

13 *Lac quomodo putrescat explicatur.*

14 *Sanguis impurus interdum spontè acescit, vt lac, vel aliam diathesim acquirit, & ita febres epidemicas producit.*

15 *Febres epidemicæ pestilentes fiunt, cum adeò creuerit sanguinis corruptio, vt vitalem ignem destruere aggrediatur.*

16 *Vinum varijs modis corrumpitur, & quare?*

17 *Vinum corruptum, si assumatur, ad febres malignas disponit.*

18 *Sanguis, vt vinum, naturæ est heterogeneæ, varijsque, & miris modis, vt vinum, corrumpitur.*

19 *Sanguis aliquando humores acerrimos gignit, vt aqua stygia, corrosiuos.*

20 *Vlcera pestilentia fiunt ab acerrimis, & erodentibus humoribus.*

21 *Putredo humorum pestilens quid sit apud Fracastorium?*

22 *Fracastorij doctrina de putredine contagiosa explicatur.*

23 *Sanguis putrescens vapores efferatos, & malignos emittit.*

24 *Sanguinis putridi effluuia spiritus animales, vel figunt, vel in motus irregulares concitant, vel destruunt.*

25 *Animales operationes in Peste quomodo lædantur, aut destruantur.*

26 *Sanguinis putridi effluuia ignem naturæ, & vitam destruunt.*

27 *Inflammationes viscerum pestilentes fiunt in ijs, qui sanguine feruidiori constant.*

28 *Febris inflammatoriæ pestiferæ accidentia.*

29 *Cruor in putredine sua coagulatus malignam habet naturam.*

30 *Sanguinis extrauasati grumus veneno assumpto æquipollet.*

31 *Sanguinis coagulo pleraque Pestis accidentia Iuniores tribuunt.*



1 Veteres, & Iuniores Medici ferè omnes in assignanda Pestilentiæ † causa coniuncta, siuè interna, duplici ordine procedunt. Alij enim Galeni vestigijs inhærentes, asserunt, putredinem humorum esse vnicam Pestis originem ex eodem *Galeno* 1. *de diff. febr. cap.* 3., vbi expressè inquit, pestilentias fieri ob eos, qui sunt in corpore, humores ad putrescendum paratos. Alij verò non pauci, cùm ex Veteribus, tùm ex Neotericis, non vnicam putredinem assignant, sed venenatam qualitatem, siuè auram malignam in humoribus addunt, quæ spiritus profligat, aut eorum motus peruertit, liquorum mixtiones soluit, temperiem, & actiones cuiusuis partis occulto modo, & vehementer lædit. Nos

media

2 media via procedentes, † vt veritatem, quantùm fieri poteſt, aſſequamur, quæ magis probabilia videbuntur, tam ab antiquis, quàm a Neotericis mutuabimur.

3 Primùm autem † hìc pro putredine non intelligimus illam mixtorum reſolutionem, quæ naturaliter fit, poſtquam mixta ad ſtatum maturitatis, & perfectionis peruenerunt, de qua putredine, ſiuè reſolutione Ariſtoteles loquitur 4. *meteor. cap.* 1. hiſce verbis: *Finis horum omnium marcedo, niſi quid violentia corruptum fuerit natura conſtantium*. Eſt enim hæc putredo naturalis, & conſueta, ſiuè, vt ibidem loquitur Philoſophus, *ſecundùm naturam*
4 *corruptio, vt ſenectus, & ariditas*, ſed nomen † putredinis in ſuo ſignificatu magis latè accipimus ad rem noſtram, & loquimur hìc de putredine violenta, qua mixta nonnulla corrumpuntur non conſueto rerum interitu per reſolutionem, ſed alia cauſa, vt experimur in vuis, & pomis, quæ aliquando propter ſucci prauam diatheſim, vel propter aeris, præcipuè auſtralis, inclementiam corrumpuntur, & alterum alteri infectionem ſuam contagione com-
5 municat. Atque huiuſmodi † putredo manifeſtas valde ſui notas præbet, inſigneſque proprietates obtinet, ac præſefert effectus ſenſibiles, quibus eam omnes norunt; etenim confluente ad extremas partes humore, putreſcentia mixta molleſcunt, ac penitus diffluunt, vt inde ad reſolutionem properare videantur. Fæ-
6 tet etiam grauiter putrida res, & ex fætore † putredo, veluti ex fumo ignis, vulgò cognoſcitur, putrediniſque ſobolem, aut proprium accidens eſſe graueolentiam teſtatur *Galen.* 1. *prognoſt. com.*
7 *n.* 42. *& alibi*, & cum eo quàmplurimi Medici. Putridæ † quoque res animalium inſectorum varij generis productionem fouent, & iuuant iuxtà illud *Lucr.*

Obnoxia cuncta putrori
Corpora, putrores inſecta animata ſequuntur.

8 Præterea corpora putrida † vbi diſpoſitionem inueniunt, cæteras ſui generis res contagione inficiunt, vt experientia oſtendit in vuis & pomis corruptis, quæ vuas, & poma contaminant, vt modò innuimus. Et hæc quidem contages ex vulgari obſeruatione facilè inter res analogas fit, iuxtà id, quod in ſcholis fusè diſceptari ſolet, ex ijs nempè, quæ inter ſe ſe analoga, vel ſymbola ſunt, faciliùs alterutrum in aliud tranſmutari, quàm ſi non eſſent ſymbola *Ariſt. de ort. & interit. lib.* 2. *cap.* 4. *t.* 25. Sic pomum corruptum alteri pomo non corrupto eiuſdem ſpeciei eſt analogum, non enim eſt omninò idem, ſed differt tantùm penes putredinem, ideoque ratione huius ſimilitudinis faciliùs alia poma ſuæ ſpeciei contaminat.

Hæc verò, quæ generatim de putredine notauimus, facilè possunt deduci ad internam Pestis causam explicandam; siquidem in
9 pestiferis morbis notæ putredinis † superiùs descriptæ luculenter apparent. In primis enim fœtor anhelitus in pestilenti febre, vulgò etiam, obseruatur ex *Galeno* 3. *de præsag. ex puls. cap.* 4. Contagium autem, quod in putrefactis mixtis cernimus pesti essentiale est,
10 vt altero capite ostendemus. Præterea in peste sanguis † quandoque penitùs diffluit, & soluta eius compage corpus intumescit, indequè ad resolutionem, & mortem properat; quæ omnia veræ putredinis superiùs explicatæ indicia sunt manifestissima.

Et sanè si hæc humorum corruptio ex aere inquinato, siuè infecto non proueniat, neque a contagio per fomitem aliunde missum nascatur, iure merito suspicari licet, immò affirmare, quòd in ipsis
11 corporibus primam ducat originem, † præsertim quando præcessit annonæ caritas, & plebs cibis dispectis, aut aliàs vitiosis vesci assueuit. Sanguis enim degeneri succo in dies perfusus, leui quauis occasione externa, efferuescentias febriles concipit: austrina verò constitutione vigente, vel quouis leuissimo aeris vitio superaddito, etiam si aer verè inquinatus non sit, facilè sanguis hoc modo impurus in epidemicos, & pestilentes morbos prorumpit, *ex eodem Galeno* 1. *de differ. febr. cap.* 3. 4. *& alibi*. Vt autem ex ordine procedamus in eruenda causa interna, & vt modus explicetur, quo pestilens venenum in sanguine perturbato, & pu-
12 trescente † gignitur, duo exempla vulgo satis nota huc afferre licet, corruptiones scilicet lactis, & vini, cum præsertim hisce liquoribus sanguinem satis aptè comparari obseruet nuper *VVillis*
13 *de febr. cap.* 1. *&* 2. Etenim † lac, vt ab ipso incipiamus, interdum spontè acescit, ac paulatim eius mixtione soluta, crassiores, & caseosæ partes ab alijs secernuntur: butyrosa interim portio rancidum, ac terrum odorem exhalat, ac serum cæteris particulis lactis extrusum, sui iuris tandem fit, atque innatare videtur; ea-
14 dem ratione sanguis † impurus, & pessimis eduliorum succis vrgente fame saturatus, interdum spontè, absque aeris inquinamento, & corruptione, sed sola intestina lucta, & pugna particularum degeneris naturæ, quibus componitur, vel acescit, vt lac, vel aliam prauam diathesim acquirit, ac in febres epidemicas
15 prorumpit, † quæ tandem pestilentes fiunt, cum adeò creuerit sanguinis corruptio, vt ignem naturæ in corde residentem, siuè
16 ipsam vitam destruere aggrediatur. Vinum † etiam ex vulgati obseruatione, non solùm in vappam, aut in acetum degenerat, sed etiam varijs modis corrumpi solet; cum enim heterogeneæ sit

naturæ

naturæ, & continuò in dolijs fermenteſcat, ſi fortè degeneribus particulis valdè pollutum ſit, aut ab aere auſtrino commoueatur, efferueſcentias debito maiores concipit, & quandoquè ità peruertitur illius craſis, vt varias laruas, tùm in colore mutato, tùm in
17 fœdo ſapore, ac odore præſeſetat, morbis etiam † malignis corpora diſpoſiturum, ſi ab inopibus in potum aſſumatur. Nec abſimili ratione ſanguis in craſi ſua peruertitur quandoquè, & corrumpi-
18 tur: cùm enim hic, vt vinum † heterogeneæ naturæ ſit, interdum degeneribus ſuccis commixtus, & vitiatus varijs, & miris
19 modis corrumpitur, ità vt aliquando † humores gignat acerrimos ad inſtar aquæ ſtygiæ ex obſeruatione *Thomæ VVillis de anim. brutorum part. 2. cap. 11. de mania §. profectò humores, & alibi,*
20 ex quibus ſanè humoribus † vlceta maligna, ac peſtifera, vel interna, vel externa fiunt, de quibus *Hippocrates 3. epidem. sect. 3. constitutione peſt. ſic ait: multis etiam in ipſa curatione inflammationes magnæ fiebant, & ſacri ignes multi, id eſt vlcuſcula maligna, breui vndique depaſcebantur.* Subditque, *quibus verò inflammatio quidem, & ſacer ignis diſceſsit, talem autem nullum abſceſſum fecit, horum multi perierunt*; eò quod humor ille acerrimus erodens introrſum remeabat. Hinc etiam *Lucretius* de huiuſmodi vlceribus malignis cecinit *lib. 6.*

Languida ſemianimo tùm corpore membra videres
Horrida pedore, & pannis cooperta perire
Corporis illuuie: pellis ſuper oſsibus vna
Vlceribus tetris propè iam, ſordique ſepulta.

Hìc verò præterire non licet Hieronymi Fracaſtorij ſententiam, qui de putredine humorum primus omnium accuratè ſcripſit circa initium ſæculi ſuperioris *lib. de contag. & morb. contag.*
21 Quòd nempè † corruptio humorum in humanis corporibus contagioſa, & peſtifera, eſt putredo larga, profunda, ſordida, concluſa, & ad minimum elaborata, & in lentore conſtituta, a qua ſeminaria contagionis, tamquam a proprio fonte emanant. Et hanc
22 doctrinam † breuiter explicat *Antonius Portus de peſte lib. 1. cap. 9.* ſcilicet, quòd putredo peſtilens eatenùs *Larga* appellatur, quatenus multum locum occupat, vel quià latæ potentiæ exiſtit; vndè extenſiuè, vt loquuntur Scholæ, & intenſiuè *Larga* dici poteſt: hoc autem indè accidit, quia ſeminaria multa, & fortia habet, quæ viciniorem partem corrumpere, & illa alteram, commodè poteſt; *Profunda* item putredo dicitur, quià in intimioribus humorum partibus latet; *Sordida* inſuper, quià immunditijs plena eſt, & fœtens, *ex eodem Lucretio ſupracitato loco*, *Concluſa* verò huiuſmodi

putre-

putredo dicitur, quia contagionis seminaria retinet, nec illa dimittit, aut exhalare finit, nisi priùs quoad minima sint elaborata, & in ipsis impressa putredo eiusdem est naturæ cum materia putri, a qua prima seminaria euaporarunt; *Lenta* tandem dicitur, quià eius seminaria tenacia sunt, & adhærentia, itaut facilè discuti, aut dissipari non possint. Hæc est Fracastorij doctrina, quæ re vera pestilentis febris, & contagij phœnomena in sua hypothesi satis dilucidare videtur.

23 Verùm enim verò † sanguis, quomodocumque in pestilenti constitutione corrumpatur, vel iuxta hanc ideam Fracastorij, & aliorum veterum, vel, vt nos supra exemplo lactis, & vini explicuimus, vapores efferatos summè actiuos, & malignos emittit, qui spiritus vehementer lædunt, & sæpè destruunt. Hinc *Senec. in Oedip.*

Tum vapor ipsam
Corporis arcem flammeus vrit,
Multoquè genas sanguine tendit,
Oculique vigent, & sacer ignis
Pascitur artus.

24 Quandoque autem effluuia huiusmodi a sanguine † putri decedentia, spiritus animales, & liquorem neruetum inuadunt, ac narcotica vi figunt, vel in motus irregulares, & in quandam veluti excandescentiam concitant, vel omninò destruunt: hinc ani-
25 males operationes † varijs modis læduntur, ac destruuntur; interdum enim vigiliæ pertinaces, phrenitides, spasmi, seu motus neruorum conuulsiui ab irrequieto spirituum animalium motu fiunt, nec non singultus, & vomitus immanes *Lucret. lib. 6.*

Singultusquè frequens noctem persepè, diemque
Corripere assiduè neruos, & membra coactans, &c.
In manibus vero nerui trahier, tremere artus, &c.

Vel etiam lethargi profundissimi sequuntur, nec non rerum omnium obliuiones, destructis propemodum animalibus actionibus *ex Galen. 1. epid. com. 1. t. 1. & 3. item epidem. com. 3. text. 12. Lucret. loc. cit.*

Atque etiam quosdam capere obliuio rerum
Cunctarum, neque se possent cognoscere vt ipsi.

26 Eadem ratione putridi sanguinis † effluuia maligna vitales spiritus, & ignem naturæ in corde residenrem sæpè destruunt; indequè mors necessariò consequitur. In illis autem corporibus, quæ
27 sanguine feruidiore constant, inflammationes † viscerum sæpè fiunt, & vehementiùs sanguis æstuat circà præcordia; hinc omnia


28 nia emanant, † quæ in febre inflammatoria peſtilenti deſcribit eleganter *Ouid.*

Viſcera torrentur primò, flammiſque fatiſcunt
Indicium rubor eſt, & ductus anhelitus igni:
Aſpera lingua tumet, tepidis arentia ventis
Ora patent, auraque graues captantur hiatu;
Non ſtratum, non vlla pati velamina poſſunt,
Dura ſed in terra ponunt præcordia, nec fit
Corpus humo gelidum, ſed humus de corpore feruet.

Si verò cruor in putredine ſua veluti lac acidum coaguletur in venenatam abit naturam, eadem prorſus ratione, ac ſanguinis ex-
29 trauaſati grumus, † qui ex Medicorum obſeruatione, mira quadam efficacia, operationes naturæ lædit, veluti ſi efficax aliquod venenum intus aſſumptum fuiſſet: hinc *VVillis de febrib. cap. proprio de*
30 *peſt. & alibi*, ſanguinis † coagulo non ſolum ſyncopen, & ſpirituum defectus, ſed etiam maculas, & ſtigmata, immò, & pleraque Peſtis accidentia, & mortem ipſam tribuit. Hæc verò de ſanguinis putredine, quantùm inſtituti ratio poſtulat, dicta ſint ſatis: in proximo Capite de Contagio ex ordine eſt agendum.







CAP. CCLIV.

ARGVMENTVM.

Agitur de Contagio; eius ethymologia, essentia, proprietates, & differentiæ dilucidantur. Nonnullorum sententia reijcitur, qui contagium, vel in ipsa Peste negare ausi sunt. Quæritur, an ipsum Pesti essentiale sit? & an semina contagij pestilentis orta ab initio Mundi sint vnica Pestis origo?

SVMMARIVM.

1 *De Contagio, qui primi scripserint, recensentur.*
2 *Contagij doctrinam examinari Reipublicæ interest.*
3 *Contagij nomen deducitur à verbo Contago, id est tango.*
4 *Contagium impropriè accipitur ab aliquibus pro morbo, qui contactu fit, & quare?*
5 *Contagium magis propriè sumitur pro infectionis seminario.*
6 *Contagij nomen vsurpatur etiam pro transitu morbi ab vno ad aliud corpus, vel etiam significat proprietatem, qua morbus propagatur.*
7 *Contagium, vt efficiatur, duo requirit, vnum quod inficiat, alterum quod inficiatur.*
8 *Contagij essentia describitur.*
9 *Contagium accidens non est, sed fit per actionem, & passionem a tota substantia.*
10 *Contagiosa effluuia sunt substantiæ heterogeneæ.*
11 *Contagium contraxisse non dicitur, quod refrigeratum est, aut calefactum; sed solum alterationem suscepisse.*
12 *Contagij infectio ab vno in alium transiens consimilis in vtroque est.*
13 *Infectio, quæ ab vna parte ad aliam serpit, contagiosa dicitur; sed magis*

magis propriè contagium inter corpora ſeparata fit.

14 *Contactus inter duo corpora fit, quando eorum extremitates coaptantur.*

15 *Contactus eſt proprietas corporum, non qualitatum.*

16 *Contagium tripliciter fieri poteſt contactu, fomite, & ad diſtans.*

17 *Contactu immediato ea inficiuntur, quæ putredinem ab aliquo concipiunt, illi adhærendo.*

18 *Contagium per fomitem idem habet principium, & eundem inficiendi modum.*

19 *Semina contagioſa, quomodo impingantur in fomite, dilucidatur exemplis.*

20 *Phthiſici quidam facti ſunt ſola adium habitatione, quas Phthiſici coluerant.*

21 *Contagium ad diſtans, motu, & quadam proprietate ab alijs differt, & quomodo.*

22 *Contagioſa effluuia, quæ in diſtans feruntur, validiùs mixta ſunt, quàm ea, quæ ſolo contactu agunt; hæc enim calore liqueſcunt.*

23 *Contagioſa effluuia, quæ ad diſtans agunt, ſunt ſubtiliora, & magis volatilia, quàm ea, quæ ſunt in fomite.*

24 *Lippus ſolo intuitu alios fixè intuentes lippos facit.*

25 *Contagiones omnes, gradu potiùs diſtinguuntur, quàm re.*

26 *Semina contagioſa ſunt effluuia ex particulis mixti magis actiuis.*

27 *Contagium explicatur exemplo florum cereuiſiæ, quibus noua cereuiſia fermentatur.*

28 *Semen contagioſum æquiparatur alijs ſeminibus, & quomodo agat explicatur.*

29 *Contagium ab aliquibus negatur, vel in ipſis peſtilentijs, eo quòd veteres de ipſo non egerint.*

30 *Contagium ſalubribus corporibus noxium non eſſe quidam crediderunt; ſed tantùm diſpoſitis.*

31 *Contagium in Peſte dari, oſtendit experientia in omnibus peſtilentijs, quarum aliquæ numerantur.*

32 *Contagioſo fomite ſupellectilis recruduit Peſtis Panormi, an.* 1576.

33 *Contagium in Peſte Neapolitana ob incuriam tercenta hominum millia Orco dedit intrà ſemeſtre.*

34 *Contagione potiſsimùm Roma vexata eſt in elapſa peſtilentia, nec aliter liberata, quàm vetito commercio.*

35 *Commercij prohibendi magna eſt neceſsitas tempore Peſtis.*

36 *Contagij metu homines ab omnibus abhorrent, neque ſuos agnoſcere cupiunt.*

37 *Medici, ac Religioſi, alijque Infectis ſeruientes, Peſte citiùs corripiuntur, quamuis ſani ſint.*

38 *Me-*

38 *Medicis suspectis, cum sanis versari, lege prohibetur.*

39 *Contagium non omnino veteribus ignotum fuit, Thucydidi præsertim, Hippocrati, & Galeno.*

40 *Contagium Latinis notum fuit, Galeno antiquioribus.*

41 *Animi vitia pestilentiæ ad instar serpunt.*

42 *Contagium ab Antiquis cognitum fuit; sed ipsi fræna non fuerunt adhibita.*

43 *Contagium in Peste a quibusdam Modernis recentioribus conceditur, sed eius vires, tam immanes esse negantur.*

44 *Contagium in Pestis definitione comprehenditur ab aliquibus Medicis, & Iurisconsultis.*

45 *Contagium in Peste aliquando non dari quidam asserunt.*

46 *Contagium in Peste non sæuijsse narrat Procopius.*

47 *Contagium est de essentia Pestis.*

48 *Contagium a Peste differt, vt a specie genus.*

49 *Contagiosæ sunt omnes Pestes, vel actu, vel potestate.*

50 *Semen pestiferum ab initio mundi exortum, idemque contagio propagatum nonnulli opinantur, quorum sententia reijcitur.*

51 *Semina pestis, vt alia omnia, suo tempore conteruntur.*

52 *Contagium vnica Pestis causa non est; sed effectus essentialis, & proprietas.*

53 *Causa communis Pestis potentiùs agit; contagium verò debiliùs, & coercetur faciliùs.*



1 Nihil ferè de contagio scripserunt Veteres: ex † Recentioribus verò omnium primus doctrinam edidit Hieronymus Fracastorius ingeniosus, ac doctissimus sanè vir, Leucippi, ac Democriti excitator, qui tribus integris libris quidquid ad contagij naturam pertinet quamplenissimè tractauit, in quibus subtilitas philosophica, & experientia medica inter se se, decertasse videntur; tùm hanc Prouinciam fuit aggressus Io: Baptista Montanus, qui Fracastorij doctrinam mordicùs quidem impugnare, sed nunquam expugnare potuit; idemque tentauit Valeriola, qui nec meliora tamen, nec veriora tulit; plurimum verò præstitit Thomas Erastus, qui multa inuentis addens, viam certè alijs aperuit vlteriùs sinè errore procedendi ad contagionis naturam, ampliùs, & altiùs inuestigandam.
2 Reipublicæ † aurem adeò interest contagionis naturam fieri manifestam, quæ tùm Vrbes, tùm Regna deuastat; vt non absre futurum putemus, si ex eorundem Auctorum dictis, & alijs

quæ

quæ in hac Vrbis pestilentia hodierno periculo nouimus, paulò altiùs ad contagij rationem hæc nostra disputatio tendat.

A nomine igitur sumpto exordio, Contagiũ, contages, contactus,
3 & contagio synonima sunt † ab antiquo verbo *Contago*, idest tango deducta, frequentiùs verò apud scribentes Contagium appellatur,
4 morbumque † significat, qui ex contactu contrahitur ad tradita per *Ambr. Calep. in verb. Contagium, Odd. de Odd. de pest. & pestif. aff. caus. cap. 8. in* 1. Hoc autem nobis improprium maximè videtur; morbus enim, qui seipsum in vicina corpora profert per contactum, contagiosus quidem est, & a contagio dicitur, sed perperam ipse appellatur contagium; sic etiam, qui contagione acquiritur, a contagio nascitur, at contagium non rectè nominatur, & idem tamen contagiosus quoquè est, quatenùs vim habet se ipsum in alia corpora pro-
5 pagandi. Rectiùs proindè autumant alij, quod contagium † significet infectionis seminarium e morbido corpore in aerem sparsum, vim in se talem retinens in sano corpore morbum propagandi eum,
6 a quo prodijt. Vsurpatur quoque † contagij nomen pro ipso morbi ab vno ad alium transitu, in qua significatione nihil aliud est, quàm ipsa morbi communicatio, seu transfusio, qua morbus ex
7 vno corpore ad aliud se diffundit; † vel etiam accipitur pro morborum quorundam proprietate, vi, & efficacia, per quam ipsi morbi extrà se se protendunt, & sana corpora, quòad minimas insensibiles particulas, clandestina labe coinquinant. Vt igitur contagium efficiatur duo saltem esse debent, quorum alterum inquinet, alterum inquinetur, infectio autem consimilis in vtroque esse debet, nimirum cui, & a quo fit contagium; tunc enim contagium factum esse dicimus, cum simile quoddam vitium corripuit vtrumque per insensibilem particularum infectionem. *Fracastor. de contag. lib. 1. cap. 1. Odd. de Odd. de pest., & pestif. aff. caus. cap. 8. per tot.*
8 Sic igitur contagionis † essentia describi potiùs, quàm definiri poterit. Contagium est morbi semen, seù quædam vis seminalis ex morbido corpore emissa, & in sano corpore insita, vt morbi propago per insensibilem particularum infectionem fiat.
9 Hæc verò † seminalis vis, quæ ex vno corpore in aliud propagatur non est mera qualitas, aut accidens in hypothesi peripatetica; sed re vera contagij propagatio fit per actionem, & passionem secundùm rerum substantiam: quæ quidem actiones ex earum censu sunt, quas a tota substantia passim appellauit disertissimus
10 *Fernellius de abdit. rer. caus. lib. 1. & 2. per tot.* Siquidem † quicquid veneficum ex vno corpore in aliud transpirat, & inficit per contagium, substantia est, & quidem composita, ac heterogenea, &

licèt in minimos, ac insensibiles halitus volatizetur, idque Græci,
11 & Latini Medici concludunt ferè omnes; non enim † contagium propriè contraxisse dicimus calefactum, aut refrigeratum ab alio, sed solam ex frigore, vel calore alterationem suscepisse: quod autem contactu inficitur, necessariò aliquid substantiæ recipit, vnde
12 de ipsum inficitur: & † hæc infectio, quæ ab vno in aliud transit consimilis in vtroque est, cui nimirum, & a quo contages deriuat; tunc enim, vt diximus, contagionem factam fuisse constat, cum simile virium quoddam vtrumque corripuit. Hinc, & si
13 contagiosa dicatur, & quodammodo talis sit † infectio illa, etiam quæ per idem corpus ex vna in aliam partem serpit; propriè tamen magis contagium inter duo separata corpora fit; siquidem vnius partis infectio ad reliquas continui partes protenditur per intrinsecam correlationem, non propriè per contactum ad inuicem, quià idem se ipsum tangere nequit, at propriè inter duo separata cor-
14 pora † contactus fit, tunc scilicet, quando eorum extremitates, siuè superficies, ad inuicem aptantur; ideoque cum sola corpora superficies, & extremitates habeant, inter hæc propriè
15 contactus fit; † non verò inter qualitates Peripateticorum.

Tangere enim, & tangi, nisi corpus, nulla potest res.

Verùm, vt id clariùs explicetur, doctissimi Fracastorij vestigijs
16 inhærentes statuimus triplici ratione † Contagium fieri; Primò videlicet simplici duorum corporum contactu, ex quorum alterutro in alterum immediatè transeat infectio, vt cum infecta corpora sani homines immediatè pertractant; Secundò mediante fomite, linteis, pannis, vestibus, alijsque huiusmodi rebus relicto, vbi contagiosa corpuscula firmiter adhærent, ac latitant; hinc notum fecit experientia, res pilosas, laneas, aut viscida corpora tenaciùs, atque diutiùs inquinamenta retinere; Tertiò demum ad distans immediatè contagio fit; non quòd sit actio in distans; sed quòd sola ægri conuersatione quidam inficiantur, non tactu, nec fomite alicubi relicto, sed quadam expiratione praui halitus, & contagiosi seminis, quod ab infecto ad aliud corpus euolat, *Fracastor. loc. cit. Cardan. de subtilit. lib. 2. loc. cit.*
17 Itaque ea corpora dicuntur immediato contactu † infici, quorum vni putrescenti alterum adhæret, donec putridam labem contraxerit, vt ex pomo pomum, ex vuis vuas contaminari cerni-
18 mus. Quæ autem contages † per fomitem fit, idem habet principium, eundemque inficiendi modum; quoniam infecta seminaria in fomite abdita idem ferè, contactu fomitis efficiunt, ac si immediatè susciperentur, eamdemque omninò virulentiam seruant,

quan-

quandocumque inficere aptam; nec mirum, quia propter sub-
19 tilitatem ea corpuscula fomitis poros permeant, & † altè in fora-
minibus conduntur, cumque viscida fortasse sint, vt ait Fraca-
storius, vel talem figuram habeant, quæ poris fomitis aptatur, firmi-
ter fomiti impinguntur, velut oleum, diuque retinentur, sicuti alie-
nus odor in linteis, ac vestibus; quinimmò, & in parietibus ædium
huiusmodi inquinamenta subsidere solent, ac sæpe quosdam, so-
20 la earum † ædium habitatione quas priùs Phthisici incoluerant,
21 phthisicos factos esse constat. Contagium † etiam ad distans ea-
dem ratione fit, sed motu tantùm, & propria quadam natura
differt ab alijs; quoniam principium motus particularum ab infe-
cto exeuntium partìm per se fit, partìm verò ab alio datur. Per
se quidem infecti vapores mouentur sursum, quia omnis euapo-
ratio spontaneo motu superiora petit ex hypothesi Aristotelis.
Ab alio autem mouentur, & in latus, ac deorsum pelluntur, dua-
bus potissimùm de causis; altera est obsistentia aeris, & ventorum,
aut rabulatorum, in quæ incidunt vapores illi, & vbi vltra ferri
non possunt, tunc ad latera, & deorsum pelluntur ab alijs parti-
culis concomitantibus, & ab alijs subsequentibus, quæ perpetìm
exhalant; altera causa est aer ipse, qui subtiles euaporationes cir-
cumquàque agitat, ac diuidit, vt in fumo apertè videmus. Na-
tura verò, & quadam proprietate differunt effluuia huiusmodi ab
22 ijs, quæ solo contactu agunt; quia † hæc in validiore mixtione
constituta videntur, & illa vt plurimùm ex calido, humidoque
liquescunt, neque in distans operantur: ab illis insuper diffident,
quæ per fomitem agunt; sunt enim tenuiora, & magis volatiliza-
23 ta, quin & velociùs exhalantia, † celeriùs sedem arripiunt, ma-
24 gisque penetrant; sic Lippum † solo intuitu, alios fixè intuentes
Lippos reddere cernimus, cum nihil aliud præter species, & lumen,
oculum permeent.

25 Omnes igitur contagiones † allatæ in vnum, & idem conue-
niunt, vt gradu potiùs distinguantur, quàm re, est enim eadem
in omnibus propagandi ratio, per emissa ab infecto tenuia in-
26 quinamenta, quæ sunt effluuia † ex particulis mixti summè acti-
uis, & satìs aptè a *VVillisio Pharmaceut. rat. p. 2. cap. de Scabie*
27 comparantur floribus † cereuisiæ super ipsius summitate, ac super-
ficie natantibus, quorum si portio quædam, perquàm minima
indè dempta, alteri cereuisiæ nouellæ infermentatæ committatur
totam illicò massam, quantùmuis magnam, fermentat, ac in li-
quoris, vndè adimitur, indolem transmutat; sic & eadem ratio-
ne verosimile est, effluuia contagiosa ex particulis summè actiuis
coorta,

coorta, mira quadam energia particulas alterius mixti analogi actinas, & subtiles in humido latentes in motum concitare, ac veluti fermentatione quadam agitare, donec eandem diathesim
28 illis impresserint. Possunt etiam adæquatè † comparari seminibus, nec impropriè semina morbi dicuntur; nam sicut semina in sua matrice iacta, fæcunda sunt, eorumque spiritus summè actiui, ac particulæ volatiles, mira quadam naturæ designatione, materiæ molem exagitant, donec ipsam conforment, ac perficiant iuxtà ideam agentis, a quo prodierunt semina; ità eadem prorsus ratione semina morbi, siuè effluuia contagiosa, dum aliud corpus apprehendunt, eius humores adeò exagitant, & perturbant, iuxtà ideam propriæ diathesis, vt demum in propriam naturam morbosi corporis, vnde adempta sunt, conuertant.

Hæc sanè agendi vis in contagio, mirabilis valdè, nondum ab omnibus æquo animo percipitur; adeò enim contorsit nonnullorum
29 ingenia, vt non desint proptereà † contagium negantes vel in ipsis pestilentijs, in quibus potissimùm vigere solet, ac Veterum auctoritate freti malunt illos in suam trahere opinionem, quàm veritatem rei paucis ab hinc sæculis abundè discussam fateri; inquiunt enim, quod neque Hippocrates, neque Celsus, neque Galenus, neque alius inter medicinæ proceres, nisi obscurè de contagione meminerit, vt nuper opinatur *Matthias Naldus Sanctissimi D. N. P. P. Medicus, a Secretis*, afferens opinionem de contagio apud debiliores, & modernos Auctores esse tantùm receptam, apud alios verò, vel non admitti, vel ambiguam remanere, nec facilè hanc disceptationem terminari posse; quià, & si numero plures sint, qui ex contagio Pestem dari affirmant, attamen maioris esse ponderis contrariam tuentes sententiam; quocirca Medicus ipse inter vtramque opinionem concludit *tract. de cont.*
30 *cap.* 3. † pronis ad similem concipiendam luem magno quidem nocumento esse, si cum Infectis dormiant, eosdemque de facie ad faciem alloquantur, seu illorum vestibus se se induant; minimè verò credendum asserit corpora salubria periclitati posse, nisi ex admodum diuturno, ac vehementi fomite ad prauam dispositionem inducantur. Huius etiam opinionis legitur Ioannes Baptista Balianus, qui paulò prius de hac re fusiùs disseruit *in tract. de pest. lib. 2. per tot.* vbi hinc indè scribentes, eorumque dicta, & rationes collegit, ac tandem contrarijs singillatim respondere conatus est.

Sed omnium pace Auctorum, qui contagium negant, & pestem ex hoc fieri nolunt, nec multo studio, nec argumentis opus

esset,

eſſet, vt ipſi quoque ſcirent, quod quiſque ſuo periculo didicit, & iam tot ſæculorum experientia comprobauit. Etenim omnes
31 ferè peſtes, † nedum primo quem explicuimus gradu, ſed & fomite, & ad diſtans, contagioſas fuiſſe teſtantur hiſtoriæ; ſic Athenienſium Peſtem, cuius Cap. 4. meminimus, ex longinqua Æthiopum regione Athenas vſque tranſuectam notat *Hipp. in epidem. Lucretius confirmat loc. ſup. cit.* Sic Peſtem illam totius Orbis flagellum ex Cathai Regno exortam, & Aſiæ, Africæ, Europæ Regna depopulatam, apud Italos propagatam fuiſſe fertur contagionis fomite, ac mercibus infectis ab Oriente huc translatis. *Boccac. cit. decamer. Scip. Amirat. in hiſtor. Florent.* Liuius Hiſtoricorum princeps, omnes ferè peſtilentias Vrbis enarrat, ac nullius ferè meminit, quam non affirmet contagione propagatam: & ſæculo ſuperiore hoc ipſum teſtantur teſtes quidem de viſu, & in arte periti, *Septal. de peſt. Mediolani anno* 1575. *lib.* 2. *cap.* 8. *Io: Philipp. Ingran. de peſt. Panormi* 1576. *tract. de peſt. part.* 1. *cap.* 4. *Alexander Maſſaria de peſte Vicentina anni* 1577. *lib.* 1. *fol.* 21. neminem Vicentiæ peſte laboraſſe, quam non ille priùs conta-
32 gione contraxiſſet. Panormi Peſtem † iam ſedatam, denuo recruduiſſe fertur aliquorum auaritia, qui veſtes, aliamquè domeſticam ſupellectilem infectam renuerunt comburere, idquè ex manuſcripto fide digno accepimus. Verùm, vt alia exempla prætereа-
33 mus, ſatis conſtat contagium Neapoli † ob incuriam Magiſtratus ter centena ferè hominum millia hiſcè temporibus Orco dediſſe. Sed, ſi neque ſint ſatis: Peſtem ex contagio negantibus teſtis Roma
34 ſit, quæ † contagione potiſſimùm vexata eſt, nec aliter quàm vetito commercio ſtragem compeſcere potuit, omnes ferè morbi caſus experta contagione ſola deriuaſſe, immò ſæpiùs, vel paruam ſubuculam, vel ſudariolum, vel huiuſmodi vilia familias integras perdidiſſe nouit, vt genuina dictat hiſtoria, quam aptiori loco expoſuimus. Et fruſtrà quidem ſanitatis teſtimonia, & portarum cuſtodiæ, interdicta commercia, expurgationes domuum, ſuffimenta ſupellectilium, combuſtiones, cæteræquè huiuſmodi præcautiones ſolerti Principum, & Magiſtratuum cura præſcriptæ fuiſſent, niſi hominum conſortio, & contagione morbus propagaretur; ſed
35 re vera † tanta eſt commercij prohibendi neceſſitas, vt ſi hanc Principes negligerent, crebra nimis ſtrage Populi perderentur, vt inferiùs agemus, vbi de Vrbis regimine. Quinimmò, & innato
36 quodam contagij metu, Peſtis † tempore omnes a ſe inuicem abhorrent, neque conſanguineos ægros ſani videre cupiunt, vt rectè *Lucretius*.

Nam quicumque suos fugitabant visere ad agros
Vitai nimirùm cupidi, mortisque timentes.

Multique Infectis seruientes in Nosocomijs, tùm Medici, tùm Sacerdotes, ægrorum afflatu Peste citiùs corripiuntur, quamuis sani sint, vt *Ouid. Metamorph.* 7.

Non moderator adest, inquè ipsos saua medentes
Erumpit Elades.

Et paulò inferiùs.

Quo propior quisque est, seruitque fideliùs agro.
In partem lethi citiùs venit.

38 Ideoque in Gallia sancitum legibus est, vt qui Medici † Contagiosis curandis præficiuntur, cum alijs versari nequeant, solo contagij metu. *Quercet. tract. de pest. cap.* 2.

39 Nec omninò ignotum Veteribus fuit contagium, † vt quidam falsò credunt; nam ipse *Thucidides*, & ex Medicis *Hipp. & Galen.* aperris verbis contagium explicauerunt *lib. de diff. febr. cap.* 5. & alibi. Fusiùs de hoc agit *Arist. in* 1. *probl. sect.* 7. vbi sedulò inquirit, cur pestis ex omnibus morbis contagiosa sit, rationem subdens, quia mortiferum quoddam spiritu communicatur. *Galen.* insuper *de prasag. ex puls.* 4. 11. inquit periculosum esse commercium cum Peste laborantibus, & in vniuersum cum omnibus, qui putridum exhalant & *primo de diff. febr. cap.* 4. & 5. idem innuisse videtur; omnes quoque Latini Galeno valde antiquiores,

40 contagionis † vim cognouerunt, siquidem ex Poetis *Virg. Georg. lib.* 3. *cecinit.*

Verùm etiam inuisos si quis tentarat amictus,
Ardentes papula, atquè immundus olentia sudor
Membra sequebatur, nec longo deindè moranti
Tempore, contactos artus sacer ignis edebat.

Cicero inter Philosophos Chrysippum adducit de rerum contagione loquentem, ipsique responder *lib. de Fato* circa initia. *Moralis de Animi tranquillitate cap.* 7. consuetum in peste contagium obi-

41 ter ostendit, † vitia docens ad instar pestilentiæ serpere, in proximos transilire, & contactu nocere; subdit enim, sicut in pestilentia cauendum est, nè corruptis iam corporibus, & morbo flagrantibus assideamus; quia periculum trahimus, afflatuque ipso laboramus, ita in Amicorum legendis ingenijs cauendum esse, ne inquinatos assumamus. Ipse Philosophus Vates, qui veterum Græcorum fragmenta collegit, & aliquot sæculis antè *Senecam* vixit, contagij vires etiam declarauit *lib.* 6.

Quip-

Quippe etenim nullo cessabant tempore apisci
Ex alijs alios auidi contagia morbi.

42 Vnde quicquid scripserint moderni, † contagium ab antiquis non fuisse cognitum, meliùs fortasse dixissent, ab antiquis contagio fræna non fuisse adhibita; indeque ingentes euenisse clades sicuti euenire cernimus ex incuria rudis, & incredulæ Plebis, quæ non cauet ab Infectis, & fomite contagioso pestilentiæ semina disperguntur, adeoque, vt ideò morbi furor coerceri ampliùs nequeat. Et sanè quia vix vlli sæculo ignota contagio fuit in
43 pestilentijs præcipuè, † hanc non prorsus negare ausi sunt Balianus, Naldus, & alij, sed viam, vt diximus, mediam tenuere, putantes, nec semper, nec tam immaniter, vt vulgo putatur, contagiosas Pestes vagari; propterea non leue aliud emergit dubium inter Auctores, an ità pestis contagiosa sit, vt contagium sit de ipsius essentia. Etenim plures Medici consentiunt, ac Pestem per
44 contagium † definiunt. *Isidor. etymol. lib.* 4. *Cardan. lib.* 2. *contrad. medicar. tract.* 5. *cap.* 17. *&* *lib.* 1. *de venen. cap.* 11. *Fracastor. de contag. lib.* 2. *cap.* 8. *Septal. de pest. lib.* 1. *cap.* 28. & alij, cum quibus transeunt ex nostris *Prauidel. de pest. tit. de cæteris, quæ ad salubr. ciuit. pertinent. §. modò sciendum*, *Ripa de pest. in prælud. n.* 7.
45 Alij verò licèt pestem vt plurimùm contagiosam admittant, † aliquando tamen sine contagio esse contendunt, *Sal. de febr. pestil. cap.* 11. *Marinell. de pest. argum.* 3. *Hercul. Saxon. lib.* 11. *sect.* 2. *cap.* 1. affirmans nouisse pestem quandoque sinè contagio, idque grauissimo scripturarum testimonio comprobatum esse, *Cæsalpin. lib.* 3. *pract. cap.* 50. *Diomed. Amic. de pest. cap.* 3. *Cæl. Rhodig. lib.* 2. *lect. antiqu. cap.* 6. & Constantinopoli pestem Iustiniani temporibus sinè
46 contagio † sæuijsse narrat *Procop. lib.* 2. *de bello Persic.* qui cuiusdam pariter meminit pestis absque contagio vagatæ; *Alexander. Massar. de pest. lib.* 1. *Sennert. de febr.* 4. *cap.* 1. *Zacut. Lusitan. de Medic. Princip. histor.* 89. *dub.* 52. confirmant de Pestis essentia non esse contagium.

47 Quibus nil obstantibus Pestem essentialiter † contagiosam statuimus, & quamuis, vt aiunt, cæteris morbis quibusdam contagium competat, perperam ex hoc infertur Pesti essentiale non esse; genus enim quodlibet pluribus speciε diuersis conuenit, ijs verò omnibus essentiæ partem constituit; sic se habet contagium, quod
48 magis, quàm Pestis latè sumitur, & ab † ea differt, vt a specie genus; eæ verò pestilentiæ, quas ferunt absque contagio sæuijsse,
49 licèt non actu, † saltem potentia contagiosæ fuerunt; quandoquidem omnis materia pestem constituens, vel actu, vel potestate

con-

contagiosa est, vt ex superioribus patet.

His verò dubijs circa pestilens contagium solutis, adhuc tertium remanet examinandum; an contagium ità sit pesti essentiale, vt vnica ipsius origo constituatur.

Hanc opinionem videtur tueri *Nater. de febr. cap. 2. & quæst. medic. paradox. cent. posth. nu. 42. Vntzer. antid. pestilent. lib 1. distinct. 6. cap. 2.*, asserentes initio Mundi, Pestis venenum, vel semen, originem † habuisse, & de corpore in corpus per contagium
50 dispergi, ac propagari; ideoquè Pestem absque contagij seminio nullatenus fieri. Attamen hæc opinio a Doctoribus non recipitur; quandoquidem causa Pestis, vt superiùs ex Hippocrate diximus, communis esse debet, ac in pluribus simul, & semel corporibus morbum gignere; venenum autem huiusmodi, siuè semen contagiosum ab initio mundi, vt aiunt, productum, causa peculiaris esset, non communis, & ex vno in aliud corpus serpere tantummodo posset, non verò plures vnà simul Vrbes vnius Prouinciæ, vel homines vnius Ciuitatis corripere. Prætereà, si hoc semen contagiosum, ab initio Mundi, vsque adhuc seruatum alicubi fuisset, ac diù seruaretur, semel inducta Pestis numquam desineret, quia necessariò applicaretur hominibus, & rebus alijs conseruantibus contagium; ideoquè magis, ac magis propagaretur in infinitum, quod inconueniens est, ac omninò falsum. Nam sua quæque res ætate consumitur, & contagij semina, † postquam
51 diù homines vexauerint, suo tandem tempore reruntur, veluti senectute Animalia. Sic passim apud Turcas sequitur, qui licèt contagium parui pendant, pro certo credentes, sibi a Fato præscriptum fuisse exitium, exitijque modum, ita vt in bello morituros, nullo pacto in peste interimi posse arbitrentur, & si illis vitam hoc morbo finiendam destinatum sit, nullo pacto ipsos posse hanc mortem effugere; attamen, quàmuis a contagio non caueant, apud ipsos etiam pestilentia cessat. Ægyptij pariter, tempore Pestis, nequaquam hominum commercia negant; sed peste Ægyptum depopulante, Vrbem Cairum sæuissimè depascente, nemo ipsorum fugam arripit, aut cum Infectis versari timet, aut vestibus contagio fœdatis vti renuit, ibique vestes, aliaque Mortuorum supellectilia, statim in Emporijs publicè venduntur, & emuntur absque vllo contagij timore, idem *loc. cit.*; nec ideo Pestis ibi cessare desinit; immò, & cessat, quamuis infecta remaneant supellectilia, sicut postremò Neapoli euenisse audiuimus, Pestem illicò extinctam, quàmuis contagio relaxatis habenis, supellectilia remanserint non combusta, nec suffimentis saltem expurgata,


ideoquè

ideoque a contagio haud immunia, cum ferè impoſſibile ſit peſtilentiæ ſemina, ex illo tam ingenti peſtiferorum numero exhalantia, ità prorſus ſemper viuida eſſe, vt ſaltem aliquæ particulæ in forti mixtione conſtitutæ, alicubi non delitefcant, adhuc inficere aptæ, ſi vlla occaſione ſuſcitarentur; quæ tamen ſuo tempore neceſſariò euaneſcunt, eorumque mixtio diſſoluitur.

Contagium igitur vnica Peſtis origo non eſt, nec propriè dici
52 poteſt; ſed potiùs morbi peſtilentis † proprietas, & effectus eſsentialiter dependens, in alios quidem ſe ſe extendere valens, naturam peſtilentiæ conſequens, & dum in aliquo recipitur corpore, conſimilem affectionem propagans; verùm ſi propagata in alijs infectio, ſemper effectus eius morbi eſt; qui primò ſine contagione natus ab alijs cauſis proceſſit, contagioſus in actu primo dici poteſt, ſeu in potentia inficiendi alios, veluti eundem præſtat effectum ſcabies, lepra, phthiſis, & cæteri morbi contagioſi, primùm ex ſua quslibet cauſa nati, ſeù a deprauatis humoribus excitati, in actu primo contagionis compotes, indè verò communicati in actu ſecundo, dum ex illis iam conſimilis in alios tranſit infectio, quæ tanquam ſoboles emanat ex lepra, vel phthiſi, aut ſcabie, primùm abſque contagione orta. Idcircò ſubſiſtere non videtur, quod *Platerus Vntherus cit. ſup.* de contagionis origine excogitauit, cum manifeſtè pateat nedum peſtem, ſed alios complures morbos ſuaptè natura contagioſos a ſuis cauſis produci, nullo præexiſtente contagionis ſeminio; &
53 † cauſa quidem communis peſtilentiæ, ſemper potentiùs agit; propagatio autem, quæ per contagium fit debilior eſt, licèt cauſantis naturam ſequatur: vndè eſt quòd Peſtis per contagium inducta faciliùs coercetur, idque experti ſumus in vltima vrbis peſtilentia. Supereſt modò, vt alios morbos contagioſos attingamus.

†





CAP. CCLV.

ARGVMENTVM.

AGitur de omnibus, & singulis morbis contagiosis, iique in tres classes diuiduntur; benignos nempè, malignos, & alios mediæ naturæ: Omnium ac singulorum, nomina, definitiones, nec non proprietates essentiales breui epilogo recensentur.

SVMMARIVM.

1 *Contagium genus quoddam est pluribus infectionibus commune.*
2 *Morbi contagiosi quidam sunt benignæ naturæ, nec vitæ insidiantur.*
3 *Morbi contagiosi nonnulli præcipites, & maligni sunt.*
4 *Morbi contagiosi quidam, nec prorsùs maligni, nec prorsùs benigni sunt, sed præstant inducias, & remedijs cedunt.*
5 *Magistratus morbos contagiosos nouisse debent, vt Ciuitates ab illis liberare possint.*
6 *Iurisconsulti, occasione horum morborum, varias agitant quæstiones, & in qua materia.*
7 *Morbi contagiosi primæ speciei sunt scabies, struma, lippitudo, tinea puerorum, alopecia, achores, & simplex febris.*
8 *Febres nonnullæ salutares contagiosæ sunt.*
9 *Febrem quartanam per contagium ipse Auctor contraxisse meminit.*
10 *Morbi contagiosi secundæ speciei sunt rabies, morbilli, variolæ, pestis.*
11 *Morbi contagiosi tertiæ speciei sunt lepra, elephantiasis, lues venerea, epilepsia, & quædam febres.*
12 *Scabies contagiosa, eiusque differentiæ.*
13 *Struma, ac scrophulæ contagiosæ, earumque etymologia, & causæ.*
14 *Lippitudo contagiosa est.*
15 *Lippitudo definitur inflammatio tunicæ adnatæ, vel pruritus oculorum cum rubedine.*

16 Lip-

16 *Lippitudo a quibuſdam, oculorum illacrymatio dicitur.*
17 *Myopes a lippis differunt, & quomodo.*
18 *Myopis diſpoſitio a natura, non a morbo contrahitur, & quid ſit explicatur.*
19 *Alopecia contagioſus morbus eſt caput tentans, vt lepra totum corpus, et dicitur lepra in capillis.*
20 *Achores ſunt vlcera contagioſa in capite, vulgo* lattime, *dicta ex lactis vitio.*
21 *Febris quid ſit apud Medicos, & quid apud Iuriſconſultos explicatur.*
22 *Febrium contagioſarum differentia.*
23 *Dyſenteria maligna contagioſi morbi ſunt.*
24 *Rabies morbus eſt malignus, & contagioſus, Veteribus non incognitus, eiuſque accidentia explicantur.*
25 *Rabie affecti vocantur hydrophobi, ſeu hydrophoni, eo quòd aquas reformidant.*
26 *Hydrophobia Baldus nouellus perijt.*
27 *Rabies non explicatur, nec integrè definitur a Medicis.*
28 *Rabies affectio eſt melancholica, qua Ægrotantes delirant cum furore, & irrationabili aqua timore.*
29 *Maniaci a rabidis differunt, quia cum furore circa omnia delirant, aquam tantùm appetunt.*
30 *Rabies ortum habet a ſanguinis diatheſi atrabilaria, & quomodo.*
31 *Rabies contagione communicatur per rabientis morſum, dilacerata cute, & quomodo.*
32 *Rabiei contagium rarò ante vigeſimum, plerùmque poſt trigeſimum diem proditur, quandoque per menſem, & annum latitat, vel per quinquennium.*
33 *Sorbus arbor rabiem recidiuam inducere dicitur, eo quòd melancholicos vapores emittat, hoc tamen vanũ eſſe oſtenditur n. 34.*
34 *Rabiei contagium, nec ad diſtans, nec per fomitem, nec ſimplici fit contactu, ſed morſu, qui ſanguinem eliciat.*
35 *Rabire poſſunt ex ſe etiam quædam animalia præter canes.*
36 *Lupus in rabiem peiorem incidit.*
37 *Rabies quandoque ſerpentum morſu contrahitur.*
38 *Rabies concitatur etiam ex corde, & lingua veſpertilionum, & quibuſdam venenis.*
39 *Rabies, & hydrophobia ex aeris infectione aliquando excitatur.*
40 *Ad rabiem homines potiſsimùm proni ſunt.*
41 *Atrabilarij facilè melancholici fiunt, nonnumquam maniaci.*
42 *Rabies in homine, ſicut in cane, gignitur ex humorum corruptela;*

immò

immò plures sunt causæ in homine, quàm in cæteris animalibus.

43 *A rabido cane commorsa animalia rabire omnia præter hominem scripsit Aristoteles, eiusque sententia reijcitur.*

44 *Rabidi canis morsu pauci homines rabie afficiuntur, & affecti vt plurimùm conualescunt.*

45 *Rabientes quidam mente constantes referuntur.*

46 *Rabie laborantes, priùs melancholia, deinde maniaco delirio tentantur, & furibundi pereunt.*

47 *Rabientes nonnulli se se in canes conuersos putant, obuios mordent, latrant, vlulant, & per terram se se volutant.*

48 *In rabie, nedùm homines, sed etiam canes insaniunt suo modo.*

49 *A rabido cane commorsi, non integra mente fruuntur, etiamsi nondum rabiant; huiusque rei exemplum adijcitur.*

50 *Venenis facultas inest plures insaniæ species excitandi.*

51 *Venena quædam, etsi vitam non eripiant, perennem stoliditatem relinquunt, vt Napellus, Toxicum, & alia.*

52 *Variolæ, ac morbilli contagiosi morbi sunt nomine tantùm distincti.*

53 *Variolæ a materia crassiori, morbilli a tenuiori producuntur; illa magis, quàm hi cruciant.*

54 *Variolæ, ac morbilli pueros præsertim, raro viros, & senes, at omnes semel in vita corripiunt.*

55 *Variolæ, ac morbilli fiunt, cum sanguis ab infectione menstruali purificatur.*

56 *Variolis pueri fœliciùs liberantur, quàm adulti, & quare?*

57 *Variolæ, ac morbilli quibusdam signis, circa initia, dignoscuntur.*

58 *Variolarum contagium analogiam habet cum impuritatibus menstrualibus.*

59 *Variolæ quomodo appareant explicatur.*

60 *Variolæ, ac morbilli plerumque salubres sunt, & semel tantùm infestare solent.*

61 *Variolæ bis nonnullos inuaserunt, & quare?*

62 *Variolæ, ac morbilli aliquando praua sunt conditionis, atque lethales.*

63 *Variolæ aliquando pestilentes sunt, & cum fuerint multiplicatæ pestem portendunt.*

64 *Lepra, scabiei genus dicitur, cutem deformi obducens crusta, ab atra bile nascens, vehementi pruritu infestans.*

65 *Lepræ plura sunt genera, & species.*

66 *Lepræ plura signa dantur ab Auctoribus.*

67 *Lepra vera iam non ampliùs datur, saltem apud nos Europeos.*

68 *Nosocomia pro leprosis in Vrbe, & alibi, iure alios infectos excipiunt, & quos?*

69 Le-

69 *Lepra valdè contagioſa eſt.*
70 *Phthiſis contagioſa quid ſit, & vnde fiat?*
71 *Lues venerea non niſi contagione fit.*
72 *Lues venerea vnde originem duxerit explicatur, & an aliunde Neapolim peruenerit.*
73 *Lues venerea Synenſibus olim aſſueta fuit.*
74 *Lues venerea Indijs occidentalibus non fuit aſſueta, ſed eò adue-cta cum Æthiope, Mancipio, Pamphilide Naruaa.*
75 *Lues venerea non fuit huc delata ab eis regionibus.*
76 *Lues venerea flagellum Dei eſt, & commune carnis piaculum.*
77 *Luis venereæ proprietates vulgo notæ ſunt.*
78 *Epilepſia nomen, eſſentia, & proprietates notantur.*
79 *Epilepſia non propriè, ſed lato modo contagioſa eſt, quatenus hæreditaria.*
80 *Semen ab omnibus partibus corporis decidit, a ſanis ſanum, a morbidis morboſum.*



1 Ontagium † genus quoddam eſt nedum peſtilentiæ, ſed pluribus infectionibus commune; contagioſi quippe dicuntur varij morbi, quatenus, vel actu ab vno, alteri communicantur, vel poteſtatem habent ſeſe in aliena corpora exſerendi. Horum verò morborum quidam
2 benignæ naturæ ſunt, † nec vitæ inſidiantur, aut non ſubitò perniciem afferunt, quàmuis diuturnitate temporis
3 nonniſi cum vitæ diſcrimine aliquando inficiant; alij † vero è conuerſo malignæ ſunt, qui vitam, non ſinè præcipitio eripiunt.
4 Præterea nonnulli quoque contagioſi † morbi dicuntur, qui benigni, nec prorſus maligni videntur, ſed medij inter primam, & ſecundam ſpeciem vocantur, quia non præcipitanter occidunt, & quàmuis omninò vitæ non parcant, inducias tamen præſtant, & quandoque vitali robori, vel, vt Medici aiunt, remedijs cedunt. At qui ad primam, ſecundam, & poſtremam referuntur ſpeciem, quàmuis apud ſcriptores Medicos legi poſſint, noſtrum inſtitutum deſiderat, vt de ſingulis quædam pauca dicamus, ſaltem quoad illorum nomen, & eſſentiam, ſcitu digna, tùm apud Magiſtra-
5 tus, † quorum munus eſt Ciuitates inſtruere, & a morbis contagio-
6 ſis liberare, aut præſeruare; tùm apud noſtros Iuriſconſultos † ob varias in foro, occaſione horum morborum, agitatas controuerſias, ſiue ad matrimonia dirimenda, ſiuè etiam Moniales a Monaſterijs ſegregandas, & ob irregularitatis impedimenta, ab hiſcè

morbis quandoque prouenientia, sed vel maximè pertinentia ad contractus, & vltima elogia miserorum, qui ob prauitatem quorundam, non secùs, ac in peste destituti, forsan quoquè rationis impores, minùs ritè contrahunt, siuè testantur. Ea tamen breuitare de his morbis agimus, ne vagari videamur, sed vt illorum essentia nescientibus dumtaxat fiat cognita, scientibus autem minimè sit importuna.

7 Ad primam speciem † referuntur scabies, strumæ, seu scrophulæ, lippitudo, tinea puerorum, alopècia, eorundemque puerorum
8 achores, & simplex febris; nonnullæ enim febres † contagiosæ sunt, cum tamen, vt plurimùm salubres sint, teste *Fracastor. de*
9 *morb. contag. lib. 2. cap.* 1. & nos aliàs † quartanam febrem in adolescentia per contagium contraxisse meminimus. Ad secundam ve-
10 rò speciem † pertinent rabies, morbilli, variolæ, & omnium pes-
11 simus pestis morbus. In tertia denique specie † connumerantur lepra, elephantiasis, phthisis, lues venerea, epilepsia, & quædam febres. De his autem contagiosis morbis, exceptis lippitudine, & strumis, tractant *Fernell. de abdit. rer. caus. Sal. de febr. pestil. Hucher. de febrib. lib. 4. cap 7. Fracastor. de contag. lib. 2. cap. 1. & seq.* Lippitudinis verò meminere *Aristot. sect. 7. probl. 4., Alexand. lib. 2. probl. 14. Galen. lib. 2. ad Glauc. Cardan. com. 6. aphor.* 18. De strumis autem agit *Zacutus* doctissimus Medicus, *lib. 1. de medic. princip. histor. hist.* 84. Sed modò, qui singuli hi morbi sint, ordine præmisso videamus.

12 Scabies notissimus, & quidem contagiosus morbus est, sed † eius quamplura sunt genera, pro humorum differentia, & miscella; etenim quædam humida est, quædam sicca, at quomodocumque sit, nomen non immutat, & in essentia nil aliud est, quàm pruritus in vniuerso corpore, vel in pluribus partibus ex quadam asperitate, vel minimis pustulis in cute emanantibus, ab humorum prauitate proueniens; aliquando autèm solus vrget pruritus non apparentibus pustulis, at semper scabies dicitur, & contagiosa est, experientia teste.

13 Strumæ, † seu scrophulæ sunt tumores in collo, & in maxillis ex materia partìm frigida, & mucilaginosa, partìm terrea, ac melancholica, & dicuntur scrophulæ, quia plures gignunt tumores, quasi conceptus, quoniam sunt fæcundissimæ, veluti scrophæ, quàm verò contagiosi morbi sint tradit *Zacutus Lusit. de med. princip. histor. cap.* 8. 4. *in com.*

14 Lippitudo † contagiosa etiam est, vt vulgo innotuit, & ex
15 nostris notat *Mart. de Arles de superstit. n.* 36. definitur † autem quòd sit inflammatio tunicæ oculorum adnatæ, *Galen. lib. 2. ad Glauc.*

Glauc. vel pruritus oculorum cum rubedine, iuxtà *Cardan. com.* 6.
16 *cap.* 18. Nonnulli verò illam † oculorum lachrymationi attri-
buunt. *Mercurial. lib.* 1. *cap.* 38. *Alciat. Parerg. lib.* 6. *cap.* 12. qui
lippum, & myopem, id est lusciosum eodem affectu laborare credit;
17 cum tamen affectio myopis, † siuè lusciosi, etiam in communi
modo loquendi, diuersa sit ab affectione lippi; Myopia enim, seù
luscities, aut lusciosa affectio ea est, in qua quis parua propè vi-
det, magna verò propè non videt, & scripta oculis admota legit.
Rursus lippitudo a myopia differt, siquidem illa contagiosus mor-
bus est, & in oculorum tunica adnata, & cum inflammatione, seu
rubedine versatur, vt supra ostendimus. E conuerso autem myopia-
18 lis † dispositio a natiuitate, non a morbo contrahitur; nam oculus
malè conformatus magna procul non videt, proxima autem ma-
ximè; & ipsa experientia confirmat myopes minutissimos chara-
cteres legere, & conscribere, vt notat *Aristot. dict. sect.* 31. *probl.*
19 8. 15. *& alibi. Aet. serm.* 7. *c.* 45.

Alopecia † morbus contagiosus est, qui caput tentat, quem-
admodum lepra totum corpus aggreditur, & inter istam, & illam,
quædam affinitas est; vtraque enim ex prauo nutrimento fit, ijsdem
que ferè terminis definitur, quod est corruptio, vel magna altera-
tio carnis in superficie *Aristot. sect.* 10. *probl.* 20. Ideoquè apud Iu-
risconsultos lepra in capillis, alopecia dicitur, *Gloss. in cap. voluis-
sent de pœn. dist.* 1. crudelior verò est lepra, vt videbimus.

20 Achores sunt † quædam contagiosa vlcera in capite vulgò
lattime, ex lactis vitio prouenientia, vel ex eo quòd lactentes pue-
21 ros aggredi soleant. *Manard. lib.* 7. *epist.* 2.

Febris † simplex a Medicis antiquis definitur, extraneus calor in
corde accensus, & ab eodem in totum corpus diffusus per arterias.
Galen. 1. *de diff. febr. c.* 13. Nostri autem Iurisconsulti meliùs dicunt,
febrem esse motum corporis, siue sanguinis contrà naturam *l. quæ-
22 situm ff. de re iudic.* Earum verò febrium, † quæ contagionem fa-
ciunt, aliæ simplices, & salutares sunt, quædam pestilentes, &
plerumque lethales, nonnullæ malignæ tantùm vocantur, non
pestilentes, ex quibus multi quidem euadunt, sed multi quoque
pereunt, vt luculenter tradit *Fracastor. de morb contag. lib.* 2 *cap.* 1.
23 *& seq.* Febres quandoque in dysenterias † malignas desinunt,
seù fædas, & cruentas alui proluuies; & hi quidem morbi per se
contagiosi sunt, vt Medici vnanimiter consentiunt, & ex ijs *Da-
niel. Sennert. pract. lib.* 6. *part.* 3. *cap.* 4. *de morb. contag. diff.*

24 Rabies inter malignos, & † contagiosos morbos iure connumera-
tur, Veteribus (vt plerique existimant) non ignota, miserrimum
morbi

morbi genus est, in quo æger, nec stare, nec quiescere potest; sed
more furentis hùc illuc agitur, manibus corpus sibi dilacerat,
sitit immensè, aquam verò, & liquida omnia ità reformidat,
vt potiùs mori, quàm bibere eligat, nec ad aquas deduci vult,
ore spumat, oculos aspectu habet toruos, & obuios quoscumque
mordet, ac tandem valida febri, siti, metuque liquorum cruciatus,
cum furore delirat, vitamque defatigatus miserè perdit. *Fracastor. de morb. contag. lib. 2. Fernel. de morb. contag. lib. 2. cap. 2.*
25 *&* 14. *Cels. lib. 5. cap.* 27. Rabie autem † affecti vocantur
etiam hydrophobi, ex eo quòd in aquæ timorem, & odium incidant, quod hydrophobiæ speciale, & inseparabile signum est.
Sardiopon. lib. 5. cap. 7. & 8. vbi affectum vocat hydrophoniam,
& hoc morbo laborantes vocat hydrophonicos, prout sic nominatos legimus apud *Plin. lib. 24. cap. 5.* Verùm plura quæque nomina
huius ægritudinis recenset ex nostris *Tiraquel. de nobilitate cap. 31.*
n. 219. & hoc morbo perijsse † Baldum celebrem Iurisconsultum;
26 non quidem Perusinum, sed alium recentiorem referunt. *Matthiol. in Dioscor. lib. 6. c. 36. Cardan. 6. aphorism. 37. Marcell. Donat. lib. 6. cap. 1. Forest. lib. 19. obseruat. 27.* fortasse dicere volentes
Baldum nouellum, qui celebris doctor fuit, & maximæ authoritatis commendatur a *Cors.* 322. *col. 2. lib. 3. Tiraq. de leg. connub.*
27 *lib. 2. n. 9.* Quid autem † rabies propriè sit, non adhuc satis explicatur a Medicis, vt testatur *Petrus Sal. de morb. partic. c. 19.*
sed neque ab ipsis habetur integra illius definitio, si respiciamus
ad ea, quæ in vniuersum de hoc morbo dicuntur; videtur tamen famosa opinio apud quosdam, † quòd sit affectio melancholica, qua ægrotantes irrationabilem aquæ timorem incurrunt, &
28
ob id peculiariter cum furore delirant, & valdè febricitant: in quo
29 a Maniacis † differunt, & furiosis, qui circa omnia, vel plura insaniunt, sed aquam, & liquida omnia facilè deglutiunt,
& appetunt.

30 Originem habet hic etiam † morbus a diathesi sanguinis atrabilaria, quæ spirituum animalium indolem peruertit, ac ad insaniam disponit, tandem febrem suscitat, & cor ipsum con-
31 uellit, furorem, ac mortem affert. Contagione † autem communicatur per rabientis morsum, qui dilacerata cute sanguinem
attingit, quasi in sanguine ipso per contactum dentis, & spumæ contagio fiat, ac fermento maligno sanguinis crasim euertat,
32 sed tam segniter, ac per moras serpit, † vt rarissimè ante vigesimum diem prodatur infectio, & plerumque nisi post trigesimum; multis etiam latet spatio quatuor, aut sex mensium: quibusdam

buſdam verò per annum, & alijs nonniſi per quinquennium fit manifeſta, ad tradita per eundem *Fracaſtor. lib. 2. cap.* 10. vbi referr, ſe vidiſſe puerum, qui a rabido cane commorſus, octo ab indè menſibus contagionem oſtendit, ex qua mox perijt. Fertur etiam,
33 quòd ſi quis ſub arbore Sorbo iacuerit, † cum aliàs a rabido cane fuerit demorſus, in rabiem rurſus feratur, & idem *Fracaſtorius* non putat a ratione alienum, quòd vapores, qui ex arbore Sorbo perpetim exhalant ſtiptici quidem, & quodammodo melancholici, per aerem ad hominem delati, & intùs calefacti, ac putreſcentes idem facere poſſint, quod ſeminaria eiuſdem morbi, præſertim in eo, qui iam ſemel rabidus fuit, propter diſpoſitionem rabiendi ſibi a priori infectione relictam. Nos verò vtrumque vanum exiſtimamus, quià, nec primum teſtimonio roboratum legimus, nec ſecundum ratio admittit, quandoquidem ex eodem *Fracaſtor. lib. 2. cit.*
34 Contagio † huius morbi non concipitur ad diſtans, nec per fomitem, nec per ſimplicem contactum, ſed per ſolum rabientis morſum, qui ſanguinem eliciat; id autem facere nequeunt vapores Sorbi arboris, quamuis melancholici ſint; cùm nec Sorbus rabiem habeat, neque eius mala edentibus, hoc malum eueniſſe conſtet. Et ſi autem verum ſit, quòd vapores præfati melancholici ſint, melancholiam, vel melancholicos morbos procreare poterunt, rabiem verò per ſe generare nequaquam, cum nec id valeant vapores, & halitus ipſorum rabientium. At magìs miramur, quod *Fracaſtor. ibid. & ipſe Galen. lib. 6. de loc. aff. c.* 5. *Ardoyn. de venen. lib. 7. c.* 2. affirmant: Animal nullum per ſe rabire
35 præter † canes; & rursùs admirationem parit idem *Fracaſtorius loc. cit.* inquiens: animalia, quæ rabidi canes momorderint, rabire omnia præter hominem ex *Ariſtot. lib.* 8. *de hiſt. animal. cap.* 22. Quàm verò hæc vana ſint facilè conuincitur; nonnulla enim animalia præter canes rabiem incurrere notum eſt, vt referunt *Plut. in lib. de induſtr. animal. Auicen. fen.* 6. 5. *tract.* 4. *cap.* 1. *Petr. Sal. de morb. particular. cap.* 19. *Marcell. Donat. lib.* 6. *cap.* 1. Maximè ve-
36 rò Lupus † in rabiem, & quidem peiorem incidit, experimento non ſemel apud Villicos manifeſto: quod etiam ſentiunt *Auicen.*
37 *loc. cit. Cardan. de ſubtil. lib.* 10. Prætereaex † quorundam Serpentum morſu interdum rabies, & hydrophobia contrahitur, *dict. lib.* 5. *cap.* 7 *&* 8. *Theodor. Priſc. ad Timot. lib.* 2. *cap.* 8. Quinim-
38 mò etiam cor. † & lingua Veſpertilionis, ac venena quædam rabiem concitant, ſi credamus *Oued. in ſumm. & in hiſt. de Occid. ſud.* &
39 quòd mirabilius eſt, ab aeris † etiam infectione aliquando excitari, ſcribunt *Garpont. & Auicen. loc. cit.* atque ratio conſentit, quòd

Xxxx homi-

40 homines ad rabiem † potissimùm proni sint. Nonnulli enim, qui ma-
41 ximè atrabilarij † sunt, facilè melancholici fiunt; propriè verò irascibiles nonnumquam indignantur, & in maniam ruunt, morbum a rabie non dissimilem valde; hinc absque vllo etiam aeris vitio rabiem ex se concipiunt, *Cardan. Ponzett. lib. 3. de venen. c. 16. Paræus lib. 20. chirurg. cap. 13.* idemque voluit *Galenus* sibi ipsi
42 contrarius *com. 2. in primum proreth. cap. 7.* Et sanè † ex humorum corruptela in homine, non minùs ac in cane, rabies, & hydrophobia gignitur; quinimmò multò plures rabiei causæ in homine vigent, quàm in cæteris animalibus, vt optimè comprobat *Cal. Aurel. lib. 3. cap. 9. Petr. Sal. lib. de morb. particular. dicto c. 19.* Ex quibus profectò patet reijciendam esse *Aristot.* sententiam *dict. lib. 8. de histor. animal. cap. 22.* affirmantis animalia a rabido cane
43 commorsa † omnia rabire præter hominem, cum etiam vulgo notum sit, ex morsu rabidi canis rabiem hominibus communicari, & non semel id accidisse constiterit, quamobrem, qui Aristotelem tueri conantur, ad verborum circumuolutionem, & distorsionem confugiunt, vt videri potest apud *Mercurial. lib. 1. var. lect. cap. 2.* contendentes Aristotelem dixisse animalia, quæ rabidi canes momorderint, rabire omnia, priusquam homo, non autem præter hominem. Sed hoc non admittit eiusdem Aristot. lectio Græca, nec Latina, neque id negat *Fracast. loc. cit.*, qui ex alio tamen illius sententiam sustineri putat; siquidem ait hominis naturam longè alienam esse ab ea feritate, atque analogia, quam cætera animalia cum canibus habent; hinc verò fieri, vt hominum plerique beneficio temperaturæ, contagium ex morsu canis non contrahant, vel susceptum facilè superent, ideoquè Aristotelem in eam iuisse sententiam a contingentibus vt plurimùm: in hoc autem sensu, Aristotelis di-
44 ctum minimè absonum foret, quia ex morsu † rabidi canis admodum pauci homines rabie afficiuntur, & affecti vt plurimùm conualescunt Medicorum testimonio. At non leue dubium inter Medicos est; an rabie affecti homines delirent, mentisque impotes fiant? id enim negant *Petr. Sal. de mora. particul. dicto cap. 19. Eustach. Rud. lib. 4. de morb. occult. & venen. cap. 13.* & præsertim testatur
45 Salius vidisse † rabientes quosdam mente constantes, appositèque ad omnia respondentes. Affirmatiuam verò sententiam tenent *Garipon. lib. 5. cap. 8. Haly Abbas theorem. lib. 8. cap. 2. Auenzoar. lib. 1. Theisir. c. 9. 16., & inter alios Bacc. in prolegom. venen. cap.*
46 *de can. rab. mors. art. 5.* qui manifestè ostendunt † huius morbi effectu laborantes, ad instar melancholicorum delirantium, imaginatiuam habere læsam, deinde in furorem, ac maniam ruere, & omnium

nium oblitos perire furibundos. Quidquid autem ſcribant Salius & Rudius loco ſuperiùs citato, certum eſt, quòd ipſi quoque affirmant, rabientes adeò melancholia vexari, vt aquam irrationabiliter
47 pertimeſcant. Verùm nonnulli quoque, † ita læſam rationem habent, vt ſe ſe in canes conuerſos putent, obuios quoſcumque mordentes, more canum latrantes, vlulantes vt Lupi, ac per terram ſe ſe voluentes. *Ardoin. de venen. lib. 7. cap. 2. Marcell. Donat. lib.*
48 *6. cap. 2.* Immò nedum homines in rabie † inſaniunt, ſed ipſi etiam canes ſuo modo deſipiunt, vt aſserit *Plut. de induſtr. animal.*, &
49 quandoque homines a rabido † cane commorſi non integra mentis ſanitate fruuntur, quamuis nondum in rabiem inciderint. *Cardan. lib. 1. de venen. cap. 16.*, vbi id proprio Patri eueniſſe narrat, nec mirum videtur, morſus enim rabidi canis venenoſus eſt,
50 & omnibus ferè venenis † facultas ineſt, plures inſaniæ, ac delirij ſpecies excitandi. *Cardan. contradict. medic. lib. 2. tract. 5. con-*
51 *trou. 10.* Quin, & venena † quædam, licèt vitam quandoque non eripiant, attamen perennem relinquunt ſtoliditatem, & de Napello tradit *Caſalp. in prax. lib. 3. cap. 20.* & de toxico aſſerunt *Paul. lib. 3. cap. 3. Lang. lib. 1. epiſt. 68.* Alia inſuper venena ſunt, quæ licèt non interficere valeant, vim tamen dementandi habent, & iſtorum plurima recenſet *Euſtachius Rudius de morb. occult. lib. 4. cap. 6. & ſeq.* Hæc, & ſimilia de rabie apud Medicos habentur, quibus addi poteſt non improbabilis ſententia, quam libello peculiari proponit Ioſephus de Aromatarijs docens, rabiem Anginæ ſpeciem eſse, eiuſque principaliora ſymptomata ab infectione laryngis, & contiguarum partium dependere. Iam verò calami lapſu ſatìs ſuperque de rabie diximus; modò autem ad alios contagioſos morbos iuxtà inſtitutum progrediamur.

52 Variolæ, ac morbilli, contagioſi, ac pueriles morbi ſunt nomine diſtincti; maxima verò affinitate inter ſe coniuncti; ambo enim ex eadem cauſa proueniunt, nec aliter differunt, niſi
53 quòd Variolæ a materia † craſſiori producuntur; morbilli autem a tenuiori, & illæ magis quàm iſti plerumque infeſtant; ideòque nonnulli exiſtimant affectionem ſub vnica morbi ſpecie comprehendi, ea ratione, quia plus, & minùs non variant ſpeciem; ipſe autem vulgus variolas a morbillis diſtinguit; ſi quidem per variolas intelligit illas, quas Varolas appellat puſtularum ſimilitudine, at Morbillos vocat. Ferzas a feruore fortaſse dictos in ſumma puerorum cute rubras apparentes, ni fallimur, Roſolias
54 nuncupatas. Proprium verò iſtorum morborum eſt, † quòd præcipuè pueris, rarò viris, rariſſimè ſenibus, & omnibus ſemel in vita,

saltem alter contingat, nisi præcox mors hominem tollat; vter-
55 que † enim fit ex quadam ebullitione, & purificatione sanguinis, per quam infectio a sanguine menstruo in vtero matris contracta secernitur, & sanguis hac ebullitione defæcatur, per quandam ferè vniuersalem naturæ crisim, & omnes hanc patimur affectionem, quia omnes menstrualem ab vtero infectionem defetimus,
56 sed pueri † ab ea fæliciùs euadunt, quàm adulti; quoniam, si qui in tenera ætate eam sanguinis labem non expurgent; signum est quòd sanguinem habeant valdè impurum, separationi adhuc non idoneum, mox in grandiori ætate, maiori vi, sed maiori etiam periculo expurgandum: & ob id matres optare solent, quòd hæc affectio teneris filijs adueniat; sed ab initio non facilè dignoscitur, quandoquidem a febre incipit, nec variolæ, neque morbil-
57 li se illicò produnt; signa tamen † quædam præcedunt, ex quibus de illis suspicari potest; nimirùm si luceant oculi, si dorsum confractum sentiatur, si facies rubra sit, & febris continenter affligat, tarda quidem magis, quàm mordax, & signa potissima sunt, si populariter id febrium genus vagari cœperit, puer verò sit qui febrit, & aliàs huiusmodi febrem non senserit, tùm magis, si cum
58 alio infecto fuerit conuersatus. † Analogia huius cõtagionis, est ad eamdem sanguinis superfluitatem, quæ ex materno menstruo fuit contracta, & ad eos analoga est infectio, quibus purificatio san-
59 guinis, nondùm est facta. Pustulæ † deindè circa quartam huius affectus diem, aut paulò post apparere solent, primùm quidem sparsæ, velut maculæ rubentes, deindè manifestiùs crescunt; si verò sanguis pituitosior sit, variformes fiunt, albæ, rotundæ, mucore quodam plenæ; at si biliosior extiterit, sicciores
60 erumpunt. Cæterum † hi morbi, vt plurimùm salubres sunt, nec ampliùs ad eos reuertuntur, qui aliàs iisdem infecti fuere; ob-
61 seruatum tamen fuit, † quòd bis nonnullis aduenerint, quibus priùs non exactè ea infectio fuerat secreta; aliquando autem pra-
62 uæ † naturæ sunt, ac plerumque interimunt. *Auicen. tract.4. Mercurial. lib. 1. de morb. puer. cap. 2. Forest. lib. 6. obseruat. n. 41.*
63 *& seq.* Interdum † etiam pestilentes euadunt, & cum multiplicantur ipsam pestem portendunt; vt omnes tradunt de Peste scribentes, vbi de præsagijs futuræ Pestis agunt.

64 Lepra apud Galenum, † cæterosque Medicos Græcos scabiei genus dicitur, cutem deformi obducens crusta, ab atrabilarijs recrementis nascens, vehementi pruritu infestans, & in hac significa-
65 tione apud Latinos etiam expenditur. Plura verò sunt † Lepræ genera, & species, vt luculenter tradit *Mercurial. de morb. cutan. lib. 2.*

lib.2. cap. 5. & ex nostris Brunell. de sponsal. & matrim. conclus. 8.
66 *n. 8.* Plura † etenim lepræ signa dantur, præ cæteris accuratè numerata *a Bauord. cons. 22.* incipien. *A nonnullis dictum est. Valles de sacr. philosoph. c.14.* De his autem non videtur peculiariter agen-
67 dum; Lepra † enim propriè lepra, vel vt aiunt Medici, confirmata, Deo dante iam dudum ab aula morborum recessit, vel saltem apud nos Europeos raro, aut nunquam visa fuit, & quamuis in
68 pluribus Ciuitatibus, & præsertim hìc Romæ † Xenodochia sint, peculiarem institutum habentia pro leprosis; hoc tamen generico nomine vtuntur, siquidem scabiosos, pruriginosos, impetiginosos, lentiginosos, & similes recipiunt, qui affinitatem quamdam cum
69 leprosis habere videntur. Quàm verò contagiosus † hic morbus sit tradunt *Auenzoar Theyzir lib.2. tract.7 cap.12. Fracastor. de morb. contag. lib. 2. cap. 14. & 15.* idque, vel ipsi Plebei norunt *ex Fernellio de morb. contag. lib.2. cap.14.*
70 Phtisis † contagiosa nil aliud est, quàm vlcus sordidum pulmonis, a diathesi salsa, vel acida sanguinis inductum, quo sensim totum corpus läguescit; & quia pulmones continuo expirationis motu halitum inquinatum emittunt, ideò contagiosa est huiusmodi affectio ex doctrina *Arist.1. probl. sect.7.* Pulmo siquidem flabellũ est, perennique respirationis motu cruoris massam circumagit, haustoq; spiritu exhilarat, rarefacit, ac miscet, fuligines perpetim expellendo, certè si tabidus, atque infectus fuerit, labem suam continuo motu aeri facilè communicat, spiritus quippè vitiati, ac subtiles cruoris fuligines inquinatæ, vnà cum aere expirato, ab infectis pulmonibus erumpunt in finitima corpora, eamdemque labem ijs imprimunt. *Aristot. probl. lib. 7. probl. 8. Alexand. Aphrodis. 2. problem. 92.*
71 Lues Venerea, † nedùm est contagiosa; sed, non nisi contagione fieri posse, vulgaribus etiam hominibus notum est. Hinc *Fe-*
72 *lix Platerus*, & alij primam in Europa † eius propaginem, contagiosum venenum fuisse referunt, quod priùs Christophori Columbi milites a scortis Indis concubitu contraxerant, posteaque in Hispaniam reuersi, & indè ob annonæ caritatem propulsi, scortis Gallis illud communicauere, quo tempore cum Gallorum exercitu Neapolim primò vexauit hic morbus, & Latium, omnesque propinquas Regiones percurrit, idque asserunt *Fracastor. de morb. contag. cap. de morbo Gallico lib. 1. Anton. Beniuen. de abd. morbor. caus.* Quidam Orientales Indias accusant, cum Synensi-
73 bus ab olim assueta fuerit lues; † sed hæc omnia circa originem luis venereæ controuertit *Ioannes Baptista Vanhelmont. tum. pest. cap. 5.* vbi comprobat ex Ferdinando Cortesio Indiarum Occiden-

 talium

talium expugnatore, illas Regiones tunc temporis nondum agno-
74 uisse luem, sed † eò aduectam, cum Æthiope mancipio Pamphili
de Naruaez; qui fortasse ab obsessu Neapolis eò appulerat; probat
75 insuper idem Auctor, non aduectam fuisse luem † in Europam ab
istis Regionibus, quia nemo illinc Neapolim venit obsidionis tempore; porrò varia, & pulcherrima idem affert circa huius morbi genesim, & ex reuelationibus Sanctorum, varijsque rationibus
76 comprobat † flagellum Dei esse, atque commune carnis piaculum. Nos breuitati consulentes, non hic fusiùs de hac lue dicemus, neque ipsius proprietates expendemus, quæ non Medi-
77 cis tantùm, † sed & Vulgo notæ sunt.

78 Hisce morbis additur Epilepsia, † quam alij comitialem, & sacrum morbum dixerunt, siuè magnum, & reconditum.

Definitur a *Galeno* 3. *de loc. aff. cap.* 7. distensio totius, siuè conuulsio interpolata, qua homo subitò concidit, sensuum omnium functionibus interceptis, vt nec audiat æger, nec expeditus præteritorum meminerit; atque hæ proprietates describuntur a *Lucret. lib.* 3.

Subita vi morbi sæpè coactus
Ante oculos aliquis nostros, ceù fulminis ictu,
Concidit, & spumas agit, ingemit, ac tremit, artus
Desipit, extentat, neruos torquetur, anhelat,
Inconstanter, & in iactando membra fatigat.
Nimirum quia vis morbi distracta per artus
Turbat agens animam, spumans, vt in æquore salso
Ventorum validis feruescit viribus vnda.

79 Non est propriè contagiosus hic morbus, † sed lato modo talis dici potest, quatenus hæreditarius est; omnes quippè morbi hæreditarij contagiosi lato modo dici possunt, quatenus semen gignendis fœtubus inquinamenta communicat, inquit enim *Hip-*
80 *poc. loc. cit.* Semen † ab omnibus partibus decidere, a sanis sanum, a morbidis morbosum; atque hac ratione a Patribus nati Epilepsiam veluti quadam contagione contrahunt.

Hisce morbis addi posset etiam scorbuttus, qui penès aliquos contagiosus est; verùm quia in nostris Regionibus nunquam, vel saltem rarissimè apparuit, ideò nihil de hoc videtur dicendum.

CAP.

CAP. CCLVI.

ARGVMENTVM.

AGitur de ſignis, & prognoſticis Peſtilentiæ, iam præſentis; eorum neceſsitas demonſtratur. Omnia accidentia peſtilentium morborum recenſentur; varia experimenta adducuntur, quibus Peſtis in Aegrotis detegitur. Certiora ſigna eruuntur in elapſa Peſte obſeruata. Prognoſtica omnia expenduntur, quibus prædici ſolet Infectorum ſalus, vel interitus, longitudo, aut breuitas epidemiæ, aut modus, quo ipſa deſinit.

SVMMARIVM.

1 *Signi veri defectus peſtem magis adauget.*
2 *Medici in principio Peſtis nil certi proferunt, & dum contendunt, lues augetur.*
3 *Signa diuiduntur in duo ſumma genera.*
4 *Signa Peſtis demonſtratiua ex proprijs effectibus deſumuntur.*
5 *Signum Peſtis certum eſt, ſi plures eodem morbo corripiantur, & pereant; in principio tamen non obſeruatur.*
6 *Morbus, vt dicatur peſtilens non eſt neceſſe per multos graſſari, multoſque perdere, ſed ſufficit poſſe.*
7 *Cauſa, & praſagia Peſtis, ſi praceſſerint, & certi quidam morbi vagentur, Medici obſeruare debent, an peſtiferi ſint.*
8 *Semen peſtiferum in principio, a cruditatis ſtatu ad maturitatem pergit, & ſuum aeri fermentum imprimere incipit.*
9 *Magiſtratus tempeſtiuè Medicos conuocare debent, ac tutiorem ſententiam perpendere.*
10 *Magiſtratuum incuria Neapolitanam, & Genuenſium cladem adauxit.*

11 *Co-*

11 *Commercia non abrumpenda sunt, nisi manifestas contagij notas morbus dederit.*

12 *Medici in principio, effectus omnes, & accidentia expendere debent, quæ febribus etiam malignis communia sunt.*

13 *Febres malignæ solo magis, & minus a Peste differunt.*

14 *Morbi malignitas in hoc præsertim consistit, quod morbus tacita virulentia iugulat, nec sui vires ostentat.*

15 *Febris pestilens subita virium prostratione, ac tacita virulentia, dignoscitur.*

16 *Semina Pestis spiritus coinquinant, ideò vires subitò prosternunt.*

17 *Febris hectica pestiferæ signa.*

18 *Pulsus in febre humorali pestifera optimos Medicos fallit, ipsumque Galenum decepit.*

19 *Pulsus in progressu Pestis crebrior micat, quàm aucti caloris ratio efflagitet, debilis est, inordinatus, & contrectantium digitos effugit.*

20 *Pulsus in Vrbis pestilentia tractabantur, languidi, profundi, & frequentes.*

21 *Calor in Peste plerumque mitis apparet, cum tamen interiora vrantur.*

22 *Febrilis calor exurens, quibusnam signis in Peste cognoscatur?*

23 *Signa varia recensentur, quæ indicant Pestem, cerebrum, & neruosum genus lacessere.*

24 *Medicamenta purgantia in elapsa Peste mortem accelerabant.*

25 *Signum Pestis censetur liuor in vnguibus, naso, auribus, ac digitis.*

26 *Signum certum desumit Galenus ex fœtido anhelitu, & quare?*

27 *Signa certiora sunt bubones, parotides, carbunculi fœtidi, maculæ nigræ, liuidæ papulæ, sacer ignis.*

28 *Carbunculi, & bubones, licèt sine Peste dari possint; diuersi tamen sunt.*

29 *Bubones non pestiferi nullum lethale symptoma præseferunt, etiamsi retrocedant.*

30 *Bubo pestilens, cum detumuerit, retrogrado ve neno perimit.*

31 *Bubones pestiferi repentè turgent cum acerrimo dolore, atque ipsis, carbunculi coniunguntur.*

32 *Carbunculi pestiferi, quibus signis cognoscantur?*

33 *Carbunculi Pestis immunes, non tanto dolore afficiunt, nec tam atro colore nigricant; ignaui sunt, nec lethalia præseferunt accidentia.*

34 *Signa Pestis omnia, vel plura in varijs ægrotantibus obseruari debent.*

35 *Spo-*

35 *Sporadici morbi in elapsa Peste non multùm vagabantur.*
36 *Semen pestiferum fermentat humores, qui alias ægritudines parituri erant, eosque in pestiferam naturam vertit.*
37 *Febres intermittentes pestiferæ fieri possunt.*
38 *Febris hemitritæus pestilens, plures Peste affectos inuasit.*
39 *Signa Pestis in principio desumi possunt ex varijs experimentis.*
40 *Signum pestis eruitur ex lardo insulso, quo pedes ægroti inunguntur, & catulo lambenti offeruntur.*
41 *Signum Pestis habetur etiam ex lardo calefacto sub axillis, vel inguine Infirmi diù retento, & cani proiecto.*
42 *Signum Pestis elicitur ex Saphiro, vel Hyacintho citrino super membro dolente imposito.*
43 *Signum aliud certum eruitur ex puluere bufonum in forma cataplasmatis applicito.*
44 *Signa certiora sunt, subita virium prostratio, & excellens contagium.*
45 *Febres malignæ a pestilentibus differunt per contagij gradus.*
46 *Signa in omnibus Infectis nuper obseruata recensentur.*
47 *Contagium in elapsa Peste adeò inualuit, vt omnes casus ab hoc solo exorti fuerint.*
48 *Contagio remoto præseruati fuerunt Regularium, & Monialium Conuentus in Vrbe.*
49 *Contagio remoto quædam Oppida Pestem non senserunt, vt Cornetum, & Tulpha.*
50 *Contagio remoto quatuor triremes præseruatæ fuerunt.*
51 *Prognostica Infectorum, vel fallacia sunt, vel infausta.*
52 *Pestis morbus omnium acutissimus est.*
53 *Prognostica Infectorum, plerumque lethalia sunt ex Hippocrate.*
54 *Peste Infecti, sexto die, septimo, vel octauo, nonnulli subitò intereunt.*
55 *Prognosticum salutare fieri potest, quando perseuerant vires.*
56 *Signa, quæ Naturæ robur in Ægris indicant, recensentur.*
57 *Bubones subitò erumpentes ad locum minimè periculosum, si accidentia remittant, & concoquantur, salutares sunt.*
58 *Carbunculi a corde, ac nobilioribus partibus remoti, si ritè purgentur, minùs periculosi sunt.*
59 *Parotides post morbi vigorem erumpentes, & maturescentes, certam spem salutis exhibent.*
60 *Prognostica lethalia in principio sunt inopportunæ euacuationes.*
61 *Crises malæ in Peste, alijsque morbis, quænam sint explicantur.*
62 *Crises absque concoctione victam, & oppressam naturam indicant.*

63 *Prognostica quædam mortalia recensentur ex varijs accidentibus desumpta.*

64 *Sanguinis paucæ guttæ stillantes à naribus pessimæ sunt in Peste, & quare?*

65 *Bubones crudi, & retrocedentes, lethales sunt.*

66 *Parotides in principio mortem præseferunt.*

67 *Carbunculi fœdi in locis periculosis cum vlcere depascente lethales sunt.*

68 *Carbunculi plures paucis sunt periculosiores.*

69 *Bubones plures paucis salubriores censentur.*

70 *Pestem non vltrà triennium sæuire Cardanus asserit.*

71 *Pestis in quibusdam Regionibus, aut rarò, aut numquã extinguitur.*

72 *Pestis Tholosæ septennium aliquando superauit.*

73 *Pestis annos quinquaginta durauit.*

74 *Pestis apud Belgas hoc seculo quindecim durauit annos.*

75 *Contagij fomes luem extinctam facilè suscitat, quæ recrudescit, si dispositionem inueniat.*

76 *Aeris vitio exorta pestis integros annos perdurat, si contagionis ope crescat.*

77 *Aer pestilens intenso hyemis frigore, vel immodico æstatis ardore purgatur, & quare?*

78 *Pestis apud Ægyptios cessat, cum Sol primam Cancri partem ingreditur, & si quis peste laborat, eà hora periculum euadit.*

79 *Regiones nonnullæ calidissimæ a Peste immunes sunt.*

80 *Aer pestilens apud Belgas, & Septentrionales, frigore immodico liberari solet.*

81 *Prognosticum sedatæ Pestis, & breui duraturæ, elicitur a morbis benignis, cum vagari incipiunt, idque fuit in Vrbe obseruatum.*

1 Ihil est, † quod pestem magis adaugeat, quàm veri signi defectus. Sciunt equidem Medici tantam esse signorum necessitatem, vt sinè ipsis Medicina corruat: Verùm circa Pestis initia, rarò, aut nunquam hi vera signa asse-
2 quuntur, & † nil certi proferunt in varias distracti sententias: quidam enim pestiferas febres esse contendunt, vbi peticulæ, bubones, carbunculiuè appaiuerint: nonnulli ex opposito hæc signa, tanquam incerta reijciunt, ac pestem adesse negant, si statim plures in Vrbe morbus non apprehendat, ex his plurimos interficiens: intereà morbus

statim

ſtatim augetur, & veluti parua ſcintilla, quæ antea præfocari poterat, in maximum creſcit incendium; ſic Peſtis ipſa in principio neglecta, mox efferatas vires ita expandit, vt nullo ſtudio, nullouè artis præſidio ſedari poſſit. Nos, vt omnia ſigna eruamus, com-
3 muniori methodo, † hæc in duo ſumma genera diuidimus, cum *Fernel. path. lib. 2. cap. 7.* Siquidem alia demonſtratiua appellantur, quæ præſentem Peſtis conſtitutionem, eiuſque cauſas detegunt; alia verò prognoſtica, quibus varij euentus, circa ſalutem, vel mortem, longitudinem epidemiæ, aut breuitatem præuideri ſolent.

4 Demonſtratiua † peſtilentiæ ſigna ex proprijs, & genuinis effectibus graſſantis epidemiæ deſumuntur; effectus enim ſuæ cauſæ index eſt. Inter cæteros autem luis effectus, vnus præſertim a Me-
5 dicis conſiderari ſolet: † nimirùm quòd plures eodem corripiantur morbo, eorumque complures pereant *ex Hippoc. 3. epidem. ſect. 3. 4. 20. & de rat. vict. in acut. t. 9. & Galen. in comm. ſuper loc. cit.* id autem non in Peſtis primordijs obſeruari poteſt, ſed tantummodo in ipſius progreſſu, quando iam epidemia graſſari cæpit, nec vllo ampliùs ſigno opus eſt; ſed ſuo quiſque periculo efferatas morbi vires agnouit. Plerumque circa initia vnus, vel duo Peſte corripiuntur; non ideò tamen negandum eſt illos Peſte laborare,
6 ſiquidem, † vt peſtilens dicatur effectus, non oportet plurimos actu apprehendere, nec plurimos ex ijs perdere, ſed ſufficit poſſe *Zacut. Luſit. de medic. princip. hiſtor. lib. 2. hiſt. 89. dub. 52. Daniel. Sennert. in defin. peſt. Maſſaria lib. 1. de peſt.* alijque cordatiores Medici. Quare, vt peſtis initia ſubitò aſſequantur, debent Artis Periti præuias eius cauſas, & præſagia meminiſſe; quòd ſi cum
7 ea † præceſſerint, febres malignæ, vel ardentes epidemiæ fiant, ac in aliquibus maculæ nigræ, bubones, aut carbunculi appareant, nec non morbilli, variolæ, anginæ, peripneumoniæ, ac dyſenteriæ pernicioſæ vagentur, diligenter animaduertere debent Medici, an ij ſint Peſtis characteres, nam vt perbellè quidam Modernus aſſe-
8 rit in hiſcè morbis † ſemen peſtiferum à crudiratis ſtatu ad maturitatem pergit, ac ſuum aeri fermentum imprimere incipit; timendum ſanè eſt in hiſce morbis, nè purredo, quæ leniter cæpit in corporibus diſpoſitis, tandem vlteriùs creſcat, & longè, latèque graſſetur, quemadmodum, cum incipiunt arundines leui aliquo vento agitari, timendum eſt, ne Arbores illæ frangantur, quæ prima venti exordia debiliora ſentire non videbantur. Prin-
9 cipes verò, & † Magiſtratus tempeſtiuè Medicos conuocare debent, quod ſi diſſidentes ipſos inter ſe ſe, vt moris eſt, audierint

rint, tutior sententia diligentiùs est perpendenda; nam vt Moralis docet, *Plerumque sapiens metuendo vitat malum*; & satis alieno periculo nouimus Neapolitanam, & Genuensium cladem,
10 non aliunde quàm ex † Magistratuum incuria deriuasse; non
11 tamen illicò abrumpenda sunt commercia, † nec subitò terrore percellendi Ciues, nisi manifestas priùs contagionis notas morbus dederit de vna in aliam Domum pertransiens. Contagium quippe, licèt alijs quibusdam morbis commune sit, pestilentiæ tamen ità conuenit, vt sinè ipso hæc dari non possit.

12 Itaque circa Pestis initia, vt possint † Medici verum præstare iudicium, effectus omnes, & singulos, vel symptomata, vt ipsi loquuntur, diligenter expendere debent, quæ alijs quidem febribus
13 communia sunt; nam solo † magis, & minùs, malignæ febres endemicæ a Peste differunt, *Fracastor. de morb. contag. lib. 2. cap 8. Lazar. Riuer. prax. med. lib. 17. cap. 1. in proem.*; sed tamen in pestilenti constitutione effectus omnes, aut symptomata sæuiora obseruantur, atque extremum malignitatis gradum præseferunt.
14 Cum autem † malignitatis gradus in hoc præcipuè consistat, quod morbus tacita quadam virulentia iugulat, nec proprias vires ostentat, vt sæpiùs inculcat *Vallesius in comm. ad lib. de rat. vict. &*
15 *Lazar. Gutier. Febrilog. curs. 7. lect. 7* Febris † pestilens hac tacita virulentia potissimùm, & subita virium prostratione dignoscenda
16 erit; nam Pestis semina † inspiratione attracta, quandam cum spiritibus societatem ineunt, ipsosque insensibiliter destruunt, ideoque vires illicò prosternunt, vt contingit in ephemeris pestilentibus, quæ spatio vnius naturalis diei perimunt. Febres etiam he-
17 cticæ † pestiferæ subitò vires deprimunt, & grauem reddunt anhelitum, cum tamen vix vllas caloris, aut manifestæ alterationis notas præseferant; vndè *Auicen. fen. 1. 4. tract. 4. cap. 1. & 2.* huius pestilentiæ morem expressit, inquiens. *In hisce febribus, neque Ægrum, neque Medicum sentire multitudinem caloris, non alterari pulsum magna alteratione, atque ægrum interea properare ad mortem, dùm Medici hæsitant circa essentiam morbi*; quæ signa hæcticæ pestiferæ tradunt etiam. *Auenzoar. Theizir. tract. 3. cap. 1. Auerr. 4. colliget. cap. 14. prope finem.*

18 Quòd † si Pestis cum humorali febre complicetur, pulsus etiam optimos Medicos fallere solet, teste *Galeno 3. de præsag. ex puls. c. 4.* vbi quandam enarrat Pestem sui temporis, in qua Ægri ab initio ad finem pulsum habebant, qui parùm a naturali deflexisse videbatur; subditque tali pulsu pollentes præter cæteros perijsse. At-
19 tamen, vbi venefica vis sanguinem agitare cæpit, † pulsus cre-

brior

brior micat,quàm aucti caloris ratio efflagitet,debilis eſt,inordina-
tus, & contrectantiũ digitos videtur effugere,vt paſſim obſeruabāt
20 Medici in elapſa Peſte, qui referebant † omnes, & ſingulos ægro-
tantes, languidos pulſus, profundos, & frequentes exhibuiſſe. Ple-
21 rumque etiam † calor ad tactum mitis apparet, cum tamen in-
teriora vrantur *ex eodem Galeno 6. epidem. ſect. 1. lib. 11. ſimpl. cap.
de terr. ſamn. ad finem, lib. 3. de criſib. cap. 4. Method. cap. 2.* quod
in Attica Peſte *Lucretius* eueniſſe refert.

Nec nimio cuiquam poſſes ardore tueri
Corporis in ſummo ſummam ferueſcere partem,
Sed potiùs tepidum manibus proponere tactum.

Subditque.

Intima pars Homini verò flagrabat ad oſſa;
Flagrabat ſtomacho, flamma vt fornacibus intus.

22 Internus autem † ardor, quàmuis tactui non reſpondeat, argui-
tur tamen ex capitis acri dolore, exurente ſiti, lingua aſpera, &
nigra, reſpiratione crebra, ventris morſu, vigilijs multis, aliena-
tione mentis, flammeo rubore oculorum, alijſque ſymptomati-
bus, quæ quidem in peſtilenti conſtitutione grauiſſima eſſe ſolent,
vt inquit *Paul. Ægineta lib. 2. cap.* 3. 36.
23 Alia inſuper † ſigna *Galenus* adducit 1. *epid. com.* 1. 4. 1. & 3.
itidem epidem. com. 3. *tex:* 12. nimirum infectos parùm rigere, dùm
morbus cerebrum, ac nerueum genus laceſsit, ſoporoſos eſſe, rur-
ſuſque inſomnes, quoſdam ſitibundos, quoſdam non, faſtidioſos eſ-
ſe, grauiter angi, cibi faſtidio teneri, quoſdam pharmacis offendi,
24 idque † paſſim in noſtris Lœmocomijs obſeruabatur, nam pluribus
25 aſſumpta pharmaca interitum accelerabant; præterea † nonnulli
obſeruant liuorem in vnguibus, naſo, auribus, ac digitis. *Querc. de*
26 *peſt. ſign. c.* 7. Certum verò † ſignum elicit *Galen.* ex fætido anhe-
litu 3. *de præſag. ex pulſib. cap.* 4. vbi *Medicos*, inquit, *nihilo præſtan-
tiores eſſe Plebe ipſa, vulgus enim ferè, ſi nihil aliud, expirationem
ægrotorum obſeruat, quæ ſi fœtet peiorem caſum expectat*; hoc au-
tem ſignum in peſtilentibus febribus ex vſu inuentum fuiſse con-
ſtat, non tamen ſine ratione; ſiquidem vt idem *Galen. ſubdit. loc. cit.
cum in huiuſmodi febre peſtilenti humores valdè putreſcant, vt etiam
odorem tetrum edant neceſſe eſt*; hinc in Attica lue.

Spiritus ore foras tetrum voluebat odorem,
Ramida, quo perolent proiecta cadauera ritu.

27 Præterea in peſtilenti conſtitutione certiora † ſigna ſunt fre-
quentiſſimi bubones in inguine, & ſub axillis, parotides ſub auri-
bus, & vbiquè carbunculi graueolentes, & fœtidi, maculæ ni-

græ, liuescentes papulæ per summam cutem fusæ, & quandoque vlcuscula maligna, quæ sacrum ignem cacoethem appellant.
28 Quàmuis † autem bubones, & carbunculi sinè Peste dari possint *ex Galen. de tum. cap. 6. 15. & 18. Ægineta lib. 4. cap. 23. 24. Fernel. path. lib. 7. cap. 2.* alijsque Medicis communiter, pleraque tamen signa Periti huius artis obseruant, quibus pestiferi bubones, & carbunculi ab illis, qui citrà Pestem fiunt, commodè distinguun-
29 tur: bubones † enim, qui ex venerea lue, aut alia causa concipiuntur, nullum lethale symptoma præseferunt, etiamsi retro-
30 cedant, bubo autem † pestilens cum deruuerit, retrogrado
31 veneno cor inuadit, & perimit; præterea pestiferi † bubones repentè turgent cum ingenti, & acerrimo dolore, vt notat *Io: Bapt. Vanhelm. tum. pest. cap. 16.* ipsisque bubonibus carbunculi sæpè
32 coniunguntur, † qui statim summo etiam dolore cruciant, grauissimum ardorem, pruritum, ac fœtorem præseferunt, nigrescente colore inflammantur, & conscissi, nigram labem euomunt, inque crustosum vlcus, quasi ferro inustum descíscunt, & lethalia ferunt accidentia, vt satis superque in postrema lue compertum
33 est. Ij verò † carbunculi, qui citrà Pestem quandoque obseruantur, non tanto dolore afficiunt, nec tam atro colore nigricant, ignauo quodam modo ebulliunt, neque lethalia accidentia præseferunt.

Hisce omnibus recognitis signis, periti Medici optimum profer-
34 re poterunt de Peste Iudicium, si omnia, † vel plura in varijs ægrotantibus obseruauerint. Nam Peste grassante, ferè nullus æger est, qui suas Pestis notas non præseferat; quare aliud notatu dignum emergit Pestilentiæ signum, quòd nempè, hac dira lue grassante, sporadici, ac benigni morbi silent, vt nullus ferè morbus, nulla febris intersit, qui Pestilentiæ gradum non attingat; idque obseruauit primus omnium Thucydides in Attica Peste, inquiens annum illum maximè aliorum morborum immunem fuisse, & si quis alio priùs morbo laborasset, in Pestem omnes incidisse, idemque tradit *Prosper. Alpin. de pestib. Aegypt. lib. 1. cap. 17. Sennert. lib. 4. de febr. cap. 1. Mercurial. de vagata peste Patauij anno 1576. cap. 6.* & nouissimè *Hieronymus Ochus Brixiensis de pestilent. & venenat. morb. lib. 1. cap 17.* qui omnes obseruarunt in praxi, Peste grassante, morbos dumtaxat eiusdem naturæ vagari pestiferos quidem, cæteros autem sporadicos, atquè benignos silere. Hoc
35 insuper † in elapsa Peste nostri Medici obseruarunt, & vulgatum hoc apud ipsos erat, in Pestis progressu nullum morbum Pestis immunem apparuisse, idque præsertim a Io: Baptista Bindio Centum-

tumcellenſi Medico exactiùs obſeruatum fuit. Quod ſanè ratio-
36 ni conſonum eſt, ſiquidem † humores benigni ſporadicas, boni-
que moris ægritudines parituri, auræ corruptæ, & peſtiferi ſe-
minis interuentu fermenteſcunt, & in malignam abeunt natu-
ram, eo prorſus modo, ac vinum parua aceti quantitate aceſcit,
ac farinæ aceruus pauco fermento mutatur. Non mirum itaque,
37 ſi febres † etiam intermittentes, Peſtis tempore, peſtiferæ fiunt, vt
notat. *Zacut. lib. 1. de Medic. princ. hiſt. quæſt. 51. dub. 54. Thom.
a Vega lib. 3. de loc. 7. Illefonſ. Popus in progn. Verb. Feb. num. 23.
Iacob. Oethæus de obſeruat. propr. relatus a Schenchio lib. 5. obſeruat.
de febrib. Holler. lib. 5. obſeruat. 25. Ludouic. Mercat. to. 1. de febr.
tit. de tertiana pernicioſa, Valeſius 3. epid. ſect. 3. com. 9. Hercul. Sa-
xon. lib. 8. de febr. cap. 37. Foreſt. lib. 6. de febr. peſt. obſer. 2.* & *Cor-*
38 *nelius Gemma* † hemitritæum peſtilentem plures quandoque Pe-
ſte affectos inuaſiſſe refert.
39 Nec certiora deſunt † ſigna ex varijs deſumpta experimentis,
quibus circa initia deprehenditur, an febres, cæterique morbi pe-
40 ſtilentiæ gradum attingant. Quidam † enim diligentiores Medici
plantas pedum lardo inſulſo inungunt, & catulo, ægri pedem lardo
illinitum offerunt, qui ſi lambat, caſus a Peſte immunis creditur.
41 Alij fruſtum † lardi calefactum ad pedes Infirmi, vel ſub axillis,
vel ad inguina fouent, quod, ſi mox cani proijciatur, ab eo non vo-
rari aiunt. Siquidem huiuſmodi animalia, ſacro quodam Naturæ
impetu, quæ noxia, & infecta ſunt videntur reijcere, quod ſi vora-
to lardi fruſto catuli moriantur, ſignum certius eſt, morbum,
quo laborat æger, peſtilentem eſse; quàmuis autem hoc experimen-
tum a Ioanne Baptiſta Vanhelmontio reijciatur, eo quòd canes non
apprehendat humana Peſtis, vt inquit ipſe, nec nauſeoſos faciat;
non tamen videtur parui pendendum, ſiquidem in Athenienſi
lue.

Alitum genus, atque ferarum
Aut procul abſiliebat, vt acrem exiret odorem,
Aut vbi guſtarat, languebat morte propinqua.

Aliud experimentum arridet, quod *Ioannes Bapt. Vanhelm.*
42 *cap. de ſign.* docet. † Saphirum ſcilicet, ſaturatè Lazureum, vel
Hyacinthum citrinum ſuper membro dolente imponi per horæ
quadrantem, hac diligentia, vt lumen ex oppoſito gemmæ, locum
infectum feriat, ibidemque radios colligat, quòd ſi pars infecta
intra horam liueſcat, infallibile erit Peſtis indicium. Certiùs ve-
43 rò experimentum † fieri creditur ex puluere Bufonum in aquæ
ſimplicis tantillo, pultis adinſtar decocto, qui ſuper eſcharam, an-
thracem

tracem, bubonem, vel partem dolentem impositus, si dolorem sedauerit, Pestem necessariò adesse indicat. Cætera signa Medicis consideranda relinquimus, sed hæc duo præcipuè in febribus
44 certiora † sunt, subita nempè virium prostratio,& excellens contagionis gradus, quo & per fomitem,& in distans morbus propagetur: his enim signis, vt sensati Medici docent, pestilentia infallibiliter innotescit,& ab alijs malignis febribus pestiferæ distin-
45 guuntur; quippè † inter eas illud tantùm discrimen est, vt malignæ per solam Infirmi tractationem, pestilentes verò fomite,& ad distans, contagiosæ sint, *Fracast. de morb. contag. lib. 2 cap 7.* Et sanè in Xenodochijs Vrbis, præter bubones, carbunculos, papulas,& varia signa in varijs ægrotantibus obseruata, illa duo præ-
46 sertim,& nonnulla † quædam concomitantia signa apparebant in omnibus infectis, nimirùm corporis languor, calor æstuans interiùs, exteriùs verò mitis, languidi pulsus, profundi, frequentes, ac depressi, cibi fastidium, capitis dolor, ac biliosi vomitus. Quod
47 verò ad contagium † attinet, tanta erat ipsius vis, vt omnes ferè casus, omnes pestiferæ febres hac sola lue fuerint subortæ. Hinc
48 Virginum † Conuentus,& Monachorum Cœnobia in Vrbe fue-
49 runt immunia; hinc etiam extrà Vrbem † Oppida quædam morbum declinauere, quia diligentiùs a contagio cauebant, vt Corne-
50 tum, ac Tulpha, † eademque diligentia preseruatæ fuerunt quatuor Pontificiæ Triremes, præter Triremem ducem, quæ infecta erat.

Prognostica verò signa, quæ circa Pestem considerari solent sub duplici differentia ponuntur; alia verò futuros euentus Ægrotorum indicant; quædam grassantis epidemiæ tempora, longitudi-
51 nem scilicet, aut breuitatem,& finem prædicunt. In † Ægris, vt plurimùm omnia prognostica, vel fallacia sunt, vel infausta. Si enim docuit *Hippocr. aphorism. sect. 2. aphor. 19.*, acutorum morborum incertam esse prænunciationem, aut salutis, aut obitus; proculdubio pestiferæ luis fallacissima erunt prognostica, cum
52 hæc † morbus sit omnium acutissimus *ex eodem Hippocrate, &*
53 *Galeno in loc. sup. cit.* Plerumque † tamen infausta sunt; idemque Cous sæpè docuit plures esse in peste, qui pereant, quàm qui euadant. Et celer quidem in Peste interitus est, quia subitò vires pro-
54 sternuntur. Alij † enim sexto, septimo, vel octauo die pereunt, alij verò eadem die, qua corripiuntur.
55 In hoc tamen vnica spes salutis consistit, si tantum † perseueret naturæ robur, vt prauos humores,& pestilentiale virus possit foras eijcere iuxtà doctrinam *Hippocr. 3. epidem. & Galen. lib. 5. Meth.*
56 *cap. 12.* & alibi. Hinc si † circa morbi initia mens constet, nec

delirijs

delitijs, nec vigilijs perturbetur, aut nimia obruatur ſomnolentia;
nec non ſi euacuationes ſupprimantur, ſignum eſt naturam vali-
dam eſse, noxioſque humores concoquere, vt illos deinceps com-
modè poſſit expellere *Lazar. Riuer. prax. med. lib.* 17. *cap.* 1. *de feb.*
57 Hinc ſpem ſalutis exhibent † bubones, ac tumores ſubitò erum-
pentes ad locum minimè periculoſum, præſertim ſi poſt eorum
eruptionem accidentia remittantur, & ipſi tumores ad pepaſmum,
58 ſeu maturitatem pergant: immò, & † carbunculi à corde, ac
nobilioribus partibus remoti, ſi ritè purgentur, minùs pericu-
loſi ſunt, vt notat *Daniel Sennert. de febr. lib.* 4. *cap. de febr. peſtil.*
Lazar. Riuer. loc. cit. in progreſsu verò morbi poſt ipſius vigorem,
59 cum iam declinare videtur, ſi † parotides appareant, & matu-
60 reſcant, ſalutare ſignum elicitur *ex dict. Riuer. loc. cit.* Si † au-
tem in morbi principio, vel augmento æruginoſi, & fœdi vomitus
fiant, nec non alui perturbationess, fluxus colliquatiui, ſudores,
aliæque inopportunæ euacuationes, vel ſi humores corrupti ex
ignobiliore membro ad nobilia viſcera transferantur, quem mo-
tum Græci Medici *Metaſtaſim* vocant, nulla tunc ſpes ſalutis ha-
61 benda eſt, † huiuſmodi enim naturæ motus lethalia iudicia, &
malæ criſes ſunt, vt docuit *Hippocrates* hiſce verbis: *Eorum qui
ſtatim morituri ſunt celeres iudicationes, ſiue criſes ſiunt.* Etenim
corrupti, & venenati humores in principio morbi confuſi ſunt, nec
ſtatim a natura concoqui, aut ſeparari poſſunt a bonis humoribus,
62 ac proindè celeres illæ deiectiones, & † criſes abſque concoctio-
ne, victam, & oppreſſam naturam indicant *ex Fernel. pathol. lib.* 3.
apped. de progn. Lazar. Riuer. inſit. medic. lib. 2. *ſect.* 1. *cap.* 3. *de
criſ. diff.* alijſque Medicis; nihil autem ſpei remanet, cum natu-
ra vi morbi oppreſſa, atque obruta fuerit.
63 Hinc frigus † extremarum partium, obliuio, vocis defectus,
& cætera huiuſmodi lethalia prognoſtica ſunt *ex Hippoc.* 3. *epi-
dem.* nam obliuio cum rigore, victum calorem natiuum indicat
ab ea, quæ ſymptomatica eſt, refrigeratione vt expreſsè *Galenus*
docet *in expoſitione ad loc. cit. Hipp. contr.* 37. *&* 1. *epidem. ſect.* 2.
64 *cont.* 3. Hinc, & † paucæ guttæ ſtillantes è naribus inter peſſi-
ma prognoſtica recenſentur ab eodem *Hipp. & Galen. loc. cit. com.*
33. *&* 1. *proreth. com. prim. de ration. vict. in acut. com.* 64. quate-
nus illę guttę indicant naturam vi morbi ita oppreſsam eſse, vt cum
velit ſupetfluum humorem excernere, nequeat ob propriam im-
becillitatem, ſanguiniſque craſſitiem *ex Galen. loc. cit. Odd. de Odd.
de peſt. ſign. c.* 11. *in princ.*, ideoque *Tragædus in Oedippo* cecinit, de
peſtifera conſtitutione loquens, eiuſq; ſigna lethalia connumerans.

Stillatque niger naris adunca,
Cruor, & venas erumpit hiantes.


65 Sic etiam eadem ratione lethalia prognostica sunt † bubones, quando a natura neutiquam concoqui possunt, sed potiùs remean-
66 re interiùs veneno retrocedunt. Parotides † etiam, siue tumores sub auribus apparentes in principio, vel augmento morbi lethales esse, docent Medici, & præsertim ex Iunioribus *Lazar. Ri-*
67 *uer. de febr. loc. cit.* Carbunculi † pariter nigri, & fœdi coloris, qui propè cor, vel aliud nobile membrum crumpunt cum vlce-
68 re depascente, lethales sunt. At plures † carbunculos, paucis esse
69 periculosiores docuit experientia, cum vice versa bubones † multi paucis salubriores censeantur. Cætera huiusmodi prognostica, singillatim Medicis consideranda relinquimus; nihil tamen certi constituunt huius artis periti, donec manifesta victoriæ indicia pro alterutra parte, naturæ scilicet, vel morbi apparuerint.

Quod verò ad longitudinem attinet, vel breuitatem grassantis
70 epidemiæ, varij varia sentiunt. Cardanus enim nullam † Pestem sæuire putat vltra triennium. *Scaliger* verò contradicit *exercit.* 32.
71 *in Cardan.* vbi docet, † quasdam Regiones esse, a quibus, aut
72 nunquam, aut rarò lues euellitur. Tholosæ † in prouincia Pestem aliquando ita perseuerasse fertur, vt septennium superarit. *Plinius lib. 7. natur. cap.* 50. Pestem tres menses non excedere docet,
73 sed re vera multæ sunt, quæ integros annos durarunt. Et † illa quæ commemoratur ab *Euagr. lib. 4. & Nicephoro lib.* 17. quin-
74 quagesimum durauit annum: apud † Belgas quindecim annos
75 viguit, vt *Vanhelmont. loc. cit.* quippè † contagij fomes, quandoque in varijs rebus delitescit, diuque asseruatur, & extinctam Pestem suscitat, quæ denuò rediuiua, plùs, vel minùs durare solet, prout magìs, vel minùs dispositus aer est, citiùs autem desinit vbique lues, quo promptiùs contagium deprimitur, otio enim suo, Pestis, sicut cætera omnia, hebescit. Quòd si ab euerso tempestatum ordine, Australi constitutione diuturna, alijsque causis,
76 cùm ab aeris † vitio potissimùm oriatur lues, & contagionis ope vlteriùs crescat, integros plerumque annos durat, nec sedatur, aut
77 extinguitur, nisi † aer ab intenso hyemis frigore, diuturnisque flatibus Aquilonum, vel ab insigni etiam æstatis ardore purgetur. Siquidem vehementiori gelu semina Pestis refracta, & contusa hebescunt; æstu autem immodico dissipantur, præcipuè, quando euersa tempestatis constitutio iam præterijt; † apud Ægyptios
78 immodico calore Pestis cessat, cum Sol primam Cancri partem ingreditur. *Prosp. Alpin. de Med. Ægyp. lib. 1. cap.* 15. & mirum est


Radzi-

Radziuilo Polono *Helmont.* refert *tum. peſt. cap.* 3. ſeptennis quibuſque annis variare in Ægypto luem, ac interitum plerùmque annum durare, leuiter inchoando, menſibus minùs calidis ſæuire, ſequenti autem anno, cum Sol Cancrum ingreditur, ſtatim ceſſare, ita vt ſi quis apoſtema peſtiferum intus habuerit, prædicta hora ſuperueniente periculum euadat omne. *Scaliger* etiam *exercitatione in*
79 *Cardan.* 32. inquit quaſdam Regiones † calidiſsimas huius expertes eſse maleficij, qualis eſt Ora illa Occidentalis Æthiopiæ, quæ Ni-
80 grim accolit fluuium. Ex oppoſito † autem extingui ſolet Peſtis apud Belgas, & Septentrionales incolas, quando vehementiori frigore aer comprimitur *dict. Vanhelm. loc. cit.* Quare, vel immodicus ardor æſtatis, vel ingens hyemis gelu deſinentis peſtis, aut breui
81 duraturæ prognoſticum cenſetur; Aliud verò ſignum † ferè ſemper infallibile eſt, quo propinquum finem ſperare licet, ſi nimirum, vel tantillum declinante lue, cæteri morbi ſporadici, & ſalutares vagari incipiant, quemadmodum in poſtrema Vrbis peſtilentia diligentiores Medici obſeruarunt.

†



CAP.



CAP. CCLVII.

ARGVMENTVM.

AGitur de præsagijs Pestis: diuiduntur hæc in æquiuoca, siuè incerta, & vniuoca, siuè certiora: expenduntur Auguria omnia ex Cometis, cæterisque phœnomenis; & demonstratur superiora ostenta, nonnisi Pestem, naturaliter portendere. Varia etiam prodigia recensentur. Certiora denique signa eruuntur, ante elapsam Vrbis Pestilentiam obseruata.

SVMMARIVM.

1 *Morbo præuiso cautiùs obstatur.*
2 *Stellarum Coniunctiones regulares sunt; Pestis autem non regulariter ijs succedit.*
3 *Astrologi non prædicunt omnes epidemias, sed vt plurimùm falluntur.*
4 *Signa Pestis, dum hæc præsens est, ad libitum quisque suum trahit, nemo autem opportuno tempore luem prædicit.*
5 *Præsagia Pestis diuiduntur in æquiuoca, & vniuoca.*
6 *Præsagia æquiuoca generatim explicantur.*
7 *Cometæ varia semper mala portendunt, huiusque rei adducuntur exempla.*
8 *Cometa apparuit ante Pestem Vrbis anno 1652.*
9 *Cometæ ante obitum Iulij Cæsaris, & successorum visi fuerunt.*
10 *Cometa apparente, infaustos effectus per accidens fieri, non est credibile.*
11 *Cometis, alijsque phœnomenis Deus, & Natura non inaniter ludunt.*
12 *Cometas Diuino iussu ab Angelis accendi graues Auctores asserunt.*

13 *Come-*

13 *Cometa apparente, cur varia mala succedant, ratione physica non explicatur.*

14 *Cometa miraculosè apparuit ante Constantinopolis lapsum.*

15 *Cometa per miraculum visi fuerunt ante Hierosolymitanum excidium, & quare?*

16 *Astrologi Cometas maleficos vocant, qui sub aspectu malefico fiunt.*

17 *Astrologi contendunt prædicta mala non solùm a Cometis significari, sed effici.*

18 *Cometa sub Martis dominio, plus solito, & in forma non consueta apparentes, mortem Regum præsagire dicuntur.*

19 *Cometa mortem Principum enunciare dicuntur ob siccitatem, & quomodo?*

20 *Cometis seditiones, & bella succedere creditur ob siccitatem, & quare?*

21 *Cometa figura, & colore nonnulli tristia fingunt auguria, mortemque Regum a rotunda figura, pallidoque colore præsagiunt.*

22 *Cometa Reges interfici, aut euerti Prouincias, falsum, & ridiculum est.*

23 *Cometa mortem Principum, bella, & similia, non naturaliter, sed tamen miraculosè denunciare possunt.*

24 *Cometa non tantùm miraculosè, verùm etiam naturaliter Pestem, & vulgares morbos minantur.*

25 *Cometa alij sub Luna concauo, nonnulli in Planetarum Cœlo fiunt.*

26 *Cometa sublunares, cæterique ignes conflantur ex magna copia exhalationum, sulphureæ, nitrosæ, aliusue similis materia.*

27 *Cometa superiores ab aliquali ætheris condensatione, vel a Solis euaporatione probabiliter fiunt.*

28 *Cometa sublunares, cæterique ignes, eatenùs Pestem minantur, quatenùs annum denotant squalidum, flatuosum, aridum, & suspectum.*

29 *Ignea meteora non sola siccitate, sed etiam heterogeneis, & vitiatis corpusculis aerem lædunt.*

30 *Ignes fatui sepulchrorum, æquiparantur Cometis, & quare?*

31 *Ignea meteora inter naturalia, & vniuoca Pestis præsagia connumerat Auicennas.*

32 *Cometa cœlestes, & noua Stella significãt regionẽ æthercam valdè immutari, & magnas indè alterationes in sublunaribus futuras.*

33 *Solares radij fuligine læsi aerem inquinant.*

34 *Solis macula copiosa Pestem enunciare dicuntur, quia radios pollutos emittunt.*

35 *Pluuia portentosa sanguinis, lactis, & lapidum, inter signa ventura*

64 Præ-

64 *Præſagium ex fructibus inſipidis, mali ſaporis, malè olentibus, & facilè corruptibilibus.*

65 *Præſagium ex venenoſis animalibus, vel aliis inſectis multiplicatis.*

66 *Præſagium ex animalibus, quæ proprios deſerunt ſpecus, obſeruatum fuit, dum Peſtis Tirolenſi comitatui imminebat.*

67 *Terræmotus crebri eadem ratione inter ſigna connumerantur, cùm præſertim nouus emergit fœtor.*

68 *Præſagia ex aqua ſumuntur, quando ipſa putrorem conceperit.*

69 *Aquatici aues infectas aquas fugiunt.*

70 *Aquæ vitium denotant inſecta aquatilia in putri orta, ſi multiplicata moriantur.*

71 *Aquæ ſtagnantes inſigniter putridæ virorem quemdam concipiunt, viridi, lentaque cuticula contentum, fœtidum, vermibus plenum.*

72 *Aer infectionis ſuæ certa exhibet ſigna, cum lintea, carnes, & huiuſmodi citiùs putreſiunt.*

73 *Aeris infectio manifeſtè deprehenditur experimentis.*

74 *Aer corruptus cognoſcitur, cum aues nidos ſuos fugiunt, vt hoc ſæculo compertum eſt.*

75 *Aranearum copia in aeris infectione huius ſæculi obſeruata eſt.*

76 *Præſagium exitiale ſumitur ex aere, quando aues cateruatim moriuntur: obſeruatum in Germania.*

77 *Aerem infectum ſignificant Cicadæ cateruatim, & citiùs morientes, quæ tunc rore infecto veſcuntur.*

78 *Peſtis in propinquo eſt, & in bruta ſæuire dicitur, ſi hæc vniuerſali ruina cadant.*

79 *Ex aere infectio naſcitur, cum aues priùs occumbunt.*

80 *A terra Peſtis exoritur, ſi terreſtria animalia, & præſertim canes initio pereant.*

81 *Præſagia certiora obſeruata fuere ante Vrbis elapſam Peſtem.*

82 *Auſtrina cõſtitutio multorum annorum poſtremam luem præceſſit.*

83 *Siccitas maxima poſt Auſtrinam conſtitutionem in hac Peſte Vrbis obſeruata eſt, apparuitque Cometa.*

84 *Præſagium elapſæ luis ex præcedente fungorum copia.*

85 *Annonæ caritate, antè Peſtem, in Vrbe laboratum eſt.*

86 *Præſagium ex animalibus in magna copia emortuis, hanc luem præceſſit.*

87 *Locuſtarum exercitus caritatem priùs induxerunt, deinde anno 1655. emortuæ propinquam Peſtem minabantur.*

Abſolu-

1 Absolutis Pestilentiæ causis, † iam eiusdem signa sunt expendenda, vt præuiso morbo cautiùs obstari possit. Omnes autem, qui de hac re scripserunt, varia quidem præsagia ostentant, partim ab Astrologis, partim ab antiquis Hariolis excogitata; verùm nihil vtilitatis, aut certitudinis afferunt: Alij quippe Astrologorum placitis inhærentes, venturæ Pestis signa in Cœlis depicta fuisse putant, & a certis quibusdam Stellarum coniunctionibus Pestem necessariò subsecuturam elato supercilio pronunciare audent; sed profectò coniunctiones, oppositiones, &
2 quadrata Stellarum † ita regularia sunt, vt Ephemerides pro sæculis sint descriptæ, Pestis autem non ita regularis est, vt necessa-
3 riò ijs coniunctionibus succedat; neque ideo Astrologi † epidemias prædicunt, sed vt plurimùm falluntur: Alij etiam tot præsagia futuræ Pestis, vel Cœlestia, vel sublunaria obseruant, vt ferè impossibile sit quædam ex illis ante Pestem non contingere; sed Peste
4 iam præsente, vt inquit *Helmontius*, † signa, quæ præcesserunt, ad libitum quisque suum trahit, nemo autem opportuno tempore ipsam luem prædicere audet. Nos verò vt ordine procedamus, omnia
5 signa, quæ Pestem præcedere dicuntur, † in duas classes distinguimus; alia quippe æquiuoca, & incerta sunt, quæ non semper, aut necessariò Pestem præcedunt, sed alias etiam ærumnas hominibus minantur; quædam verò consueta sunt, & certa, quæ scilicet natura sua minantur futuram Pestem, eo prorsùs modo, ac nubes pluuiam enunciant.

6 Primi generis † sunt omnia terribilia ostenta, quæ longa obseruatione graues ærumnas, præsertim verò Pestem præcedere visa sunt; in quorum censu priùs considerantur infausta meteora in supremis Elementorum Regionibus orta, veluti Cometæ, trabes ignei, cæteræque impressiones, aut quæ in Cœlis nonnunquam apparent, vt nouæ Stellæ, ac nonnulli Cometæ. Hæc enim phœnomena futuras calamitates portendere, longa sæculorum inductione compertum est; nec vnquam legimus apparuisse Co-
7 metas, quin, † vel pestilentes constitutiones, morbosque communes, vel Principum funera, cæteraque mala prædixerint.
8 Sic ante ipsam Vrbis Pestem elapsam Cometa † apparuit anno 1652. 17. Decembris vsque ad quartam sequentis anni diem, de quo differit Argolus; sic satis constat visos fuisse Cometas ante Hierosolymitanum excidium, cui dira Pestis successit; pariter antequam Vrbs debellaretur a Gothis, antequam magni Principes oc-
9 ciderent; idque præsertim Roma experta est in obitu † Cæsaris, de quo

quo *Virgilius Georgicorum*.

Non aliàs Cœlo ceciderunt plura ſereno
Fulgura, nec diri toties arſere Cometæ.

Et *Ouid. metamorph.* 15.

Sæpe faces viſa eſt medijs ardere ſub aſtris.

Nec Seiani, nec Germanici mors ſine tali denunciatione fuit, vt narrat *Senec. lib.* 1. *natur. quaſt. cap.* 1. idemque teſtatur *lib.* 7. *cap.* 17. viſos fuiſſe Cometas, & ſub Claudio, & ſub Auguſto, & ſub Nerone Cæſare.

Quapropter hæc ſigna malos omnes huiuſmodi euentus porten-
dere videntur; neque enim veriſimile eſt effectus iſtos, apparente
10 Cometa, † per accidens fieri, cum ea, quæ caſu fiunt, aut ſemel,
aut profectò non ita ſæpè contingant. Nec Deus, & natura tali-
11 bus † nouiter formatis corporibus inaniter ludunt, vt inquit *Thy-
co tom.* 1. *progimnaſm. pag.* 800.

Quomodo autem varias denotent calamitates, quam ve cum
illis relationem habeant, difficulter admodum explicatur; propte-
12 rea plerique Auctores aſſerunt † meteora illa præter naturæ ordi-
nem accendi ab Angelis diuino iuſsu, vt imminentia vltricis iuſti-
tiæ flagella nobis ſignificentur, & *Damaſcenus lib. de fid. Orthodox.
cap.* 7. docuit, ea non eſſe effectus naturales, ſed certum quid a
Deo creatum ad malos euentus mortis, peſtilentiæ, ac ſimilium
malorum ſignificandos. Et ſanè ſufficiens ratio non ſemper habe-
13 tur in Natura, cur apparente Cometa, † vel alijs phœnomenis,
varia mala immineant; ſi enim rerum ordo ſpectetur nil con-
14 tuliſſe credimus † Cometam deplorabili Conſtantinopolis lapſui;
ſed miraculosè tunc apparuiſſe probabilius eſt. Priſcis quoque
15 temporibus ante Hieroſolymitanum excidium illuxere † Cometæ
præter naturæ ordinem, nam ea ſigna ad meram Dei gloriam, pio-
rumque hominum monitionem diuinitus miſſa fuere, vt excidium
memorabile nunciarent, quod Chriſtus prædixerat flens ſuper Hie-
ruſalem *Luc.* 19.: pariter cum ſimilia bellorum infortunia, ſeditio-
nes, ac Regnorum mutationes, meteoris illis prænunciantur, nul-
la vnquam connexio poterit excogitari, qua naturaliter ab eis con-
notentur; non enim a neceſsarijs cauſis hæc mala dependent, ſed
ab hominum potiùs arbitrio.

Interim verò hic præterire non licet varias, quas afferunt ratio-
nes nonnulli, qui explicare conantur Cometas, non præter na-
turæ ordinem, ſed tanquam naturalia ſigna, illos omnes euen-
tus præſagire. Quippè aſſerunt Cometas ipſos, vel aſtrologicè,
16 vel phyſicè conſiderari poſſe; quòd ſi † aſtrologicè conſideren-

tur, quando fiunt ſub aliquo Planeta maligno, illius naturam ſa-
piunt, eiuſque malignitate imbibuntur. Hinc auctoritate *Ptholo-*
17 *mei in 2. part. quadripart. cap. 3. 15. & alibi*, † contendunt, præ-
dicta mala, non ſolùm ab ijs portendi, ſed etiam effici; qui-
18 dam ex ipſis volunt Regum mortem contingere, ſi Cometæ † ſub
dominio Martis fiant, ac in forma non conſueta plùs ſolito ap-
pareant, vt ſentit *Albumazar citat. ab Albert. Magno lib. 1. met.*
tract. 4. cap 9. Sin autem Cometæ phyſicè conſiderentur, cum
ex ſiccis halitibus coaleſcant, ex Ariſtotele, magnam proculdu-
bio indicant in aere ſiccitatem, eo quòd exhalationes ſurſum
euectæ non omnes in Cometam faceſſunt, ſed earum plurimum in
ambitu aeris remanet ſiccitatem inducens. Quia verò, aiunt, Prin-
19 cipes delicatiores ſunt, † ac ſedentariam vitam degunt, crapulis,
cibiſque cholericis dediti ſiccam Cometæ intemperiem diù ſu-
ſtinere nequeunt, ac proindè horum mors tali ratione ſubſequi-
tur. *Themiſt. in 2. meteor. Ariſtot. quæſt. 12.*
20 Bella etiam, ſeditiones, & ſimilia † Cometis nonnunquam
eadem ratione ſuccedere contendunt; ſiquidem huiuſmodi tumul-
tus, cum ab iracundis, & cholericis hominibus originem trahant,
hi verò naturæ ſiccæ ſint, apparente Cometa, & præualente ſic-
21 citate, excitari poſſe videntur. Rurſus quidam ex Cometæ † figura,
& colore, triſtia fingunt auguria; qui ſi Solis figuram repræſentet,
ac triſti, pallidoque colore obſcuretur, mortem Principum præ-
dici poſſe credunt.

Hæc autem, & ſimilia, quæ Auctores nonnulli adſtruunt elegan-
tes potiùs conceptus eſſe, quàm ſufficientes rationes pro effectibus
illis explicandis facilè conſideranti patet; vndè rectiùs inquit *Sca-*
22 *lig. exercit. 79. aduerſ. Cardan. exiſtimare a Cometa* † *Regna inter-*
fici ridicula dementia eſt, tantò magis euerti Prouinciam. Quapro-
23 pter † veroſimilius eſt Principum interitus, bella, ſeditiones, &
ſimilia, quæ nullam connexionem habent cum huiuſmodi ſignis,
non ab illis iuxtà naturæ leges portendi; ſed potiùs Cometas in
quibuſdam caſibus Diuino iuſſu apparere, vt dedignatæ iuſtitiæ
flagella iuſti præuideant, iuxtà Prophetæ monitum: *dedit metuen-*
tibus ſe ſignificationem, vt fugiant a facie arcus. Idem aſſerit *Del Rio*
diſquiſ. magic. lib. 2., & ex Medicis *Io: Andreas Canonher. lib. 1.*
aphoriſm. fol. 324. apud Io: Lazarum Guthier. febrilog. curſ. 7.
lect. 2.

Quod verò ad Peſtem attinet, alioſue morbos popülares, nedum
24 hi a Cometis † diuino iuſſu apparentibus poſſunt præter naturæ
ordinem ſignificari; ſed etiam ab illis, qui iuxtà naturę leges in

Cœlo

Cœlo, aut aere fiunt; ſiquidem naturali quadam connexione hæc ſigna Peſtem, morboſque epidemicos indicant, *ex Hippoc. lib. 2. epid. ſect. 1.* vt autem phyſica ratio eruatur, qua hæc phœnomena Peſtem reſpiciunt, ſupponendum eſt ea in duas claſses ab Aſtronomis diuidi, alia quippè Cometas vocant, alia nouas ſtellas. Porrò
25 ex Cometis, † alij ſub Lunæ concauo in ſupremis Elemenrorum regionibus efformantur, ſicut etiam trabes, cæteræque igneæ impreſſiones, alij in ipſo Planetarum Cœlo fiunt, vt euidenter ab Aſtronomis iunioribus compertum eſt, & fusè *a Ricciolio* de-
26 monſtratur. Sublunares † Cometæ, ſicut etiam trabes ignei, Dracones volantes, & ſimilia, iuxtà communem Philoſophorum, ſententiam, ex magna exhalationum copia in globos reducta, conflantur. At de ijs, qui ſupra Lunam apparent, alij alia ſentiunt, quorum varias opiniones huc afferre non licet. Veroſimi-
27 liùs tamen creditur, ſuperiores Cometas, † vel eſſe moles quaſdam ætheris concretas, luceque imbibitas, vt opinatur *Keplerus apud Gaſsendum phyſicæ ſect. 11. lib. 1. cap. 1.* vel quandam Solis euaporationem, vt *Snellius* adſtruit de Cometa anni 1618. *cap. 17. apud eundem Gaſſend. loc. cit. Kirkerius Itiner. eſtat.* qui putat Solem vehementiùs æſtuantem, ac inſuetis ebullitionibus agitatum, ingens fumorum effluuium longè, latèque per ætherem eructare, quod poſtea ab eiuſdem luce illuſtratum, Cometam conſtituit.

Iam ergo naturalis ratio eruitur, qua huiuſmodi phœnomena
28 Peſtem portendunt; quippè ſublunares † Cometæ, atque huiuſmodi ignes facilè diſſipabiles annum denotant ſqualidum, flatuoſum, aridum, & ſuſpectum, vt ex Ariſtotele refert *Seneca lib. 7. naturalium quæſt. cap. 26.* nam propria aeris humiditas copia exhalationis feruidæ diſſoluitur, teſte eodem *Ariſtot. 1. meteor. ſumm. 2. cap. 4.* ab huiuſmodi autem vitio aeris præparari corpora ad peſtilentem luem ſuperiùs demonſtrauimus, vbi de aere. Præterea
29 huiuſmodi igneæ † impreſſiones, non ſolùm ſiccitatem inducunt, vt Peripatetici opinantur; ſed alia etiam ratione aerem lædunt, quoniam vitiati, & fœdi halitus heterogenei eleuantur, & aer corpuſculis diuerſę indolis polluitur, quemadmodum enim ex
30 Cœmeterijs prodire videmus ignes, † quos fatuos vocant tetris inuolutos corporibus, quæ ob craſſitiem, & viſcoſitatem veſtibus tranſeuntium adhærent, ita eadem ratione ſuſpicari licet de præfatis meteoris, quòd ſcilicet ex craſſis, ſulphureis, nitroſis alijſque corpuſculis in globos redactis conflentur, aliter enim, ſi ex tenuiori, & ſimplici materia ſicca conſtarent, illicò euaneſcerent

rent

rent igneæ aeris impressiones. Huiusmodi verò halitus heterogenei, præsertim cum dissoluitur Cometa, vndequaque se se aeri miscent, ipsumque inficiunt. Qua ratione *Auicennas fen. 1. 4. tract.*
31 *4. c. 3.* hæc meteora † inter naturalia, & vniuoca Pestis præsagia commemorat inquiens *de his, quæ significant pestilentiam, de rebus, quæ currunt cursu causarum, est, vt multiplicetur* Rotom, *& Subub in principio autumni, & Elul.* Quæ verba Gentilis sic vertit, *Rotom* idest ignis, qui apparet verè motus, *Subub*, id est ignis, qui stare
32 videtur, vt columna, vel alia figura stans. Cœlestes † verò Cometæ, ac nouæ Stellæ æthetem valdè immutari significant, indeque arguere licet eò maiores in sublunaribus mutationes futuras, quibus magnæ intemperies, morbique populares succedant, vbi cæteræ adsint dispositiones. Quòd si superiores hi Cometæ fiant ex
33 fumosa Solis euaporatione, facile est † solares radios ex illa cometarum fuligine læsos aetem inquinare. Pari etiam ratione philoso-
34 phandum est de multitudine macularum, quæ in † Solari disco quandoque obseruantur.

35 Inter hæc sublimia signa prisci Auctores enumerant † pluuias portentosas, quarum meminit *Plin. lib. 2. cap. 56.* cum scilicet sanguine, carne, lacte pluit, aut lapidibus, alijsque portentis; etenim sæpè obseruatum est, hæc prodigia vniuersales, & pestilentes mor-
36 bos præiuisse. Sic primæuis Romæ temporibus † in Monte Albano crebris lapidibus pluit, ac paulò post graui Peste laboratum esse narrat *Liuius lib. 1. decad. 1.* Sub finem anni 541. ab V. C. inter
37 alia prodigia, lacte † pluit, & subsequente anno pestilentia grauis in Vrbem & agros incidit, Idem *lib. 7. dec. 2.* Anno insuper 569. in area
38 Vulcani, & Concordiæ, sanguine † pluit, & indè pestilentia in agris, & Vrbe tanta erat, vt libitina vix sufficeret, Idem *dec. 4* Quòd si huiusmodi pluuiarum naturam perscrutemur, facilè constat, quo modo Pestis ab ijsdem portendatur. Haud enim superstitiosæ Genti-
39 lirati credendum est, illa † ostenta superasse Naturæ vires; sed potiùs inordinatam aeris mutationem natura sua significasse; nam la-
40 cteæ, & sanguineæ † pluuiæ, vaporibus crassis heterogeneis, & coloraris pollutum fuisse aerem indicabant, vt optimè notat. *Cicer. de diuinat. lib. 2.*; *neque enim* inquit ipse, *sanguis nisi è corpore est, sed decoloratio quædam ex aliqua contagione, terrena maximè, potest sanguini similis esse.* Quippè si Chimicos consulamus, quonam pacto potuerint lacteæ, ac sanguineæ decolorationes in pluuijs fieri; huius artis periti norunt in præcipitationibus mineralia variate
41 colores; sic varios modos lacteæ † albedinis ex aqua limpida conficiendæ tradidit nuper Robertus Boyle Anglus experimentis

multis

multis circa colores factis, & varios præſertim docet modos ad rubrum colorem arte perficiendum. Quæ verò arti facilis eſt colorum productio, neutiquam erit ipſi Naturæ impoſſibilis; idcir-
42 cò lacteæ, aut rubræ Antiquorum pluuiæ, † non omninò prodigioſæ fuerunt, ſed naturales; ſiquidem aer tunc temporis pollutus heterogeneis vaporibus, atque corpuſculis, varia illorum rex-
43 tura decolorationes inſuetas parturijt; † Lapides verò, quos olim de Cœlo cecidiſſe fertur, naturaliter genitos in aere fuiſſe credimus, eò quòd ſiccæ exhalationes, & corpuſcula ſalina, terrea, ac ſulphurea, vehementi aeris mutatione coaluerunt in lapides, non abſimili prorsùs modo, ac in fulminum geneſi contingit: quare, tam
44 lacteæ, & ſanguineæ, quàm lapidum † pluuiæ, naturalia Peſtis præſagia fuerunt, quia pollutum aerem, & maximè alteratum connotarunt.

Præter hæc ſuperiora ſigna priſci Aruſpices obſeruarunt quoque in ſublunaribus alia portenta terribilia, quæ licèt nullam cum Peſte connexionem habeant, hanc tamen portendere olim dicebantur.
45 Siquidem anno † ab Vrbe condita 288. *pleraq; prodigia, aut obuerſata oculis, aut vanas exterritis oſtentauere ſpecies*, inquit *Liuius lib.* 3. *dec.* 1., & graue tempus, & peſtilens illa conſtitutio ſucceſſit, Hominibus, ac pecudibus moleſta, quam ſuperioribus capitibus ex
46 eodem retulimus. Anno itidem 541. inter alia † prodigia Priuerni bouem loquutam fuiſſe, cruentam fluxiſſe aquam albanam, & ſubſequente anno Vlſinijs ſanguine lacum manaſſe narrat idem *lib.* 7. *dec.* 2. indè Peſtis illa fuit, ſuperiùs in hoc Capite relata. Alij ex vo-
47 latibus auium † inſuetis futuram Peſtem præſenſiebant, vt narrat *Cicero de diuin. lib.* 1., inquiens, hoc ſignum à Cilicum, & Piſidarum gente, & his finitima Pamphilia, quibus nationibus ipſe præfuit, obſeruatum fuiſſe. Quod augurium interpretatur ab aliqui-
48 bus pro carniuoris auibus, † vt inquit *Helmontius tumul. peſt. c.* 16. quaſi confluerent aues ad cadauera futura deuoranda; ſed ridicu-
49 la, † & vana hæc præſagia ſunt. Neque enim Vultures ad infecta
50 cadauera † vnquam volaſse fertur, contrarium docente experientia. Hinc *Lucretius*.

Multaque humi cum inhumata iacerent corpora ſuprà
Corporibus, tamen alituum genus, atque ferarum,
Aut procul exiliebat, vt acrem exiret odorem.

ſubditque.

Nec tamen omninò temerè illis auibus vlla
Comparebat auis.

Quòd ſi vera prodigia, & miracula, ceu Diuinæ Bonitatis mo-

nira perpendamus hæc sanè non defecerunt ante pestem; siquidem, vt alia innumera prætereamus, exemplum habuimus elapso
51 pso sæculo † Vilillæ in Regno Aragoniæ, vbi Campana quædam spontè sonuit ante pestem, quæ anno 1528. Aragoniam inuasit; idemquè contigit ante pestem eiusdem Regni, anno 1564. vt refert
52 ferr *Angel. Rocca de Campan. Sacr. cap. 7.* Hanc † Vilillæ Campanam spontaneo sonitu malos semper euentus prædixisse testantur *Leonard. Vair. lib. 2. de fasc. Petr. Greg. Tholos. Tom. 1. de Repub. lib. 12. cap. 13. num. 25. Hieronym. Sorita Historicus Regni Aragoniæ eximius, lib. 10. cap. 93., & lib. 14. cap. 27. Fab. Paul. lib. 4. hebdom. cap. 7. Anton. August.*, & alij, quos citat idem *Angel.*
53 *Rocca loc. cit.* vbi consimile † Miraculum enarrat obseruatum fuisse in pago Territorij Groninghæ, quem vocant *Broch*, ibi enim, postquam campanæ spontè sonauerant, magnam Hominum mortalitatem sequutam refert. Atque hæc omnia, quæ huc-
54 usque retulimus sunt præsagia pestis æquiuoca, † quæ tamen sunt metuenda, præsertim, si alia signa, magis certa concurrant, certiùs enim tunc pestis præsagiri poterit.

55 Certiora verò, & vniuoca † præsagia, quæ naturaliter futuram pestem indicant, vt nubes imminentem pluuiam, ex naturali eiusdem luis causa desumuntur; videlicet ex ipsa putredine, in quo sanè sensu verè pestilentiam enunciare dicuntur omnes causæ primiriuæ aerem corrumpentes, superioribus capitibus recensitæ. Hinc *Auicen. fen. 1. 4. tract. 4. cap. 3.* inter signa, enumerat
56 † anni tempora corrupta, & cæteras anni perturbationes; nam, inquit, *Pestem indicant indicatione causæ, & quando multiplicatur Auster, & Subsolanus in Chenim diebus aliquot*, idest in mense Decembris, vt Gentilis vertit; subditque Arabum Princeps; *& quoties videris turbiditatem aeris, & nebulositatem eius, & inueneris aerem vacuum, siccum, nec pluit, tunc scies complexionem hyemis esse corruptam*; idemquè docet *Hippo. sect. 1. tex. 9.* & post ipsum *Arist. 16.*
57 *Probl. 52. & 1. Probl. 22.* Hinc etiam tempore æstiuo † Caniculæ ortum diligenter quotannis obseruabant Coi, vt ex eo præsagirent salubris ne, an pestilens annus futurus esset; ita ex Heraclide Pontico refert. *Cic. de diuinatione, lib. 1. in fine.* Nam, vt idem subdit, *si obscurior, quasi caliginosa Stella extiterit, pingue concretum esse Cælum, vt eius aspiratio grauis, & pestilens futura sit; sin illustris, & pellucida Stella appareat, significat Cælum esse tenue, purum, ac propterea salubre*; Eadem ratio est in alijs omnibus causis, quæ aerem corrumpunt, vel sordidam sublunarium putredinem cient, quas hìc referre non licet, cum satis, super-

perque ſint ſuperioribus capitibus enarratæ.
58 Hæc autem ſublunaria, præſertim verò † elementa, cùm iam
infectionem contraxerint, multas exhibent notas, quibus eorum
59 labes cognoſcatur; ſic dum in † terra vitium eſt, omnia quæ
ex terra proueniunt indicia ferunt, & *Galenus lib. de elem. cap.* 9.
60 inquit, *Sata, & † plantas, dum terram ſubeunt, trahere vnum-
quodque, quod terra ineſt ſua natura conſentaneum; cùm verò
id quod trahitur inquinatum ſit, ea etiam neceſſariò inquinari*: ex
qua ſanè doctrina pleraque ſigna emergunt viriati ſoli: ſiquidem
61 † fungorum copia augetur, ijque deterioris conditionis ſunt: fru-
62 menta, † bonæque fruges, vel ob ſterilitatem deſunt, vel ad matu-
ritatem non perueniunt, vel tandem à vermibus, erucis, & tineis,
aut infecta quadam rubigine eroduntur, iuxtà illud Prophetæ,
63 *& dedit ærugini fructus eorum, Pſ.* 58. † Arbores in locis humi-
dioribus muſco circa radices operiuntur plùs ſolito, & veluti mor-
bo aliquo laborantes, inquinamenti ſigna exhibent in radicibus, vel
64 caudice, fructibus, vel gallis. † Eadem ratione fructus qui aliàs bo-
ni erant, vitiato ſolo inſipidi fiunt, aut mali ſaporis, aut malè olen-
65 tes, facilèque corruptibiles producuntur. Interim † ex Anima-
libus, quæ venenoſa ſunt multiplicantur, vt *Ouid.* cecinit *meta-
morph.* 7. de peſtifera conſtitutione loquens.

Milliaque incultos ſerpentum multa per agros
Erraſſe.

& ex *Auicenna loco citato in fine*, non ſolùm Animalia malæ natu-
ræ multiplicantur, velut Angues, Bufones, Scorpiones, & Alkali-
ki, quod Serpentum genus interpretatur; ſed etiam Inſecta omnia,
quæ ex putri oriri dicuntur, veluti Locuſtæ, Ranæ, & ſimilia. Cæte-
66 ra etiam † Animalia, quæ ſub terra viuunt, propriá deſerunt latibu-
la, & miro quodam naturæ impetu malignam terræ infectionem
fugiunt. Sic Arabum Princeps *loc. cit.* inquit; *& de ijs quæ ſigni-
ficant peſtem, illud eſt, vt videas mures, & animalia, quæ habitant
ſub terra, fugire ad ſuperficiem terræ; ac exire manifeſtè*; idque
obſeruatum fuit dum peſtilentia Comitatui Tirolenſi imminebat.
Teſtatur enim Andreas Gallius, tunc temporis Martes, Glires, Tal-
pas, Taxos, Serpentes, montium antra, & latebras præter morem
reliquiſse, apertos campos, & arua ſalubriora petentes, *Kircher de
67 peſt. cap.* 11. *ſ.* 4. Hinc † terræmotus crebri eadem ratione inter
ſigna connumerantur, cùm præcipuè inſuetus, nouuſque fœtor
antris, & ſtagnis aduenit.
68 Eadem † prorsùs ſigna ex aquis eliciuntur, quando ipſæ pu-
69 trorem conceperint: tunc ſcilicet Aues † aquatici, præcipuè
Cy-

70 Cycni, prærer morem aquas fugiunt. † Ranæ, ac similia Insecta
aquatilia in putri otta valdè multiplicanrur, & *ex Aristot.* 1. *probl.*
71 27. 28. in magna copia moriuntur. Præterea stagnantes † aquæ
insigniter purtefactæ virotem quemdam concipiunt, seu muscum,
viridi quadam, lentaque cuticula contentum, fœtidum, & Vermibus, Ranarumque insuetis agminibus plenum.
72 Aer † etiam infectionis suæ certa exhibet præludia, si exposita linrea, Catnes, Panes, Pisces, cæteraque huiusmodi, citiùs
73 putrefiant, nec alia desunt experimenta, quibus aeris † infectio,
& puttedo manifestè deprehenditur, vt Cap. 5. demonstrauimus:
74 prætereà corruptum, & inquinatum † aetem cognoscimus,
quando aues nidos suos fugiunt, præcipuè verò Hirundines, nam
faciliùs obseruari possunt, quod in Peste Marpurgensi contigisse
narrar hoc sæculo Rodulphus Goclenius Medicus illius Vrbis; in-
75 super si repentè † Ataneatum copia in aere multiplicetur, vt in
76 eadem Peste dictus Auctor se vidisse testatur. Exitiale verò † præsagium ab aete sumitur, quando Aues caretuatim pereunt, vt norauit *Agricola* assetens in Germania Passeres in magno numero exa-
77 nimes ante Pestem tepertos esse. † Cicadæ etiam, cum agminatim,
& citiùs solito pereunt, & stratæ à Colonis reperiuntur anre debitum tempus, aeris infecti manifestas notas exhibent; cùm enim
ipsæ rore pascantur, si purum erit hoc pabulum, alacritet canunt,
ac tempus à natuta sibi constitutum viuunt; sin verò prauum, &
infectum fuerit, necessariò moriuntur. Et sanè cùm volatilia, cæteraque etiam Animalia vniuersali ruina, & morbo cadunt, iam
78 pestis † in Bruta sæuite dicitur, breui genus humanum aggtessura, vt rectè:

Strage Canum primò, Volucrumque, Ouiumque, Boum que
Inque feris subitò deprehensa potentia morbi est;
Concidere, infelix, validus, miratur Arator,
Inter opus, Tauros, medioque recumbere sulco.

subditque

Peruenit ad miseros damno grauiore Colonos
Pestis, & in magna dominatur mœnibus Vrbis.


Atque hoc intereà notatu dignum est, quòd si aues, priùs occum-
79 bant, in † aere vitium habetur; si terrestria Animalia, & præ-
80 settim Canes pereant, infectio ex † tetra suboritur, eamque à ter-
81 ra Canes odotatu ttahunt. Hæc autem † certiora signa vlrimam
Vrbis pestilentiam præiuisse obseruatum est, nam licèt Contagium
princeps causa illius Cladis extitetit, vt in Historia exposuimus,
superiores quoquè † causæ præpatatrices adfuerunt, necnon cætera

tera

tera huiuſmodi præſagia, quæ putredinem in ſublunaribus deno-
82 tare ſolent; Primùm continua præceſsit multorum annorum † Au-
83 ſtrina conſtitutio, cui tandem maxima † ſiccitas apparente Co-
meta ſucceſsit; Hyems namque intercalaris anni Aquilonia ſinò
imbribus, aut niue decurrebat, ſerenum Ver, ſqualida Æſtas, to-
tuſque annus adeò ſiccus fuit, vt multos menſes non plueret.
84 Elapſo anno † fungorum, ac tuberum copia creuerat, ſubſequente
85 verò † frugum penuria, & annonæ caritate laboratum eſt, fructuſ-
que horarios tardè matureſcentes, & fatuos terra dedit. Interim
86 Animalia, † tàm inſecta, quàm perfecta cateruatim moriebantur: nam priùs in vulgares Gallinas irrepſit morbus ex obſeruatione Bindij Centumcellenſis Medici, indè pecudum genus, præſertim Boues mares, & Aues perdidiſse Hyeme, & Vere annorum 1654. & 1655. Ex Inſectis etiam, hoc ipſo anno, & ſequenti Cicadas innumeras humi ſtratas paſsim inueniri Coloni referebant.

87 Nec defuerunt pernicioſæ Locuſtæ, † quæ iam pridem æſtiuo tempore anni 1653. pernicioſo efflante Lybico, nubium ad inſtar ex Africa in hæc littora conuolarunt, & ſuperato Mari, noſtra operierunt arua, vbi voratis frugibus, eam frumenti, ſegetumque penuriam attulere, cuius anteà meminimus; quamuis autem ſingulari prouidentia, & ſapienti conſilio Alexandri VII. Pont. Max. innumeri Homines mercenarij ea Locuſtarum agmina, partìm igne cremarent, partìm in altis ſcrobibus occluderent, nihilominus perenni propagatione integro ſuperfuerunt anno 1655., tandem emortuæ propinquam luem procul dubio minabantur. Hæc igitur Peſtis futuræ præſagia metuenda ſunt, ſi præſertim plura ſimul, & ſemel concurrant, nam certiùs, tunc peſtilens conſtitutio prædici poteſt.





CAP. CCLVIII.

ARGVMENTVM.

AER corruptus quibus præsidijs corrigi poßit. Cautelæ in Pestis, tùm suspicione, tùm præsentia adhibendæ exponuntur. Qua ratione à Medicis celebrioribus contra Aeris infectionem, cautum sit. Nonnulla contra Pestem remedia describuntur, & quomodo Principum saluti consulendum, indicatur.

SVMMARIVM.

1 *Aer corruptus Dei flagellum est, eiusque antidotus penès Deum seruatur.*

2 *D. Gregorius humillimis precibus Vrbem à Peste liberauit.*

3 *Principes, & Magistratus tempore Pestis ad Deum confugere debent, & votis sanitatem implorare.*

4 *Mediolanum D. Sebastiani intercessione à lue expiatur, tempore D. Caroli.*

5 *Ciuitates qui vult Peste purgare, necesse est eas malis hominibus purget.*

6 *Scelera grauiùs plectenda, dum Pestis adest suspicio.*

7 *Præsidia humana, præter spiritualia, in Peste adhibenda sunt;*

8 *Mahometani, & Caluinistæ stolidè sibi consulunt, Pestem ineuitabilis prædestinationis speciem credentes.*

9 *Pestem licet humana industria auertere.*

10 *Pestis vt tollatur, à Contagio cauendum est, & Aeris corruptio declinanda, vel purganda.*

11 Remedia *ad Aerem corruptum euitandum, vel dissipandum hoc loci sunt solùm tractanda.*

12 *Vrbs, aut* Regio *austrinis flatibus vexata, nullis præsentibus auxilijs leuatur.*

13 *Em-*

13 *Empedocles artem dicitur excoluisse ad euocandos salubres ventos, nocuos verò prohibendos.*

14 *Ethesiarum flatus viribus, montium verticibus admotis, superstitiosè creditum est ab Empedocle cohibitos.*

15 *Opiniones quorumdam de dicta ventorum cohibitione refelluntur.*

16 *Delphinorum pelles virtutem habere ventos quoscumque excitandi, fabulosum est: Natalis Comes notatus.*

17 *Sylua ad Meridiem plantata, Austrorum frangendo impetum, eorum virulentiam in Vrbibus minuunt.*

18 *Laureta cæteris syluis salubriora sunt, & quare?*

19 *Aer non solùm vi ventorum, sed etiam à prauis corpusculis corrumpitur.*

20 *Pestis vt adest suspicio, Ministri sunt deputandi, qui amoueri curent quæcumque Aerem possunt inquinare.*

21 *Linum, & Cannabum ne propè Vrbem macerentur, vitandum est.*

22 *Via tàm priuata, quàm publica ne immunditijs deturpentur cauendum.*

23 *Cloacarum vsus est Vrbes mundas conseruare.*

24 *Romæ salubre fuit habitare, quousque diligenter cloacis vsa est.*

25 *Sulphuris, & metallorum fossoribus, ne fætidos halitus excitent, prohibendum.*

26 *Cadauera inhumata Aerem coinquinant.*

27 *Pestis frequentior in Castris, nostris temporibus, quàm olim, & quare?*

28 *Helmontius acriter in Magistratus inuehitur, quòd damnatorum corpora è patibulis spontè tubeant decidere.*

29 *Supplicia in Pestis suspicione extra Vrbem peragenda sunt, & corpora, licèt causa læsæ Maiestatis damnatorum, statim humanda.*

30 *Cadauera infectorum, vigente Peste, procul ab Vrbe sepelienda, & quid in loci electione seruandum?*

31 *Regula in tumulandis Peste mortuorum cadaueribus obseruanda.*

32 *Aer pestilens accensis ignibus præsertim ex materia sicciori restituitur.*

33 *Hippocrates inter Deos fuit connumeratus, quòd Pestem Atticam Aeris mutatione curauerit, & curationis ratio enarratur.*

34 *Suffimenta ex Camphora, Costo, Santalo & Styrace contra Aeris corruptelam proficua sunt, ex Rasis monito.*

35 *Materia ad conficiendos rogos contra Pestem ab Auctore laudata recensetur.*

36 *Pul-*

36 *Puluis pyrius, & sulphur accensum tempore Pestis sunt proficua.*
37 *Sulphuris suffimento vsus Hippocrates in lue Attica, Helmontij testimonio.*
38 *Aer infectus propter crassitiem, & humiditatem vtiliter infringitur rumoribus, vt Campanarum sonitu, & Bombardarum explosione.*
39 *Domos priuatas, & Lœmocomia expurgare necesse est.*
40 *Suffimenta ad expurgandum Aerem quomodo paranda.*
41 *Suffimentum in vltima lue vulgare describitur.*
42 *Domos aqua frigidissima, & aceto irrorare vtile contra Pestem est, si Rasi credimus.*
43 *Principes, & Reipublicæ Præsides omni studio de propria salute debent esse solliciti.*
44 *Loca in Vrbe salubriora Principi eligenda.*
45 *Loca vt sint salubria, quas conditiones requirant.*
46 *Pestis dum grassatur, fenestræ domorum non facilè sunt aperiendæ.*
47 *In Domibus quid sit agendum, vt à Peste seruentur immunes.*
48 *Homines quibus cautionibus vti debeant, vt à se ipsis Pestem arceant.*



HActenùs de Pestis essentia, & de causis omnibus, quæ Aerem contaminare valent satìs egimus, vt ijs recognitis facilior habeatur methodus auertendæ, vel profligandæ luis, quæ ab Aeris corruptione pendet. Quoniam verò corrup-
1 tus † Aer Dei flagellum est, ejusque antidotus penès Deum seruatur, vt Capite 5. demonstrauimus, nihil sanè proficuum nobis agere licet, quin prius ab omni vitiorum labe cordibus expiatis, supplices exoremus misericordiam diuinam, vt indignatæ Iustitiæ flagella, quæ pro peccatis meremur, auertat, quemadmodum fidentissimè monemur 2. *Paralipomen. cap. 7. Si clausero Cælum, & pluuia non fluxerit*, & *mandauero, & præcepero locustæ, vt deuoret terram, & misero pestilentiam in Populum meum, conuersus autem Populus meus, super quos inuocatum est nomen meum, deprecatus me fuerit, & quæsierit faciem meam, & egerit pænitentiam à vijs suis pessimis, ego exaudiam de Cælo, & propitius ero peccatis eorum, & sanabo terram eorum.* Sic olim Diuus Hebræorum Rex pęnitentia Deum placauit, & cohibi-
2 ta est plaga ab Israel 2. *Reg. cap. 24.* Diuus etiam † Gregorius Magnus humillimis precibus Vrbem à grauissima Peste liberauit anno 590. viditque Angelum stantem in Adriani Mole, quæ in Arcem

con-

conuerſa *Diui Angeli* nomine fuit exindè inſignita: *Paul. Diacon. lib.* 3. *Petr. Meſſ. in vit. Maurit. Imperat. Blond. lib.* 4. *hiſtor.*

3 Principes ideò, & Reipublicæ † Gubernatores in primis ad Deum confugere debent, ac pijs orationibus commiſſum ſibi populum Diuinæ miſerationi offerre; cùm etiam votum aliquod publicum, aliudue ſacrificium litare, vt exempla ſunt in alijs peſtilentijs, præſertim elapſo ſæculo anno 1577. Diui Caroli Borromæi tempore; tunc enim Ciuitas Mediolanenſis votum obtulit
4 Diuo Sebaſtiano † ad multos annos viſitandi Templum ſuo nomini dicatum ſingulis ipſius ſolemnibus, ſi gratiam Diuinam pro ſanitate Vrbis impetraret, ſic viſa, per interceſſionem eiuſdem Sancti, morbi declinatione, Diuus Carolus Borromęus Clero comitatus, Gubernator, Senatus, alijque Præſides, & Miniſtri ante diem factum eiuſdem Sancti, ab Eccleſia Cathedrali ad præfatum Templum ex ordine procedentes ſe ſe contulerunt, & ne Contagioni daretur occaſio, cautum eſt publico Edicto, vt nemo præter conuocatos illa die domo exiret, idque narrat *Eques Aſcanius Cenſorius de Hortenſijs*, qui Peſtem illam noſtro Italico idiomate deſcripſit. Huiuſmodi piæ Fidelium oblationes, cùm alijs temporibus, tùm noſtro ſæculo Deum placauerunt, & Senatus nobile Templum in Vrbe extruxit Deiparæ Virgini dicatum, quòd ſuis interceſſionibus Peſtis ſæuitiam mitigauerit. Præterea vt inquit *Prauidellius*
5 *de peſte propè finem*, qui vult Ciuitates † Peſte purgare, neceſse eſt illas malis hominibus purget iuxta *l. congruit ff. de off. Præſi, & l.*
6 *Præſes eo. tit.* ideòque tempore, quo † Peſtis ſuſpicio exoritur, grauiùs ſcelera ſunt plectenda, magis pęnæ exaſperandæ, acriùs Maleficorum ſupplicia exacerbanda. Nam vt idem ſubdit ex *Petr. de Ancha. in conſ.* 15. Reſpublica læditur, & fames, & terræmotus, ac peſtilentiæ fiunt, dum Chriſti opprobria ſuſtinemus.

Cæterum quia Summus Deus res, quas creauit, ita gubernat, vt ſuis quaſque modis eas moueri permittat; ideò vt peſtilentiam arceamus non ſolùm Diuinæ Iuſtitiæ ſacrificia litare debemus, ſed
7 humana † etiam adhibere præſidia, & noſtra opera vti. Siquidem
8 malè ſibi conſulunt ſtolidi † Mahometani, atque impij Caluiniſtæ humanum arbitrium negantes, qui Peſtem ineuitabilis prædeſtinationis ſpeciem credentes, neutiquàm infecta loca fugiunt, aut vites Contagij propellunt. Enim verò fames etiam, ex illorum ſententia, eſt ineuitabilis prædeſtinationis genus, & quos fame morituros eſſe decreuit Altiſſimus, infallibiliter fame peribunt: attamen quiſque ſuum quæritat cibum, & nemo apud illos tam demens eſt, qui fame vexatus, caritatis tempore, cibum renuat. Eadem igitur

9 ratione licet † peſtilentem labem humana induſtria auertere, vel
profligare.
Duo autem in hac re ſummo ſtudio ſunt peragenda, ſcilicet à
10 Contagione † cauendum, & Aeris corruptio declinanda, vel pur-
ganda, quibus abſoluris, optata ſalus Vrbi reſtituetur; remota enim
cauſa neceſſariò effectus tollitur. Verùm de Contagij frœnis age-
11 mus Cap. proprio: huius tantùm loci eſt de remedijs † agere, quibus
Reipublicæ Gubernatores Aeris perniciosam labem, vel imminen-
tem declinare, vel præſentem diſſipare poſſint. Quòd ſi Vrbs, aut
12 Regio, † quæ Peſte laborat Auſtrinis flatibus expoſita ſit, iiſque
diù ſpirantibus polluatur, nullum ſanè præſentaneum auxilium ha-
bemus, quo in præſenti conſtitutione ventos ipſos arceamus; etenim
13 ſuperſtitioſum eſt, quod de Empedocle † fertur apud *Diogen. Laer-
tium in vit. eiuſdem Philoſophi ex Timeo* 18. *hiſtor. ibi relato*, illum
artem quandam excoluiſſe, qua vel ſalubres, ac lætos ventos con-
14 citaret, vel noxios cohiberet, ſiquidem, vt fertur Etheſijs † vehe-
menter flantibus, adeò vt fructus, & fruges corrumperent, excoriari
aſinos iuſſit, factiſque vtribus, eos collibus, & montium verticibus
admoueri ad compellendos flatus, indè verò ceſſantibus ventis, ob
euentum rei *Colyſanema* vocatus fuit, ideſt *Ventorum depulſor*.
15 Ridiculum † ſanè & illud eſt, quod alij dicunt, vel quandam ineſ-
ſe antipathiam inter illos ventos, & pelles, vel ſaltem ab Empedo-
cle tunc temporis refractos fuiſſe aſininis pellibus protenſis, vtpote
durioribus; Fabuloſum verò quod refert *Natalis Comes in ſua My-
16 thologia*, Delphinorum † pelles eam habere virtutem, vt qui has
ſecum habent, ſacris quibuſdam verbis illum ventum excitare
poſſint quem maximè optarent, cui alluſiſſe Homerum putat, dum
finxit datos Vlyſſi ventos in vtre, vt pro ſuo arbitratu eos regeret;
an verò fabula, & ſuperſtitio in aliqua virtute naturali funda-
mentum habeant, vt fertur, alijs examinandum relinquimus.
Quamuis autem in peſtilenti conſtitutione, quæ ab Auſtris oritur,
non ſtatim poſſimus cauſam remouere, aut ventos humana arte
propellere, poſſumus tamen futuræ ſalubritati proſpicere, ac Re-
17 gionem, quæ ab Auſtro læditur, impoſterùm munire ſyluis † ver-
ſùs Meridiem plantaris; incurrens enim ventus in arbores, fractus
in Vrbem incidit, minùſque noxius; & ſanè ad hunc vſum optima
18 cenſentur † Laureta, ex quibus ſalubres, ac ſiccæ exhalationes
euolare videntur, qua de cauſa Medici conſuluerunt Commodo
Principi, vt ſæuiente peſtilentia Laurentum peteret, vbi plurima
Laurus conſita erat.
19 Quia verò, vt ſuperiùs dictum eſt, non tantùm † defectu ven-
torum,

torum, & vitio tempeſtatum corrumpitur Aer, ſed etiam efficaciſſimè à prauis corpuſculis, & corruptis halitibus inficitur; ideò hæc Aeris labes omni ſtudio eſt auertenda, & quamprimùm ſuſpi-
20 cio † Peſtis exoritur, continuò deputati Miniſtri omnia ſollicitè amoueri curent, quæ poſſunt aliquo modo Aerem contaminare. *Prauidell. de peſt. ſub tit. de cæter. ad ſalubritat. pertinent. cap.* 28. Ita vt Ciuitas Aquæductus liberos habeat, nec intra Vrbem aqua ſtagnet *Ripa in tract. de peſt. cap. de remed. præſeruat. contra peſt. num.* 80. 81. *per l.* 2. *ſ. proindè ff. ne quid in loc. public.* Sitque Ciuitas omnibus fœtoribus munda, & in vicinis lacubus, riuis, aut
21 fluuijs † Cannabis, Linum, aliuduè huiuſmodi non maceretur. Inſuper cum omni tempore Iudices adeſſe habeant deputati, qui
22 curent, ne † viæ tàm priuatæ, quàm publicæ immunditijs deturpentur, ex *l. pen. in fin. ff. de via public.* multò magis cauendum eſt, ne hoc fiat vbi ſuſpicio Peſtis inualuit, vt ad litteram dicit *tex. in l.* 1. *in princip. ff. de cloac. & alius tex. in l. de pupillo §. ſi quis riuos ff. de ope. noui nun. Bart. in l. pen. in fin. ff. de via publ. Bald. in l. Præſes la* 5. *ff. de offic. Præſi. Prauid. de peſt. cap.* 5. Vt autem Ciui-
23 tates † mundæ conſeruentur inuentus fuit cloacarum vſus *l.* 1.
24 *§. cloaca ff. de cloac.* quibus dum Vrbs, † Roma eſt diligenti cura vſa, ſanum fuit ac ſalubre ibi habitare, ſecundum *gloſſ. in c. qualiter* 7. *q.* 1. *Bart. Cepoll. in tract. ſeruit. vrb. præd. C. de cloac.* vndè Franciſcus Ripa ſuis Auenionenſibus conſulit, vt in locis neceſſarijs cloacas publicas, & priuatas fieri curent, aliàs rarò eos ſinè Peſte futu-
25 ros. Prohibendum eſt inſuper hoc tempore Sulphuris, † & Metallorum Foſſoribus, aliudue conſimile exercitium agentibus, ne halitus corruptos, fœtidos, ac peſtiferos excitent. *Ripa in tract. de peſt. cap. de remed. præſeruat. contra peſt. cap.* 6. *ex l. prima, §. idem ait. ff. ne quid in loc. public.*
26 Cadauera † etiam inhumata coinquinare Aerem demonſtrauimus, & *Helmontius* magni nominis Medicus *de peſt. c.* 15. inquit,
27 peſtilentiam in Caſtris crebriùs † fieri noſtris temporibus, quàm olim, eo quia hodie, non vt iam, nec ſat profundè ſepeliuntur occiſi, ſubditque inferiùs, in Caſtris cadauera profundiùs hodie, quàm olim eſſe ſepelienda, quia glans bombardæ, aut muſquetti contuſionem facit, & venenoſam fuliginis impreſſionem; idemque
28 loco citato acriter in † Magiſtratus inuehitur, quòd corpora Suſpenſorum oſtentari iubeant ad ſpectaculum, donec ſponte decidant. Quamobrem vbi ſuſpicio, vel metus Peſtis adeſt, Ciuitatum Gubernatores, qui reos capitis amputatione, vel laqueo, aut corpo-
29 ris in quattas diſiectione damnant, curare debent, vt † ſupplicia

huiuſ-

huiusmodi extra Ciuitatem, aut extra conuentum hominum exerceantur, & debent statim sepulturæ tradi, etiam si fuerint causa Maiestatis damnati iuxta *tex. canonicum in c. quæsitum 13. q. 2. & c. placuit 23. q. 5. & in clement. 1. de pæn. & remiss. l. obnoxios 11. C. de Religios. & sumpt. funer Didac. Couarr. lib. 1. resolut. c. 1. VVesembec. in Oeconomia sua ad tit. de cadauer. punit. & ad rem. Prauidel. de pest. sub tit. de cæter. ad salubrit. Ciuit. pertinent.*
30 *c. 23.* Vbi verò Pestis iam exorta est, cadauera † infectorum procul à Ciuitate sepelienda sunt, & quantùm fieri potest locus eligendus, vndè ventus, & præcipuè Auster versùs Vrbem non spiret,
31 altiùs † quoque in terra condi debent præfata Cadauera, & calce operiri, huius autem rei exemplar habetur superiùs in historia.

Interim vt Aer expurgetur, & pestifera miasmata discutiantur,
32 ac dissipentur, plures vndique ignes † accendere iuuat ex materia præsertim aridiori; quo sanè præsidio eximius Medicinæ dicta-
33 tor † Hippocrates tantam sibi nactus est gloriam, vt inter Deos fuerit connumeratus, idque constat ex vita ipsius, & ex decreto Atheniensium, quod ibi legitur, nec non ex *Galen. lib. de Theriac. ad Pison. cap. 16.* vbi illum multis modis admirandum laudat, eo quòd luem ex Æthiopia Græcos inuadentem non aliter curauerit, quàm Aeris mutatione, cum scilicet ignes per totam Vrbem accendi iussisset, non ex simplici lignorum materia, verùm serta, floresque suauissimos alimenta ipsius ignis esse consulens, vt Aerem putum hoc modo redditum homines in Morbi medelam respira-
34 rent. Hinc etiam † Rasis præcipit ignes accendi, & suffimenta fieri ex Camphora, Santalo, Costo, Styrace, ac similibus; idemque remedium expertus fuit salubre Agrigentinus, qui accensis ignibus ex materia sicciori multos ægros curauit *Plutarc. in lib. de Isid. & Osirid. paulò ante finem*, vbi & mixturam conficere docet ad eos ignes parandos, quam *Kiphin* vocat. Nos verò ad hunc
35 vsum † opportuna credimus Iuniperi ligna sparsim per Vrbem accensa vnà cum alijs fragrantibus, & siccioribus Lauri, Pini, Cupressus, Abietis, Myrti, Rorismarini, alijsq; etiam lignis communibus, & facilè parabilibus, vt magna excitentur in plateis Vrbis incendia; mirum est enim quanta vi polleat ex huiusmodi lignis concitata flamma ad pestiferas impuritates dissipandas; iuuat etiam
36 pyrius puluis, † vel sulphur accensum, validior enim flamma ex
37 ijs elicitur; ideòque Hippocratem suffimento sulphuris † vsum fuisse testatur *Io: Baptista Vanhelmont. tum. pest. in Hippocrat. rediuiuo*; vbi remedia memorat, quæ in Attica lue idem Cous
38 adhibuit. Prætereà infectus † Aer propter humiditatem crassus & pin-

& pinguis vt infringatur, prodeſt rumores vndequaque excitare
Campanarum ſonitu, & Bombardarum exploſione, hæc enim
Aerem vehementer commouent, rarefaciunt, ac immutant.
39 Domus † autem priuatas, ac Lœmocomia præſertim purga-
40 re neceſse eſt ſuffimentis † ex ſiccis, & fragrantibus herbis, vt
Mentha, Saluia, Origano, Abrorano, Pulegio, Calamintha,
Satureia, Spica Italica, vulgò Lauendula, quæ facilè domos à
41 morbi labe præſeruant. Vulgare † autem ſuffimentum in hac
poſtrema lue parabatur ex aceto in commodo vaſe prunis ſuper-
impoſito, quod ſanè optimum exiſtimatur, præſertim ſi accenſo
igne ex lignis fragrantibus vſurpetur. Aliud etiam remedium op-
42 poſitum ſuffimentis, & igni docet † Raſis, qui domos irrorari
iubet aqua frigidiſſima cum aceto, nam fortaſse ipſius aquæ fri-
gus, & acida vis aceti ſemina Peſtis circumſita poſsunt infringe-
re, fixare, ac retundere, quod remedium & nos admittimus;
omnia quippe iuuat experiri auxilia, dum neceſſitas vrget.
43 Princeps † verò, & qui Reipublicæ præſunt omni ſtudio
propriam tueri debent valetudinem, ne cum illorum ſanitate to-
44 tius Reipublicæ ſalus periclitetur. Salubriora Ciuitatis loca † in
primis ſunt incolenda, ſiuè vt docet Vitruuius, excelſa, minimè ne-
45 buloſa, neque † æſtuoſa, procul à paludibus, vel ſtagnis, quò venti
ab infecto loco non perflant, & propè Zephyrum, aut Aquilonem,
quà frigidior aura dimouetur, de hac re ſatis ſuperque *Ficinus cap.*
46 *vltim. Scaliger. exercit.* 285. Ædium inſuper feneſtræ † non faci-
lè aperiantur, niſi fortè ſalubres venti ab vno ad aliud latus ipſarum
Ædium ſpirent, tunc verò non ſummo manè, ſed tardiùs, ne ro-
re putrido Aer incluſus polluatur; eademque ratione ante Solis
47 occaſum feneſtræ occludi debent. In area, † vel in impluuio ar-
deat ignis, ex ſiccioribus, ac fragrantibus lignis accenſus præſer-
tim Cedro, Iunipero, Guaiaco, Roremarino, aliiſque huiuſ-
modi. Peculiaria verò ſuffimenta ibidem fiant ex cornu Cerui,
aut alia ſuperiùs deſcripta. In aula, & anteriori domus parte ſuf-
fimenta fiant ex Trociſcis odoratis, quos Medici parare ſolent
ex Laudano, Styrace, Calamintha, Benzoino, Myrrha, Thu-
re, ligno Aloe, Santalo citrino, Mace, Camphora, & ſimi-
libus, vel ex Candelis, quæ paſſim venales proſtant, vulgò
Paſtiglia di Spagna nuncupatæ. Atquè intereà domus vniuerſa
præſertim pars interior, ſeù cubicula, frigidiſſima aqua, &
aceto roſaceo, vel communi irrorentur ad mentem Raſis: im-
mò ex aceto roſaceo forti ſuperiniecto ferris candentibus ſuf-
48 fiantur cubicula. Frigidiſſima † etiam aqua, cum aceto roſaceo iu-

uat, & manus, & faciem sæpè sæpiùs abluere, ac refrigerare, vt constricti pori aditum Pesti non cedant, qua de causa minimè adhibendus est sapo, qui ex rebus calidis, & odoratis componitur, ne pestifero Aeri pori aperiantur. Singulis diebus vestem mutare necesse est, ac exuuias interim diligenter excutere, suffimentis purgare, atque prope ignem deponere.

* * *





CAP. CCLIX.

ARGVMENTVM.

AGitur de Remedijs Politicis, quibus annonæ vbertas conſeruetur. Qnid agendum ſit Principibus, aut Reipublicæ Gubernatoribus pro annona laxanda proponitur. Variæ cautelæ ad annonam ſpectantes notantur, & nonnulla, quæ ad Aquæductus, vel Aquæ ſalubritatem pertinent, adijciuntur.

SVMMARIVM.

1 *Principes annonæ caritatem præuidere debent cognitione cauſarum, aut ſignorum ſterilitatis.*

2 *Signa quædam futuræ ſterilitatis referuntur.*

3 *Principes occaſione Belli conſiderare debent an fames ſubſequutura ſit.*

4 *Annonæ cura præhabita augetur vbertas, ea ſpreta ſequitur inopia.*

5 *Principes ſcire debent frumentorum quantitatem, quæ in ſua Prouincia eſt.*

6 *Annonæ extractio non debet concedi niſi copia indigentiam ſuperet.*

7 *Circa annonam fraudes multæ.*

8 *Annonam ſupprimentes puniri debent.*

9 *Annonam recondentes à Conſtitutionibus Pontificijs puniuntur, & ſi Barones ſint, Feudo priuantur.*

10 *Caritatis tempore Princeps poteſt Ciues cogere ad vendendum frumenta iuſto pretio.*

11 *Princeps de poteſtate abſoluta agere poteſt, quoties publica vtilitas id requirit.*

12 *Principes eligere debent ad annonæ curam probos, & idoneos Miniſtros.*

13 *Dar-*

13 *Dardanariorum fraudes detegendæ, & puniendæ.*
14 *Annonam extrahentibus bona confiscanda.*
15 *Famem tollere Principes debent ære publico.*
16 *Fame vrgente taxa imponenda sunt etiam Personis priuilegiatis.*
17 *Frumenta corrupta caritatis tempore Mercatores transferunt aliunde.*
18 *Pistorum fraudes tempore caritatis notantur.*
19 *Annonæ Præfecti caritatem bonis frugibus compensare debent.*
20 *Cibaria corrupta de medio tolli debent ne vendantur.*
21 *Aquas salubres in Ciuitatibus conseruare oportet, vt Pestis arceatur.*
22 *Aquæductus Vrbis antiqui mirabiles.*
23 *Principes ære publico aquas salubres ducant à Montibus propinquis, nisi talis oriatur in Vrbe.*
24 *Cisternæ optimæ sunt, & quare?*
25 *Aquarum Custodes cauere debent ne publici Aquæductus inquinentur.*
26 *Aquas quouis modo quis conspurcauerit, arbitrio Iudicis grauiter est puniendus.*
27 *Aquam si quis habeat in proprio fundo, eam non potest immundam reddere, si in fundum defluat alienum.*
28 *Aquam putei, vel fontis priuati, si quis deteriorem fecerit, tenetur ad interesse domino fontis, & putei.*



FAmes, vt dictum est, inter præcipuas Pestilentiæ causas enumeratur, & secundum post Aerem locum obtinet, siuè ea ex Cœli vitio propter Soli sterilitatem à tempestatibus anni mutatis inductam oriatur, siuè ab alia causa, puta Bello, procedat. Ideò † Principes, & Magi-
1 stratus, vel omnes, qui Reipublicæ administrationi præsunt, vigili cura debent futuram, aut imminentem annonæ caritatem præuidere, diligenti præhabita obseruatione causarum, quæ ipsam terræ sterilitatem inducere valent, vt sunt magnæ agrorum inundationes ab ingentibus, & diuturnis pluuijs ortæ, quarum meminit *Virgilius* 1. *Georgic.*

Sæpè etiam immensum Cœlo venit agmen aquarum
Et fœdam glomerant tempestatem imbribus atris
Collectæ ex alto nubes; ruit arduus Æther,
Et pluuia ingenti sata læta, boumque labores
Diluit: implentur fossæ, & caua flumina crescunt

Cum

Cum ſonitu.

Intempeſtiuæ etiam ſiccitates, vel aliæ temporum anni mutationes inſignes, quæ ex vulgari Villicorum obſeruatione futuram caritatem portendunt, obſeruatione dignæ ſunt, aliaque etiam
2 ſigna † huiuſmodi, quæ apud Agriculturæ Scriptores inueniuntur. Sic & idem Virgilius, loco ſuperiùs citato, ſignum hoc præſertim docet continua Villicorum experientia comprobatum, quo annonæ vbertas, vel inopia præſagiri poteſt.

Contemplatur item cum ſe Nux plurima ſyluis
Induet in florem, & ramos curuabit olentes,
Si ſuperant fœtus, pariter frumenta ſequentur.
Magnaque cum magno veniet tritura calore
At ſi luxuria foliorum exuberat vmbra,
Nequicquam pingues palea teret area culmos.

Quòd ſi non ex Cœlo anni ſterilitas præſagiatur, diligenter ani-
3 maduertere debent † Principes, an ex alia cauſa, puta Belli occaſione, fames Prouinciam inopinatò aggredi, & affligere poſſit;
4 quippè omnibus hiſce tempeſtiuis, & præcedentibus † curis habitis faciliùs erit pro viribus vbertati proſpicere, ipſamque augere: aliter enim ſi negligantur, faciliùs, & inopinatò conſequetur inopia *l. 1. C. de frument. Vrb. Conſtantinop. lib. 11. Mut. ad conſuetud. Panorm. cap.61. num. 1. & ſeq.*

Et ſanè, vt opportuno tempore futura vbertas prouideatur; hæc
5 ad optimum quemque Principem † ſpectant, vt ſcilicet primò ſciat quantitatem frumentorum, quæ in meſſe totius Prouinciæ collecta ſunt, vt poſſint Reipublicæ indigentijs impertiri *Sola ad conſtit. Sabaud. rub. de edict. annon. gloſſ. 2. & 3. vbi latè Maſtrill. de Magiſtrat. lib. 3. cap. 9. num. 40. & 41.* quare cum expedire videbitur, mittere poterunt Miniſtros ad viſendam Prouinciam, vt diligenter inquirant quantitatem annonæ, & ſingulorum Capita, numerumque deſcribant, vt ſciant nùm tantum ſit annonæ in Prouincia, quæ ſingulorum neceſsitatibus par ſit; hanc tamen inquiſitionem facere debent abſque damno ſubditorum, nec quicquam pro hac re extorquendum eſt. Secundò poſt aſſignationem frumentorum, animaduertat Princeps an facta comparatione meſſis cum indigentia Prouinciæ, illa exuberet; vbi verò cognouerit non plùs annonæ in Prouincia eſſe, quàm ſit vſibus ſubditorum neceſſarium, poterit edictum proponere, ne quis extra Prouinciam annonam deferat ſub pœna arbitraria: non enim concedenda eſt
6 extractio, † niſi meſsis exuberet vltra indigentiam *Maſtrill. de Magiſtrat. lib. 5. cap. 9. num. 36. & ſeq.* Tertiò tandem auertendæ

dæ sunt omni cautela emptorum fraudes, quæ mulris modis circa
7 annonam † fieri possunt *Sola gloss. 8. num. 4. 5. & seq. Decian. tract. crimin. lib. 7. cap. 2. num. 2. & infrà.* Præsertim verò in
8 Mercarores auidos inquirere debet Princeps, an † frumenta suppresserint, vt cato pretio deinceps ad libirum vendant, quos acriter punire debet *Menoch. de arbitr. cas. 384. Rouit. pragm. 1. de annon. num. 2.* Hinc meritò à Constitutionibus Ponrificijs re-
9 condentes † frumenta, & supprimentes ità puniunrur; vt si quidem fuerint Barones, Principes, vel alio ritulo insigniti, confiscatis bonis, etiam Feudo priuentur; alij verò non solum frumentum amittant, sed etiam scuta quinque pro qualibet salma frumenti soluere cogantur. *Constit. 19. Pij V. §. 3. tom. 2. nou. Bullar. Gregor. XIII. constit. 50. incipien. Inter multiplices §. 1. & 3. d. tom. 2. Clementis VIII. Constitut. 49. tom. 3.* Si autem magno
10 plebis detrimento Ciues frumenta sua caritatis † tempore vendere præsumanr altiori pretio, tunc Princeps potest illos cogere ad vendendum frumenta iusto pretio *Nouar. pragm. de ann. collect. 1. num. 6. Mastrill. de Magistrat. lib. 3. cap. 4. a num. 76. per totum num. 97.* Quamuis enim de ordinaria porestate non possir Princeps subditum cogere ad vendendum, quod suum est, nec iuti suo
11 violentiam inferre, † potest tamen id facere de potentia absoluta quotiescumque vrilitas publica requirit *l. item si verberatum 15. ff. de re vendic. Alberic in l. si quis sepulchrum num. 5. ff. de Religios. Cepoll. de seruit. vrb. tit. de sepulchr. lib. 5. Natta consil. 554. num. 2.*

Ad huiusmodi autem munus, siue ad annonæ administtationem
12 Principes † eligere debent probos, & idoneos Ministros, qui sedulò hisce rebus inuigilent, sicut olim fecerat Iulius Cæsar, qui duos Prætores, & duos Æediles constituit, vt frumento vendendo præessent *l. 2. ff. de orig. iur.* Atque hi ex officio in ptincipio suscepti muneris iurare debent, se pro iustitiæ ratione, omni dolo, & fraude remotis, iniunctam sibi solicitudinem peracturos, nec non libro registrare annonam susceptam, & pecuniam frumentariam; illumque librum tradant decurionibus, vt cum opus fuerit quantitas annonæ, reique frumentariæ sciri possit.

Solerti etiam inquisitione detegendæ primùm, & mox grauiter
13 puniendæ † Dardanariotum fraudes, qui, sicut olim Dardanus fecerat, omne studium ponunt, vt annonæ angustia Rempublicam premant, ementes victualia, & frumenta, vt alriori vendant pretio, quorum pœnas tradit *Vulpian. in l. annonam ff. de extraordin. crimin.* & monopolium committere dicuntur *Iodoc. in pract.*

crim.

crim. cap. 132. *num.* 2. tùm contra illos est procedendum, qui
14 frumenta, † vel alia victualia ab Vrbe diuertunt, & aliò deferunt, vt altiori pretio vendant in alio loco, qui casus comprobantur *l. vnica C. de monopol. Decian. tract. criminal. lib.* 7. *cap.* 22. *num.* 2. *cum seq. Menoch. de arbitr. cas.* 869. *num.* 1. Ideòque ipsorum bona confiscari possunt, per *trad. in quæst. de monopol.*


15 Cum verò fames † iam Ciuitatem, vel Prouinciam vrgeat, dicti Reipublicæ Gubernatores omni conatu tenentur famem tollere, & bonarum frugum copia Populum à Deo sibi commissum leuare, etiamsi multum ex Ærario publico detrahatur, ne fortè cum ipsa Peste insurgat maioris quoque dispendij necessitas: quod si exhau-
16 stum alijs impensis Ærarium præsenti necessitati non sufficiat, † taxæ, seu collectæ imponendæ sunt etiam personis priuilegiatis ex *l. vnica C. vt nem. lic. in empt. speci. se excus. lib.* 10. *Bald. ibidem* facit *& tex. in l. priuilegia* §. *& quia humanitatis C. de sacros. Eccles. Ang. in d. l. vnica*, qui exemplum huius rei adducit.

Intereà non tantùm Mercatorum exterorum, sed etiam Pistorum Vrbis fraudes detegere debent. Nam exteri Mercatores nimis auidi quandoque transferunt à portuosis Ciuitatibus corru-
17 ptas fruges, & blattata † frumenta, quæ diù in horreis, vsque ad corruptelam asseruarunt, lucrum, vt moris est, ab alienis mise-
18 rijs expectantes. Et ipsi quoque Pistores † adulterinis frugibus, vel mixtura ex macerato furfure, ponderosis aquis, aliauè fraude temeratos panes conficiunt, quos vt ponderosiores reddant imperuio furno coquunt: idcircò annonæ Præfecti, etiam ex officio, vigi-
19 li cura debent hisce fraudibus occurrere, vt bonis † frugibus, quantum fieri potest, annonæ caritas compensari possit; nam famelica, & malè pasta plebs facillimo negotio in febres pestilentes epidemicas incidit. Eademque de causa aliorum victualium venditoribus inhibere debent, ne carnes putridas, pisces fœtentes, & alia quælibet cibaria vendant, quæ iam diù in officinis as-
20 seruata corruptionis gradum conceperunt: immò hæc † omnia cibaria de medio tollenda sunt ne vendantur iuxta text. in *l.* 1 §. *cura carnis ff. de offic. Præfect. Vrb. Prauidell. de pest. tit. de cæter. ad salubrit. Ciuit. pertinent. cap.* 28. *Menoch. de arbitrar. cas.* 38. *per totum*, *Rouit. de annon. pragm.* 1. *num.* 3. *Nouar. eadem pragm. collectan.* 4. *num.* 2. *&* 3.

Prætereà vt morbi pestilentes arceantur, interest etiam Reipu-
21 blicæ, quòd † salubres, & optimæ aquæ in Ciuitatibus sint, ac tales conseruentur; nam superiùs dictum est *vbi de causis*, aquas corruptas, vel alio modo infectas, si communiter assumantur, conta-

22 tagiosos, & pestilentes morbos efficere. Veteres † Romani Vrbis salubritati consulentes maximam de Aquæductibus curam habebant, & affluentes saluberrimæ aquæ riuos à longinquis Regionibus montuosis deriuabant, extructis, & in longum protractis per multa milliaria fornicibus magnificentissimis, quorum adhuc ve-
23 stigia, non solùm Exteri, sed & Ciues mirantur. Ideò † Principum hæc etiam cura esse debet, vt aquas salubres ad Vrbes deducant ære publico à propinquis Montibus, per canales super fornicibus constructos, si fortè salubres fontes in ipsa Ciuitate desint.
24 Cisternæ † etiam pro Ciuibus priuatis vtilissimæ sunt, aquam enim pluuialem conseruant, quæ leuissima est, ac effluuijs terrenis caret. Porrò vt salubres, & mundæ conseruentur omnes aquæ,
25 Iura etiam prouiderunt multis cautelis, & † aquarum custodes diligenter cauere debent, ne in publico Aquæductu quis res immundas proijciat, ne mulieres pannos, cæteraque sordida lauent, ne serui mulas, equos, & reliqua huiusmodi animalia ibi natare permittant, & ne quis homo in eo natet, aut se abluat *l. cum supra virentem, & ibi Barth. & Ioh. de Plat. C. de re milit. lib. 12.*
26 *Eberardl. Spheck. quæst. cent. 1. quæst.* 10. Et quouis modo † quis aquas conspurcauerit, arbitrio Iudicis grauiter est puniendus *l. 1. §. 1.*
27 *de extraord. crim.* Hinc non licet habenti fontem, seu † aquam in suo fundo eam aliquo modo immundam reddere, si cum eadem immunditia in aquam, vel fundum defluat alienum *l. apud Trebatium in princ. ff. de aqu. plu.* Hinc etiam si in puteum priuatum, vel in fontem quis aliquid immiscuerit, quo † aqua
28 deturpetur, deteriorue fiat, ad interesse domino fontis, & putei tenetur. *l. is qui in puteum ff. quod vi, aut clam l. pen. ff de iniur.* Erant & aliæ leges pęnales antiquitùs editæ contra corrumpentes aquas publicas, quas refert Frontinus lib. quem de aquis influentibus eleganter scripsit.

CAP.



CAP. CCLX.

ARGVMENTVM.

AGitur de remedijs aduersùs Contagium. Cautelæ ad excipiendas Epiſtolas, & Nauigia, necnon ad Portas Vrbis cuſtodiendas traduntur. Lœmocomiorum conſtruendorum ratio proponitur. Mendicantium præſertim Leproſorum conclauia, & aliæ cautiones adijciuntur.

SVMMARIVM.

1 *Princeps omni ſtudio inuigilare debet, vt occaſio Contagij arceatur.*
2 *Prouiſiones Vrbis Contagium, vel arcent, vel ſi irrepſerit coercent.*
3 *Principis, & Magiſtratus negligentia Contagium effrene facit.*
4 *Epiſtola quomodo purganda, & excipienda, & num. 5.*
6 *Nauigia ſumma cautione excipienda.*
7 *Vrbes quo maiori gaudent commercio, eo frequentiori infectione tentantur.*
8 *Nauigia quomodo excipienda ad flumina.*
9 *Nauigia quomodo in Vrbibus maritimis excipienda.*
10 *Merces ſuſpecta extra Ciuitatem deponendæ, & purgandæ.*
11 *Portæ Vrbis quomodo munienda exteriùs, & interiùs.*
12 *Commiſſarius ſanitatis ſingulis Portis debet aſsiſtere.*
13 *Portarum cuſtodiæ deputari debent Nobiles, qui aditum Exteris negent.*
14 *Vrbem ingredi impediatur omnibus, qui ſyngrapham ſanitatis non habent.*
15 *Vrbem ingredi prohibeatur ijs, qui ab infecto loco veniunt, etiam cum ſyngrapha ſanitatis.*
16 *Quadragenarij ſequeſtri Lœmocomia quomodo inſtituenda.*

Kkkkk 17 *Prin-*

17 *Princeps conuocare debet Medicos, ac sententias illorum sequi cautiores, & vtiliores.*
18 *Læmocomia pro Infectis instituenda, cum multi casus augent suspicionem.*
19 *Læmocomia in loco segregato construantur, non tamen valdè procul, ne sint Ægris incommoda.*
20 *Læmocomiorum, qui situs eligendi.*
21 *Læmocomia sint perennibus aquis irrigua, vt sordes eluantur.*
22 *Læmocomia varias habeant Ædium diuisiones, vt si fieri potest, etiam Ægri seorsim locentur.*
23 *Læmocomiorum ambitus claudatur.*
24 *Infecti, qui euasere, non excipiantur in Vrbe, nisi post duplicem quadragenariam sequestrationem.*
25 *Supellectilia Infectorum comburi possunt ipsorum expensis.*
26 *Purgatoria extra Vrbem debent institui, vt ibi res aqua feruida, vel suffimentis purgentur.*
27 *Purgandi modus efficacissimus, & facillimus est lauacrum Fullonica.*
28 *Conuentus hominum prohibendi; nundinæ autem non sine cautione permittendæ.*
29 *Leprosi, & Mendicantes sequestrari debent.*
30 *Leprosi ex Dei præcepto sequestrabantur antiquitùs, & quomodo.*
31 *Leprosi decem à Christo Domino sanati commercium non habebant.*
32 *Lepram cœlitùs demitti putabant Persæ, eò quod homines in Solem deliquissent, ideòque Leprosos relegabant.*
33 *Leprosi Magistratuum edictis expellendi.*
34 *Leprosi multi simul congregati propria Ecclesia, Cœmeterio, ac Præsbytero gaudent, nec decimas soluere coguntur.*
35 *Lepra, vt Pestis, iusta causa est Moniales segregandi.*
36 *Infectæ domus Vrbis claudendæ, prouisis ibi omnibus necessarijs.*
37 *Signum infecti Aeris in domo aliqua cognoscendi.*
38 *Veneficæ mulieres occasionem Pestis sumunt, vt venena diffundant.*
39 *Venenum vulgò* Acquetta *occasione elapsæ Pestis introductum in Vrbem, & quomodo ipsi medeatur.*
40 *Veneni alium casum tempore Pestis Bononiæ enarrat Prauidellius.*

Laxa-



Axata in Vrbe, & Prouincijs annona, optimus
1 Princeps † omni studio inuigilare debet, vt Contagij occasio arceatur, quippè superiùs dictum est Cap. proprio, Pestem ità contagiosam esse, vt facillimo negotio per fomitem aliundè transmissum, vel alio quocumque modo per Infectorum communicationem propagari possit, & sanam Prouinciam corrumpere: Publicæ autem
2 cautiones, & † prouisiones aduersùs Contagium ità proficuæ sunt, vt siquidem hoc nedum irrepserit, facilè euitetur; si autem sese iam in Vrbem insinuauerit facilè coerceatur, ne fimbrias suas dilatare posʃit; quod sanè quàm verum sit, ostendit proficuum Vrbis regimen, vt ex historia quisque videre poterit. Contrarium
3 verò accidit vbi conniuente † Principe, Magistratus, & Præsides Vrbis minùs diligenter agunt, & minùs cautè procedunt; sic enim Contagium effræne redditur, quod non alio exemplo hìc sumus comprobaturi, quàm miserabili Neapolitanorum, & Genuensium strage omnem ferè credibilitatem superante, nonnisi neglige ntijs Magistratuum exorta.

Primùm autem si suspicio Pestis in Prouincia non valdè procul dissita, vel quomodocumque commercium habente increbruerit,
4 suffimentis epistolæ † sunt imbuendæ, nec in Vrbem Tabellario ingressus est permittendus, sed propè fines Prouinciæ sunt excipiendæ epistolæ, hac præhabita cautela, vt Ministri, qui ad id muneris eliguntur, non priùs excipiant à suspectis Tabellarijs litteras, quin illas suffimento ex aceto bis imbuant, & aceto calefa-
5 cto abluant, tum alio etiam † suffimento sicco inodorent, ex partibus tribus Cupresʃi, vna trium Sandalorum, & baccarum Iuniperi, pauco Thure, & Sulphure, his enim omnibus puluerizatis, & super prunis iniectis eleuatur fumus, qui litteras iam aceto madidas penitùs expurgare valet; in hoc tamen purgandi exercitio debent præfati Ministri vti instrumentis congruis, ne epistolas manu tractent: cum verò hæc egerint in alijs bulgis epistolas imponant, & in Vrbem ipsi, dimisʃo Tabellario, deferant.

6 Maxima etiam diligentia opus est in excipiendis nauigijs † satis
7 enim longa per sæcula experientia constat portuosas † Vrbes, quo maiori commercio gaudent, eo maiori contagionis periculo, & frequentiori infectione tentari. Vrbes igitur, quæ ad flumina sitæ
8 sunt, ità cum Pestis suspicio exoritur, regi debent, vt † protenso ad vtramque fluminis ripam rudente in situ commodiori, aliquot tamen milliaria distante, ibique Militum custodijs addi-

ctis

ctis, cursus omnibus nauigijs suspectis intercipiatur; quòd si huiusmodi Ciuitates à Mari non procul dissitæ sint, vt Roma, poterunt etiam ad fluminum ostia ijsdem cautionibus procedere, vt exemplum clarè tabulis topographicis exhibetur. Si verò maritimæ Vrbes, & portuosæ fuerint, non priùs appellere, immò neque
9 ingredi Portum † nauigia permittant, quin patefactum sit vndè soluerint; quasuè merces deferant, & si à suspecta regione fortasse venerint, cogantur priùs consuetis quadragenarij moris suspicio-
10 nem purgare. Merces † autem suspectas in loco extra Ciuitatem deponant, donec idoneis suffimentis, vel alia purgatione opportuna sint à suspicione liberatæ.

Cùm autem finitima Prouincia valdè suspecta fuerit, vel iam morbo laborauerit, statim necesse est Portas Vrbium custodire.
11 Et primò quidem ità muniendæ sunt † Portæ, vt exteriùs spissis clathris vndique defixis locus idoneus pro Militum statione, ac in medio duo cancelli super cardinibus versatiles construantur, vt claudi, & aperiri possint quoties opus fuerit; interiùs verò construantur Ædiculæ ligneæ pro Assistentibus, & pro Militibus, qui
12 singulis Portis distribuendi sunt. Secundò autem † Commissarij singulis Portis semper assistere debent, qui ab Exteris, & Peregrinis excipiant, & recognoscant sanitatis syngraphas. Tertiò autem
13 eligi debent duo, vel tres pro singulis Portis † Patritij, & Nobiliores, qui non sordido quæstui, sed solis gloriæ stimulis, & amori Patriæ intenti sint *Marchin. de bell. Diuin. part. 7. cap. 4. num. 12.* Sic in Vrbe Patres Sacræ Congregationis subrogatis etiam Nobilibus Portas Vrbis exemplari charitate tueri non dedignati sunt, vt in historia diximus. Qui autem Portis assistunt prohibere debent ex officio Aduenis, & Peregrinis ingressũ, ne tota Ciuitas labe inficiatur. *Praeidell. de pest. tit. de his quæ ad salubr. Ciuit. pertinen. §. 1. num. 1. Intrigliol. d. singular. 94. num. 2. lib. 3.* Et arceantur quidem
14 Exteri omnes † qui non habent sanitatis syngrapham, nam per illam probatur sanitas *Rip. de pest. rubric. de remed. ad conseruand. vbert. num. 268. Mascard. de probat. conclus. 248. num. 1. & concl. 1295. num. 7.* Verùm hæc conclusio limitari debet, neque est de
15 omnibus Exteris intelligenda; nam † venientes ab infectis locis non sunt excipiendi, quamuis hanc syngrapham sanitatis habeant, nam in simili casu non est sufficiens sanitatis signum hæc syngrapha *Mascard. d. conclus. 248. num. 2. & 3. Intrigliol. d. singular. 44. num. 42. Rip. de pest. rubric. de remed. ad conseruand. vbert. num. 273.*

16 Præstereà necesse est † Lœmocomia instituere pro quadragenarijs

rijs sequestris suspectorum, & hi quidem situs sunt eligendi, qui tùm aquarum affluentia irrigentur, tùm etiam à Ciuitate nonnihil distent, interposito si fieri potest colle, ne ventus illinc ad Vrbem efflans infectionem expiret: Sic Romæ præter alia ad hunc vsum electum fuit Diui Pancratij Cœnobium, quod intermedio Ianiculo ab Vrbe distat, & aquis affluentibus, deductis etiam ex Paulinis Fontibus irrigabatur. In hisce autem Lœmocomijs quadragenariæ sequestrationes, siuè moræ quadraginta dierum præscribuntur omnibus aduenis suspectis, vt sua tandem suspicione purgata, commercio possint restitui.

His peractis non minor solicitudo esse debet in obseruatione
17 morborum, qui per Vrbem vagantur. Quamobrem † Princeps opportuno tempore conuocare Medicos debet, ac illorum sequi sententias, quæ magìs ad cautionem, & vtilitatem publicam conducere videntur; ipsis commendans, vt omni diligentia, ac solertia notas Contagij in singulis infirmis obseruent, & soliciti sint quàm maximè de signis omnibus, quæ pestilentiam detegere in infirmis possunt. Quòd si iam pestilens Contagium irrepere cœperit, ac multos non sinè suspicione casus in Vrbe iam obserua-
18 rint Medici, tunc † Lœmocomia pro infectis curandis extruere oportet *Prauidell. de pest. tit. de cæter. ad salubr. ciuit. pertin.* §. *modò sciendum*. Horum autem construendorum quasdam veluti re-
19 gulas hìc notare vtile erit. Primò scilicet, vt † Lœmocomia in loco Vrbis maximè segregato ab alijs habitationibus construantur, vel si in Vrbe non adsit opportunus locus extrà Vrbem ille quæratur, non tamen valdè distans, vt possint facilè omnia prouideri necessaria, & ne miseri ægrotantes inter longi itineris cru-
20 ciatus animam agant. Secundò, Lœmocomia † sint Aquiloni exposita, minimè Austro, & si fieri potest eligendus est situs, quò venti a Lœmocomio non spirent versùs Vrbem, sed potiùs in op-
21 positam regionem. Tertiò, sint Lœmocomia † perennibus aquis irrigua, quibus omnes elui possint sordes; sic nostrum Insulæ Tyberinæ Lœmocomium situ maximè idoneum erat, tùm quia bifido flumine perluebatur, tum quia ab alijs Vrbis regionibus fa-
22 cilè segregabatur. Quartò, in Lœmocomijs † sint variæ ædium diuisiones, vt seorsim omnes ministri habitare possint, vt in nostro habitabant; immo etiam si fieri potest, ægri non sub eodem tecto, sed seorsim iaceant, vt fecere Athenienses dispersis in agro tentorijs *Thucid. lib.* 2. Quintò tandem, congruenti quodam relicto spatio, vbi feretra, currus, & alia necessaria reponi possint,
23 totius Lœmocomij † ambitus occludatur, vt nulla ex parte

commercium cum liberis haberi possit; neque ægris, qui euasere,
24 permittatur † in Vrbem regressus, nisi completa duplici Quadragenaria sequestratione, in valetudinario scilicet suspectorum, & in alio loco non suspectorum.

25 Infecta verò supellectilia † ægrotantium, vbi opus fuerit, comburi possunt ipsorum expensis, nec vllum pretium reddere tenetur Princeps, qui illorum combustionem mandat: præsertim tamen comburi debent culcitræ, vestes, linteamina, & alia, in quibus facilè morbus conseruatur. *Marchin. de bell. diuin. part. 7. c. 3.* per totum, vbi etiam agit de pœnis subripientium huiusmodi supellectilia. Cæterùm debent extrà Vrbem institui
26 varia † Purgatoria, in quibus res omnes acribus lotionibus, & feruenti aqua, vel suffimentis emundentur. Inter omnes tamen
27 purgandi modos, † nullus tam facilis, neque adeo tutus, ac efficax est, quàm lauacrum Fullonicæ, siue Fulloniæ machinæ, quæ vulgò dicitur *Valca*, estque delineata, & descripta sub Cap. 38. hæc enim machina quamlibet pannorum multitudinem quàm celeriter, ac rutò purgat, ita vt impossibile sit aliquod miasma tenaciter adeò in ipsorum poris latere, quin penitus diluatur.

28 Intereà, vt omnes contagionis vias intercipiat Princeps † inhibere debet conuentus hominum, qui vulgò fieri solent voluptatis causa *Prauid. de pest. sub tit. de cater. ad salubr. ciuit. pertin. §. conuentus* immò & nundinas ipsas prohibere debet, ac nonnisi debita cautela mercatus necessarios annonæ permittere, factis nimirum diuisionibus suspectorum a non suspectis, vt exemplum de-
29 dimus vbi de Vrbis prouisionibus. At verò Mendicantes, † qui per Vrbem vagantur præsertim verò Leprosos, & huiusmodi infectionibus fœdatos in quodam veluti conclaui sequestrare oportet, rebus omnibus ad eorum victum necessarijs prouisis. *Prauidell. de pest. sub tit. de cater. ad salubr. ciuit. pertin. §. dictum est*. Leprosi
30 autem † ob pessimam, & maximam Contagij labem quam gerunt, vel ex Dei præcepto relegari debent *ex Leuit. cap. 13. & 14.* vbi ad euertendam Lepram præceptum Domini fuit, Leprosos a communi hominum cętu relegari, supellectiles comburi, domorum parietes radi, rasuras extrà Ciuitatem in locum immundum deijci, alioque luto illiniri domos, & quandoque Lepra vsu cessante, ipsas domos destrui, ac illarum lapides, pulueremq; vniuer-
31 sum, & ligna proijci. Rursus quoque illi decem † Leprosi a Christo Domino sanari, de quibus ait *Luc. 17. vers. 12. cum ingrederetur quoddam Castellum, occurrerunt ei decem viri Leprosi, qui steterunt a longè, & leuauerunt vocem suam*, a communi hominum commer-

cio,

cio, & consortio extra Castellum eiecti stabant a longè, & occur-
rentes alijs hominibus, se se inquinatos, ac immundos esse clama-
bant, vt cæteri cauerent, ne fædum illum, ac turpem morbum
32 ab ipsis contraherent. Hic † etiam vigebat mos apud Persas,qui pu-
tantes huiusmodi morbum cœlitus demitti ex eo quod homines in
Solem deliquissent, Leprosos extra ciuitatem eijciebant, vt scri-
bit *Herodot. lib. 1. in Chio vers. med.* & de generali etiam consuetu-
dine, qui hunc morbum incurrunt, hominum communione prohi-
33 bentur, & Magistratuum † edictis è ciuitate expelli debent *c. 1.
de coniug. lepros. ibidemque glos. Rip. de pest. tit. de remed. præseruat.
contra pest. num. 152. Praudell. de pest. tit. de his quæ ad salubr. ciuit.
pertin.* § *4. n. 3.* & ex Medicis *Lemn. lib. 2. de occult. stab. mirac. c. vlt.
in fin. Roderic. a Castro de meteor. microcosm.* Quinimmò sanciuit
34 Lateranense Concilium, quòd vbicumque † tot simul Leprosi
sub communi vita fuerint congregati, Ecclesiam cum Cœmeterio
sibi construant, proprioque gaudeant Præsbytero, nec de hortis, &
nutrimentis animalium suorum decimas tribuere cogantur. *cap.
cum dicat 2. de Eccles. ædific.* Hæc autem nemo non videt sancita
fuisse, vt Lepra infecti ab omni prorsus communione interdicti
viuere debeant, nè alios inficiant. Qua etiam ratione Summus
35 ille Pontifex † S. M. Pius V. propter Lepram non minùs, ac pro-
pter Pestem censuit Moniales iustam, rationabilemque causam ha-
bere a Monasterio exeundi, vt legitur expressè *in declaratione Con-
stit. 8. eiusdem Pontif.* quæ incipit *Decori, & honestati in Bullar. no-
uo tom. 2. fol.* 139.

36 Vici † autem Ciuitatis, & domus,quæ ob fœdos casus euiden-
tem infectionis notam exhibent,obducto muro omnium commer-
cio prohibendi sunt, relictis tamen ibi rebus omnibus necessa-
rijs, vt exemplum est in Transtyberina regione clausa, Cap. 27.
Quòd si cognoscere velimus, an domus aliqua infecta sit,vbi quis
mortuus dubium reliquit de infectione iudicium, hoc † signum
37 ab Auctore quodam antiquo habemus,quod Kircherius etiam con-
firmat esse optimum. In ædibus nimirum quædam vasa ponun-
tur, & in singulis aqua ad 50. libras infunditur cum pugillo vi-
trioli: in his iacto lapide, vel ferro ignito donec ferueat aqua,
videtur veluti quædam fumi nubes a parietibus eorumque futuris
colligi, quæ tandem aquæ innatat,estque probabile aeris in domo
corrupti indicium.

Hæc sunt,quæ circa Contagij remedia summatim dici possunt.
Cætera luculentiùs patent,tum ex historia, tum ex prouisionibus
Vrbis,quæ Tabulis delineatæ sunt. Quia verò interdum contin-
git,

38 git, vt quidam nefarij homines, aut † veneficæ Mulieres sumpta Contagij occasione, venena diffundunt, crimen sub specie Contagij celatum iri credentes, ideo Vrbis Præsides in hos sedulò inquirere debent, ac Medicos monere, vt diligenti signorum obseruatione huiusmodi casus a peste distinguant: deinde reos exquisitissimis supplicijs puniant. Et sanè in elapsa Peste dum mor-
39 bus vigebat, ex Sicilia venenum † quoddam exitiale in Vrbem fuit introductum, quod vulgo *Acquetta* dicitur, variosque casus retulere quidam non contagione, sed hoc veneni genere fœdos, cui tandem veram antidotum experientia docuit esse limonis, vel aurei pomi succum, quem efficacissimum esse, ac præsentaneum remedium docuit *Maro 2. Georgic.*

Media fert tristes succos, tardumque saporem
Felicis mali, quo non præsentius vllum,
Pocula si quando sæuæ infecere Nouercæ,
Miscuerintque herbas, & non innoxia verba:
Auxilium venit, & membris agit atra venena.

40 Alium huiusmodi † veneni casum enarrat *Prauidellius* in Peste sui temporis Bononiæ obseruatum *sub tit. de cæter. ad salubr. ciuit. pertin. §. obuenit*, inquiens se vidisse Bononiæ mulierem, quæ cum in domo coniugis viginti annos mansisset, quàm primùm Pestis exorta fuerat, statim venenum in potione, vel cibo marito, & priuignis parauit, & multa etiam huiusmodi veneficia retulimus vbi de Peste magica, quibus comprobatur hoc sceleris genus ab impijs, & nefarijs hominibus patrari, ideoque Vrbis Præsidi in illos esse inquirendum.

†



CAP.



CAP. CCLXI.

ARGVMENTVM.

Agitur de valetudine tuenda Peſtis tempore; ſalubris viuendi norma, ſiuè dieta inſtituitur; & aliæ quædam cautelæ præſcribuntur Miniſtris Lœmocomiorum. Varia proponuntur amuleta quæ à Peſte dicuntur præſeruare, nec non quædam alia remedia pharmaceutica, & chirurgica in Lœmocomiorum adminiſtrationibus obſeruata.

SVMMARIVM.

1 *Valetudo conſeruatur moderatione ſex rerum non naturalium.*
2 *Cibi praui euitandi ſunt, eligendi ſicciores.*
3 *Cibos condire iuuat paucis rebus odoratis, granatorum ſucco, citri, limonum, malorum medicorum.*
4 *Carnes aſſatas humidiores cenſuit Ariſtoteles, & quare?*
5 *Carnes elixæ humidiores ſunt, & faciliùs putreſcunt.*
6 *Carne aſſata veſcebantur Heroes apud Homerum, vt robuſtiores fierent, & alias ob cauſas.*
7 *Carnes aſſatæ in peſtilenti conſtitutione eligendæ, quia minùs putreſcunt.*
8 *Carnes ſalitæ, ac in aceto coctæ in exigua quantitate proſunt.*
9 *Ciborum nimia copia vitanda.*
10 *Vini vſus moderatus laudatur.*
11 *Vinum diluunt nonnulli aquis medicatis, ipſique infundunt terram lemniam, aut bolum armenam.*
12 *Aquæ coctionem nonnulli reprehendunt, & quare?*
13 *Aqua minùs pura coctione purgatur.*
14 *Aqua ebulliente, lebetis fundus cur frigeat.*
15 *Aqua omnis cocta vtilior cenſetur a Plinio.*
16 *Exercitium violentum, & otium, vtraque nocent, & quare?*
17 *Exercitij hora debita in peſtilenti conſtitutione.*

47 *Signa*

47 *Signa quædam recenſentur, quæ obſeruari ſolent cum Peſtis quemdam aggreditur.*

48 *Remedium optimum præſcribitur ijs, quos nuper morbus corripuit, eiuſque vires notantur.*

49 *Hippocrates in Peſte profliganda, ſale, ſulphure, ac pice vtebatur.*

50 *Viperæ puluis, Hippocratis arcanum fuit in Peſte, & quomodo illum præparauerit.*

51 *Remedia varia Peſtis collecta ſunt a Sennerto.*

52 *Remedia, vt ſigna dignoſtica Peſtis, fallacia.*

53 *Remedia magis proficua prima die fuerunt vomitoria, enemata, vnctiones, & boli cordiales.*

54 *Remedia optima fuerunt citri ſuccus, aqua theriacalis, bolus armena, & ſpiritus vitrioli in iuſculis, vel aquis quibuſdam ſtillatitijs.*

55 *Veſicantia in principio laudabilia fuerunt præſertim cruribus applicata.*

56 *Febrilis ardor compeſcebatur ptiſanis hordeaceis, & ſale prunellæ.*

57 *Bubones blandè tractabantur, & quomodo.*

58 *Carbunculorum cura proficua refertur.*

59 *Medicamenta purgantia perniciosiſſima in hac, & alijs peſtilentijs.*

60 *Sanguinis miſsio perniciosiſſima præſertim ex brachio.*

61 *Medicus quidam elapſo ſæculo ſanguinem mille ægris detraxit, & vix duo euaſere.*

62 *Sanguinis miſsio quibuſdam plectoricis, & robuſtis minùs noxia fuit ex ſaphena, & in principio.*

63 *Sudorifica vſualia erant Bezahar, puluis viperinus, lac ſulphuris, & bacca Lauri.*



ET ſi de remedijs Medicis agere ab inſtituto noſtro alienum ſit, ac ferè ſemper huiuſmodi auxilia in Peſte vana ſuccedant, breuiter tamen hìc tradere licet faciliorem quamdam viuendi normam, vt quiſq; ſuæ ſalubritati proſpiciat: nec omnino ab re videtur quædam etiam auxilia referre, quæ in curatione Infectorum aliquando profuiſſe viſa ſunt.

1 Primùm verò pro valetudine † tuenda quilibet moderatus eſſe debet in vſu ſex rerum, quas Medici non naturales vocant.

2 Ideoq; a cibis prauis † abſtinendum eſt, & inclinandum omninò regimen ad exſiccationem, vt loquitur *Auicennas: ſic Galenus in lib. de differ. febr.* inquit ſe in peſtilenti conſtitutione quæcumque corpora

pora sibi humidiora videbantur alimento sicco cibasse, ac ijs etiam
corporibus, quæ ficciora erant, eundem victum exhibuisse, vt
eorum salubris natura custodiretur. Quod si sanus homo nolit his
3 se obligare legibus, sed varijs etiam cibis vti; † saltem epulas
corrigere iuuat paucis rebus odoratis, & aromaticis, granatorum
succo, vel limonum, citri, & malorum medicorum.

Hìc autem de re cibaria dubitari potest; an carnes elixæ, an
verò assæ Pestis tempore sint salubriores? Siquidem *Aristoteles* 4.
4 *meteor. & sect.* 1. *probl.* 54. docet carnem † assatam elixa humi-
diorem esse; propterea quòd a crusta, quæ contrahitur circa su-
perficiem carnis assæ, cohiberur humor in carne larens, vt transpi-
rare nequeat, idemque sentire videntur ipsius Interpretes omnes
præter Franciscum Valesium. Aristoteli autem contrarius est *Ga-*
5 *len. lib.* 10. *de simplic. medic. facult.* Contraria est experientia, † cum
elixæ carnes faciliùs putrescant, quod signum est humiditatis non
debitæ, contrarius etiam est vsus, nam carnes humidiores, vt suil-
læ, ac lactentium animalium vulgò assantur, vt superflua humi-
ditas contemperetur. Hinc veteres Heroes apud Homerum assata
carne vescebantur, fortasse vt, superflua humiditate consumpta,
6 huiusmodi † cibi robustiorem corporis habitum efficerent, quam-
uis aliam afferat causam *Plato lib. de Repub.* quia scilicet, faciliùs
est vbique ipso igne vti, quàm vasa circumferre ad elixandas car-
nes necessaria: vide *Atheneum lib.* 1. & 14. *Gimnosophist.* ex qui-
7 bus satìs constat, assatas † carnes in pestilenti constitutione eli-
gendas esse, cum ficciores sint, ideoque ad putredinem minùs
8 aptæ; quare salitas etiam carnes, in exigua † tamen quantitate,
comedere iuuat, præsertim aceto decoctas. Cæterùm, quod magis
9 vrget, cauendum est a nimia † ciborum copia, quæ vires ob-
10 ruit, & ad putredinem disponit. † Vini vsus temperatus lau-
datur, ipsumque vinum odoratum, quod neque nimis genero-
sum, nec nimis lene sit, sed mediam quamdam naturam ob-
tineat, temperandus autem est vini potus quoad quantitatem,
itaut minùs quidam bibendum sit; sed minùs etiam dilutum.
Quamobrem *Helmont. tum. pest. cap. de præseruat.* meri potum
ad hilaritatem vsque præcipit ad Pestis præcautionem, quia *in-*
quir ipse, *nedum hominis, sed & Archæi imaginationem sic re-*
git, vt pereat vis formandi imagines terrificas; nonnulli tamen
11 diluere vinum † solent aqua acetosæ, vel similibus medica-
tis; & ab alijs in potu ordinario laudatur infusa terra lemnia,
vel bolus armena. Aqua verò an excoqui debeat, pro ordinario
12 potu in dubium vertitur; nonnulli enim coctionem † aquæ re-
prehen-

prehendunt, eo quòd ignis actione partes puriores, & subtiliores exeant, crassiores remaneant: quod sanè intelligendum est de aqua purissima, leui, frigida, & perfecta, hęc enim reuera co-
13 ctione non indiget. Verùm † si grauis, si terrenis corpusculis polluta sit, excoctione purgatur, per quam partes crassiores in fundo va-
14 sis subsident, quæ causa est, † vt fundus vasis frigeat, cum ad ignem in ipso ebulliat aqua; nam partes illæ crassiores subsidentes, ignea corpuscula, quæ leuia sunt, non facilè admittunt, sed ad supe-
15 riorem lebetis partem propellunt. Omnem † aquam decoctam inquit *Plinius lib. 3. c. 3.* vtiliorem esse; immò si quis aquam decoxerit, & in vitro mox demissam niuibus refrigerauerit, quod fuit Neronis inuentum, voluptatem ait frigoris contingere absque vitijs niuis.

16 Præterea † cauendum est a motu, seu exercitio violento, & immoderato, ne, calore excitato, nimiùm pori aperiantur, & laxato corpore pestiferis seminibus ingresus permittatur; sed nimia etiam, ac diuturna quies valdè nocet, vt dictum est, vbi de
17 causis. Non exeundum est domo, † quin priùs Sol aerem ab infecto rore purgauerit, tunc verò iuuat moderatè exerceri, salu-
18 briora loca petere, nimium solis ardorem vitare. In † somno etiam, & vigilia maxima cura esse debet, alterutrum enim si modum excesserit, mala potest inducere *ex Hippocr. in aphorism.* sed magìs cauendum est ab immoderato somno, qui corpora laxat, obruitque humiditatibus *Galen. lib. 3. art. paru. & Auicen. lib. 1.*
19 *canon. fen. 3.* Insuper consuetæ euacuationes † ciendæ sunt arte, si natura renuat, ne retineantur, quæ debent excerni.

20 Summa verò diligentia auertendæ sunt † animi curæ, ac perturbationes; fugienda in primis est tristitia, & languor quidam animi omnia fastidientis, nec non lætitia quædam effusa, at præ cæteris terror; animique hilaritas omni studio quærenda. Etenim
21 *Thomas VVillis lib. de febr. cap. de pest.* † plures cognouisse testatur qui in pestifera constitutione verbis Helmontij dicere solebant vino, & confidentia fortificandum Archæum, nec alijs præterea vsi alexipharmacis inter infectos sinè Contagij noxa versabantur;
22 dùm quidam † e contra terrore perculsi, etiamsi procul ab omni Contagio degerent, pestilentiæ tamen semina imbiberunt; tristia ideo spectacula, quæ in locis infectis sunt, quisque fugere debet
23 animum aliò diuertens; quemadmodum Romani † olim fecerunt, qui pestilentiæ tempore ludos vouerunt.

Qui verò infectis assistunt, illisque inseruiunt ex officio, cautiores sanè in vitæ regimine, ac minùs timidi esse debent; illi au-

tem, qui charitatis impulsu animas suas dare non timent pro infirmorum salute, ac leuamine, vt nonnulli fecerunt in Vrbe generosi viri ex Patricia gente, ac Religiosi, quorum in historia meminimus, non debent humanas artes, & præseruatiua remedia aspernari, quia si perierint ipsi, non tam facilè alij Ministri succedent, quare pios Sacerdotes ægris seruientes non tantùm vitam parui pendere, aut mortem non timere debent, sed vlteriùs præstat ipsos credere alacri animo, se nunquam infectum iri, vt hac fiducia
24 muniti faciliùs præseruentur; plerumque enim † Sacerdotes hi facilè inficiuntur, quia, licèt vitam pro Deo parui æstiment, mœrore tamen naturali diù cogitant, & pro certo habent, se Peste morituros.

25 Primùm igitur † Ministri Lœmocomiorum laneas ponant vestes, quæ villosæ sunt, ac semina Pestis apprehendunt, alia etiam indumenta deponant pinguibus succis polluta, quibus fa-
26 cilè, ac tenaciùs adhæret miasma pestiferum, † vestibus vtantur sericis, sed tenuioribus, ac leuioribus, vel etiam lineis cera oblinitis, vel ex corio, quod optimum existimatur, tùm propter leuitatem, tùm propter calcis impressionem in illorum præparatione relictam, quæ faciliùs aeris inquinamenta prohibere valet. Gregorius Roscius, qui in elapsa pestilentia infectis medebatur, & ægrorum afflatus fæliciter sustinuit, vestes, quibus vtebatur, illiniuit oleo ex seminibus lini, litargirio, & æris erugine; præstat insuper exuuias suffimentis ex aceto depurare, vt si quæ interdiù impegerint miasmata discutiantur; prætereà manus, & faciem munire iuuat extrinsecis præsidijs, siccis, & frigidis, ideoque optimum erit hasce partes abluere aqua frigidissima cum aceto, limonis succo, alijsque huiusmodi liquoribus infusis, cæteras autem corporis partes, quæ vestibus operiuntur, obstruere non licet, ne transpiratio cohibeatur. Ad infectos non est accedendum ieiuno stomacho, sed vno, vel altero bolo, & pauco meri potu vires
27 recreandæ sunt. Laudant nonnulli † aridum ficum, rutam, allium, nucem, siuè alia huiusmodi, vt si quid mali spiritus in corpus irrepserit, calidiore illo bolo excutiatur; etenim huiusmodi res deglutitæ multos halitus ad palatum, & os diffundunt, ijsque præoccupatur os, nec prauos halitus extrinsecùs aduenientes suscipit, vel
28 si quid praui susceperit, faciliùs expellit. Interea † odoribus vtendum est ad obstruendas nares, sed cum duo sint odorum genera, & quidam ex his calidiores sint, parati ex balsamo, moscho, succino, zibetho, cæterisque huiusmodi rebus maximè gratis, quæ nares quodammodo dilatant; alij verò odores frigidi sint, vt qui

ex

ex aceto, ſucco limonis, & ſimilibus exeunt, & videntur potiùs
29 nares conſtringere; primum ſanè genus † odorum non laudatur, eo quòd nares illa oblectatione nimiùm apertæ, vnà cum odore peſtilens miaſma ab aere poſsunt inſpirare: quare ſatiùs eſt alijs
30 odoribus † vti, quos noſtri Medici parare ſolebant ſpongijs aceto plenis, ſulphure quandoque intinctis, & ſibi ipſis conſulentes, cum ægros viſerent, facie ſemper auerſa, ſpiritum ſpongijs huiuſmodi comprimebant. Ioannes Luca Iannet totius Burgundiæ Archia-
31 ter † odores laudabat ex aceto roſaceo, & æquali portione florum aurantiorum, quos equidem odores non Miniſtri ſolùm Infectis ſeruientes, ſed & alij omnes in Vrbe infecta degentes poterunt
32 adhibere; hoc inſuper Miniſtri † Lœmocomiorum ſeruare debent, vt ægros tangant digitis aceto madentibus, eoſque alloquantur conuerſa in oppoſitam partem facie, ad eam partem præſertim, qua ventus non perflet ad ſanum, quin potiùs iuuat, ſi nullus adſit ventus, aerem flabello ciere in contrariam loquentis partem, vt mali halitus repellantur.

Circa amuleta, ſeu extrinſeca medicamenta quæ a Peſte præſer-
33 uare dicuntur, nonnulli † Arſenicum cryſtallinum laudant in ſacculis holoſericis rubris impoſitum, & collo ſuſpenſum, vel ſub axillis ligatum, vel carpis geſtatum; ita tamen, vt carnes immediatè non tangat, vi enim corroſiua noceret. Hoc autem amuletum primus omnium adinuenit *Iacobus Carpenſis, mox Philippus Ingraſſias, Georgius Agricol. de nat. foſſ. lib.* 3. alijque Medici ita extulerunt, vt nihil in eorum ſcriptis celebratiùs reperiatur. *Ioſeph. Quer-*
34 *cet. peſt. alexicac. cap.* 7. *de purgat. medic. ſudor.* vbi etiam † refert Hadrianum VI. Pontificem hoc remedio a ſæuiſsima Peſte fuiſse
35 vindicatum. Aliud inſuper † amuletum ab Auctoribus commendatur ex Hydrargirio factum, quod cum in holoſerico geſtari nequeat ob ſuam inſtabilem naturam, includere oportet in Auellana rubra exiguo foramine peruia, foramen poſtea occludendum eſt, & Auellana holoſerico rubro inuolutа, collo ſuſpendenda, vel ſi Auellana deſit, eius vicem ſupplere poterit calamus eodem Hydrargirio repletus, mox diligenter occluſus, ſericiſque inuolucris geſtatus, quod amuletum præ cæteris elegit *Quercet. alexicac. peſt. pag.* 340. Mirum ſanè videtur, quòd tam acria venena ſint Peſtis antidori. *Heurnius* tamen *lib. de peſt. cap.* 8. non putat a ratione alienum,
36 quod regioni cordis †. arſenicum applicetur, nam, vt ipſe inquit, *dum cor veneni qualitatem inimicam percipit, ſæpè contrahitur, ſitque eius ſyſtole fortior, quàm diaſtole,* itaut validiùs eo motu peſtilens venenum excludat, quàm attrahat. Alij ex peripateticis arſenicum

catenus

catenùs iuuare putant, quatenùs pro natura fossillium, & metallorum frigidum est, ac siccum, ideoque cætera etiam metalla, & aurum præsertim ad hunc vsum commendant, eo vel magis, quòd experientia constat cor auro confortari. Sed reuera Hydrargirium,
37 arsenicum, & † similia, nec tuta sunt, nec tam facilè a sensaris viris assumuntur, etenim pluries notum fecit experientia arsenici amuleta, & alia huiusmodi plus damni, quàm vtilitatis attulisse, idque nobis testatus est fide dignus vir *Iosephus de Aromatarijs*, qui hoc in penultima Italiæ Peste obseruauit, & *Ioannes Baptista Vanhelmont. in tum. pest. cap. de præseruat. sub tit. Zenextor.* in Ostendanis Castris multa millia hominum vidisse inquit cum huiusmodi amuletis Peste sublata.
38 Tutiora verò amuleta, † quæ ab omnibus Auctoribus excipiuntur, sunt quidam pretiosi lapilli, Saphyrus nimirùm saturato colore cœruleus, & Hyacinthus fuluo colore prægnans *Plin. lib. 27. Helmont. loc. cit.* hi siquidem lapilli pestilens virus mirabiliter profligare videntur, & nedum sanos, sed infectos etiam maximè
39 iuuant, nam si Hyacinthus † circa bubonem, aut pestilentem escharam in gyrum voluatur per moram e regione solis, vel luminis tractim circumducendo, facit, vt idem circulus deinde ater fiat, & ist hac reliquum virus tamquam per caminum, foris exhalat.
40 Hyacintho † autem Saphyrus, & Saphyro Succinũ, siue Electrum
41 præfertur, quod sanè, † vt res leues potenter trahit, ita optimum censetur amuletum, si supra corpus diù confricetur, scilicèt ad tempora, ad carpos, & malleolos, & propè cor. Præterea opti-
42 mum etiam parati potest amuletum ex † Bufonum puluere, quod sanè remedium cum *Helmontio* superextollit *Athanas. Kircher. de antid. contr. pest. cap.* 8. putatque analogiam quandam inter pestem, & Bufonem esse, & quemadmodum vipera sui veneni medela est, ac rabidi canis hepar a demorsis deuoratum, hydrophobiam sanare dicitur, ita Bufonis puluerem credit esse veram Pestis antidotum, & quod Buso sit soboles pestiferi halitus ex terrestri mucore
43 expirantis. Hoc solo † remedio *Butlerus Hybernus* apud *Helmont. loc. cit.* Londini aliquot millia a Peste curauerat, ipseque Helmontius modum tradit, quo paratum fuit Londini amuletum ex Bufonibus, scilicet mense Iunio post meridiem decrescente Luna veteres, & magnos Bufones accepetat, quorum oculi scatebant albis verminibus densè compactis, hos autem Bufones tibijs suspendit propè focum per triduum, illis patinam ex cera flaua sub tendens, tandem postridiè Bufones suspensi euomuerunt terram, & aliquot subuirides muscas, simulque vermes ab oculis in patinam

cercam

ceream deciderunt. Helmontius autem ſic edoctus a præfato
44 Hyberno hæc omnia in paruos redegit trochiſcos, † addito cadauere Bufonis, & patina cerea, quos ſanè trochiſcos expertus eſt prope ſiniſtram mammam geſtatos remouiſſe contagium, & loco infecto alligatos ſtatim virus extraxiſſe, idemque fusè comprobat rationibus, ſupponens iuxta ſuam hypotheſim quandam inter Bufonem, & Peſtem ſympathiam eſſe, qua peſtiferum virus attrahitur.
45 Præter amuleta, nonnulla etiam † remedia præſeruatiua per os aſſumpta iuuant, & primùm ſeuiente morbo inſcripta rotula vnuſquiſque ſanus poſt cœnam, vel immediatè ante ſomnum vti poterit, vt ſi quid peſtiferi miaſmatis apprehenderit, ab eo liberetur.

Acc. Confectionis Hyacinthinæ ʒ. I.
Boli Armenæ
Radic. Carlinæ
Margarit. præparat.
Ambræ griſeæ } an. ʒ. s.

Sacchari albi ſoluti in aqua Cardui benedicti quantum ſatis eſt, vt fiant tabellæ, ſiuè rotulæ ponderis ʒ. I. pro ſingula doſi.

Qui verò impuriores ſunt, aut purgatione indigent pro vale-
46 tudine tuenda, ſcrupulum vnum † pillularum Ruffi vna hora ante cœnam poterunt aſsumere, quæ quidem pillulæ in vſu ſunt etiam pro infectis curandis, & fiunt ex vncijs duabus aloes, vna vncia mirrhæ, & æqua parte croci optimi ex deſcriptione Rhaſis, vel loco croci miſcetur Ammoniacum, vt interpretatur Paulus Ægineta: in vſu autem reformantur omphacino, ſuccíſque acidis, addita exigua portione Boli armenæ, vel Zedoariæ, quam Carthaginenſes, & Barbari mirè laudant. Quòd ſi fortè quemdam morbus inopinatò
47 aggrediatur, cognoſci poterit ex † capitis dolore, vertigine, cardiaca paſſione, ſubito virium langnore, nec non ex ſubita faciei mutatione; hic enim morbus faciem plerumque mutare ſolet, coloribus, aut nimium rutilantibus, aut pallidis, & plumbeis, oculoſque reddit, aut languidos, vel vt *Lucretius* notat *ſuffuſa luce rubentes*. Ac talibus quidem ſignis habitis, vt venienti occur-
48 ratur morbo, vtilis eſt hæc potio † ſtatim aſsumenda.

Acc. Rad. Carlinę
Zedoarię
Angelicę
Scordij
Dictam. cretici
Scorzonerę
Cinamomi
Croci orientalis } an. ʒ. I.

Mirrhę
Mastices
Aloes Socotrini
Croci orientalis } an. ʒ. s.

Fiat omnium puluis, cuius dosis est drachma vna, cum vncia Syrupi limonum, & tribus vncijs aquæ acetosæ exhibita, ac Deo benè propitio, recenter correptum a Peste liberat.

Hæc autem potio assumenda est ante somnum, nam fęliciùs ægro dormiente per poros exeunt semina Pestis, tenuesque humores corrupti, vnde a somno æger sanus euadit cum ciborum appetentia, & hoc sanè medicamentum, tam leue, tam benignum est, vt si quis nondum morbo correptus timens se fortè infectum, ipsum assumeret, nullam indè noxam haberet, nec largos sudores eliceret, sed blandum somnum, & ciborum appetitum assumpta potio conciliaret; satisquè constat hanc potionem fælicissimo euentu, vt & rotulas superiùs descriptas, expertam fuisse.

Varia etiam medicamenta plerique Auctores commendant, ac præ cæteris *Vanhelmont. tum. pest. cap. penult.* ea recogitat medica
49 auxilia, † quibus Hippocrates vsus fuerat in Græca Peste profliganda, asseritque Hippocratem sale, sulphure, ac pice vsum fuisse, ægrisque exhibuisse vinum picatum, salitum, ac sulphure feruidum, vt sale putredinem abstergeret, sulphure venenum interime-
50 ret, ac sudorem cieret; prætereà subdit † eundem sibi reseruasse tanquam arcanum, cuius obtuitu diuinos acquisiuit honores, carnem viperinam, vel colubrinam excoriatam, capite, & cauda abscissis, intestinis cum felle proiectis, iecore tamen, & corde seruato, omnique extracto cruore cum vena per spinam decurrente, hanc verò carnem cum ossibus exactè contusam exsiccasse tepido fumo, donec puluis fieri posset, pulueremque despumato, cocto-
51 què melle inspersisse. Alia innumera remedia † Medici extollunt, quorum

quorum faſciculum collegit Daniel Sennertus, & nouiſſimè Diemerbroechius; verùm nec inſtituti ratio expoſtulat, vt hæc recenſeamus, nec multum prodeſt ea plerumque irrita proferre; huius autem loci eſt quædam breuiter innuere, quæ circa infectorum curationem obſeruauimus.

Hæc ſanè in primis experti ſumus, omnes hunc morbum fallere,
52 veram, & ſpecificam antidotum latere, medicamenta † cuidam fortè proficua, alteri noxam intuliſse, & ex Medicis minùs morbum agnouiſse, qui ſe ſe magìs in arte peritos credebant, vt de Illyrica Peſte *Virg.*

Quæſitaque nocent artes, ceſſere magiſtri
Phylirides Chiron, Amithaoniuſque Melampus.

Multa quidem habuimus Medicorum conſilia, tum viua voce, tum manuſcripta ab exteris demiſsa, quæ tamen confuſionem
53 potiùs quàm iuuamen attulerunt. Hæc verò † remedia interdum prodeſse videbantur, vomitum quandoque tentare in principio, clyſteribus aluum ſubducere, Regionem cordis illinire oleo Mathioli, Ferrarienſi, Magni Hetruriæ Ducis, & ſimilibus, bolos cordiales Hyacinthinæ confectionis, alkermes, & hu-
54 iuſmodi ſtatim exhibere. Secunda autem die citri † ſuccum propinare cum aqua theriacali mixtum, & guttis aliquot ſpiritus vitrioli, & puluere boli armenæ in iuſculis, vel aquis ſtillatitijs galegæ, ſcabioſæ, ſonci, ſcorzoneræ, ac ſimilibus alexipharma-
55 cis. Salutaria inſuper videbantur veſſicantia in principio † præſertim cruribus applicita. Compertum etiam eſt in ipſo febris ardore
56 iuuaſse ptiſanas † hordeaceas, æſtate potiſſimùm, & ſitim etiam temperabat ſal prunellæ in ore diutiùs retentum.


57 Bubones † blandè tractabantur, ac ſuperiores partes leniter verſùs tumorem confricabantur, cucurbitula interim, vel hyrundine buboni applicata, vt quò natura vergebat, eò peſtilens virus ars traheret, iuxta Hippocratis doctrinam in aphoriſmis. Linimenta etiam calida in vſu erant, donec ipſi bubones matureſcerent, indè verò inciſi ferro, digeſtiuis vnguentis tractabantur.

58 In carbunculis † nil magis proficuum erat, quam ipſos circumſcribere ſcarificationibus, & à viua carne dirimere, vndè per totum ſcarificare, ſanguiniſque copiam detrahere, oblinire vnguento ægyptiaco, theriaca, & oleo ſcorpionum; tandem eſcharam inungere axungia, vel butyro, donec ipſa deciderer, varijs priùs expertis medicamentis irritis, hæc denique methodus in bubonibus, & carbunculis curandis vtilior erat.

Purgan-

59 Purgantia † medicamenta, vt plurimùm naturam exagitabant, & venenum actuare videbantur, morbumque accelerare, & satis experti sumus, quod testantur *Iul. Palmar. Cornel. Gemm. Fallop. Conrad. Gesner. Ioannes Bauhinus, & Ambros. Paraus* de Peste sui temporis illos, quibus purgantia medicamenta exhibita, sanguisque detractus fuit, vt plurimùm perijsse, alios
60 verò ferè omnes conualuisse. Sanguinis † missio non minùs perni-
61 ciosa fuit, vndè roboratur obseruatio Fallopij, qui narrat, † Medicum sua tempestate celeberrimum mille infectis secasse venam, quo-
62 tum duo vix euasere. Minùs tamen noxia fuit † saphenæ sectio quibusdam plethoricis, & robustis. Sudorifica quandoque
63 iuuarunt, quandoque noxia fuerunt, parabantur † autem ex lapide bezahar ad grana 5 o. nec non ex puluere viperino, baccis lauri, & similibus, habito respectu ad varia temperamenta.





INDEX

INDEX
RERVM, ET VERBORVM,

Quæ in hoc Tractatu de Auertenda, & Profliganda Peste Politico-legali continentur.



Ppppp rere-

Arma

B

Casa-

Causa

Claustri

Com-

pro Cou-

Conso-

Custo-

Edictum

EVA-

F

FEVDO

Cætera

pro Gra-

H

Hebræo-

I

Insit-

L

ad

Eeeeee cap.

M

MA-

 sti

Me-

Mer-

N

O

P

per-

Po-

Præ-

Prin-

R

 scon-

Ro-

S

Qqqqqq

pro

T

Tttttt TY-

Vnnuun per-

Of-



FINIS.



